CRUDELITAS ET IDOLUM CALUINISTARUM REUELATUM SEU DEFENSIO...

Adam Contzen



CRVDELITAS ET IDOLVM CALVINISTARVM REVELATVM

SEV

DEFENSIO TRIVM LIBRORVM DE PECCATO,

A

REVERENDISS. ET ILLVSTRISS.

ROBERTO BELLARMINO S. R. E. CARDINALI AMPLISS. CONSCRIPTORVM

CONTRA

CASTIGATIONES ET EXPLANATIONES DAVIDIS PAREI PROFESSORIS HEIDELBERGENSIS.



AVCTORE

R. P. ADAMO CONTZEN SOCIETATIS IESV THEOLOGO ET SS. LITERARVM IN Archiepiscopali Academia Moguntina Professore Ordinario.

CVM

ADIVNCTA CONSIDERATIONE DE HAERESEON INCREMENTO

ET

VTRVM ANNVS 1711. SIT FVTVRVS MVNDO VLTIMVS.

Cum Gratia & Priuilegio S. Cæsareæ Maiest.

MOGVNTIAE apud Ioannem Albinum.

ANNO M. DC. XIV.

CRVDELITAS CALVINISTICA

Beza in Ioan. c. 5. v. 16.

Peccata omnia hactenus paria sunt, vt vel minima minimi peccati cogitatio mortem æternam millies mereatur.

IDOLVM CALVINISTICVM.

Ioannes Piscator in amicâ Collat.

Deus vult vt peccata fiant. Sect. 17.

Deus destinauit homines in vniuersum ad peccata. Sect. 93.

Peccata fiunt Deo procurante, & omnino sic volente.

REVE-



REVERENDO ADMODVM PRÆNOBILI ATQ; AMPLISS. VIRO D. GEORGIO FREDERICO GREIFENGLAVV A VOLLRAHTS

Metropolitanæ atque Electoralis Ecclesiæ Moguntinæ

ET

CATHEDRALIS VVORMAtiæ Præposito,

DOMINO MEO GRATIOSO

ADAMVS CONTZEN.



EFENSIONEM trium, quos Reuerendissimus atq; Illustrissimus Robertus Cardinalis Bellarminus conscripsit librorum, Reuerende admodum, prænobilis, & Gratiose Domine, tuo nomini lubens inscribo. Obseruantiæ erga te non

meæ duntaxat, ſed collegiorum quoque Moguntini, & VVormatienſis, quale poſſum, monumentum. Neque dubito fore, vt quemadmodum illis in tua auctoritate, dignitate, beneuolentia patrocinium ſemper fuit, ita laborem quoque meum pro tuo ſingulari in Religionem amore, ac pietate gratum, acceptumq; habeas. Eſt hoc familiæ tuæ, morumq; tuorum. Illa enim vt bello, conſiliisque inclytos dedit Heroas, ita ſtudiorum Mœcenates complures, orthodoxę vero Religionis cultores omnes; adeo, vt quam longo ordine ſtemmatum non interrupta nobilitas ducitur, tam continua ſerie fidei ſanctæ inſignia nectantur, pari namque interuallo temporum & generoſi ſanguinis, & intaminatæ Religionis tibi hæreditas cernitur, nobilitas quidem ante annos
quà-

quadringentos, vt ex Feudorum auitorum literis constat, iam tum antiqua erat, ea vero cura pietatis in generis splendore fuit, vt nullum ex prosatoribus tuis, tam late sparsa tam potenter grassata hæresis infecerit, plurimos vero pietate insignes dederit, Henricum Moguntinum Decanum, virum plurimis virtutum & rerum gestarum ornamentis insignem Fredericum, qui non familiæ modo suæ, sed vniuersæ Germaniæ consiliorum maturitate, constantia, pietate præluxit. Qui post multa domi forisq; egregia facta, post familiam optime constitutam P. Franciscanorum de obseruantia sanctissimo se instituto addixit, ante omnes Richardum Treuirensis Ecclesiæ antistitem. *Qui studio singulari ac fide, Diœcesi* (verba sunt Bartholomæi Latomi) *totis viginti fere annis ita præfuit, vt*

non modo quoad vixit ipse incolumem præstiterit, sed omni consilio, & labore, quas manu & armis tutatus est opes, eo prouexit, vt post mortem etiam ipsius firmæ & inconcussæ sint permansuræ. Cum vero eum omnia principis, & strenui Imperatoris partes obiuisse demonstrasset, optimo præsuli etiam Deum adfuisse, dicit *euentum docuisse.*

Hostis, inquit, *intra paucos dies frustra tentato aditu, & omni pactionis sollicitatione à nobis obstinatißime reiecta turpiter decedere coactus, nullo ex nostris ciuibus ac propugnatoribus desiderato, ac ne læso quidem: cum interim complures ex diuersa parte cecidissent, & tormentis grauibus, non muris (Treuirorum) tantum institisset hostilis exercitus, sed acrioribus vndique Bombardis, ex editis locis incessens tecta ac ciuium*

focos

focos petiſſet, inque medio foro diuerſantes homines infeſtis telis perſtrinxiſſet. Tantam victoriam Richardo præſuli omnes tribuerunt, *qui non commoueretur obiectis periculis, non ſpem alibi certiorem, quam in Deo poneret, ſed conſilio, & prudentia, & omni virtutis genere, contra iniuriam, & audaciæ temeritatem depugnaret.* Et paulo poſt eum Machabæo confert, docetq; *in rebus ſæpe difficillimis exploratum eius iudicij acumen, perſpectam conſilij prudentiam & opportunitatem.* Nec ſunt illę modo oratoriæ laudationes, ſed veri teſtimonia. Etenim *tantam conſecutus eſt beneuolentiam apud multos, auctoritatem apud omnes conſecutus eſt, vt patris ac patroni loco inter æquales etiam principes coleretur.* Romanus eum Pontifex vnice dilectum inſignib. priuilegijs

 hono-

honorauit, Cæſar eum inter præſtantiſsimos Principes nominabat, eius conſilio frequentiſsime, & magno Reipublicæ bono vſus eſt.

Nec vero ita principem egit, vt Epiſcopi munus in ſecundis haberet: *Illud rarius* (inquit idem ille teſtis) *omnino, nec niſi magnis, & egregiis ingeniis conceſſum, vt, qui præſunt in hoc dignitatis ordine, & quietam hanc pietatis curam, & illam turbulentam ciuilium negociorum adminiſtrationem, pari iugo complectantur, in qua vtraque re qui excelluerint, adhuc pauci inuenti ſunt. Hunc certe præſtantiſsimum virum tanta felicitate vtriuſq; temporis laudem adeptum conſtat, vt ſi rei diuinæ cultum ſpectes, cum religioſiſsimis, ſi externarum rerum induſtriam cum prudentiſsimis fuerit merito comparandus.*

Insignia etiam priuatæ vitæ decora describit in hunc modum. *De priuata autem & interiori eius vita, & quibus artibus hanc sedem, quam exhaustam pene ære alieno, & implicitam grauißimis oppignorationibus acceperat, non modo administrauerit egregie, sed depressam ingenti onere pensionum pene reduxerit ad pristinas facultates, vereor si persequi pergam, ne forte immodicus videar in consectandis optimi Principis laudibus.* Pergit ille porro: *Nam quid de victu & continentia illius singulari, quid de fide & caritate in suos, in omnes facilitate, de moderatione animi, & ciuilitate, de æquitate & iustitia, dictorum factorumque constantia hic attinet plura commemorare? illud potius iterandum mihi & omni contentione prædicandum esse videtur, hanc sedem implicitam fuisse ingentibus difficultatibus, nisi hunc vindi-*

cem ſortita fuiſſet; dilapſam inopia, & rerum amiſſarum alienatione, niſi ille præfuiſſet aliquando, qui magnis, & exquiſitis rationibus, labore, parſimonia, frugalitate, rerum adminiſtrandarum ſcientia, & dexteritate ad neceſſarias opes, & rerum tuendarum facultatem reuocaſſet. Nihil vnquam quod ad victum liberalem, ad copiam rei familiaris, ad cultum miniſteriorum, ad principalis nominis ſplendorem, & dignitatem pertinuerit, deſideratum eſt in hac aula; nihil maligne præbitum in vſus honeſtos, ac neceſſarios, nihil ſordide, atq; illiberaliter diſpenſatum Sed neq; lenocinia vlla habuit iſta Domus, nihil nugarum in familia, nihil parum neceſſarij, atq; inepti ſumptus, ſed vt ad frugalitatem cuncta inſtituta erant, ita ad honeſtum & liberalem vſum ſatis comparata. Hæc

ex integra oratione quam à docti auctoris manu autographam mihi R. P. Christophorus Brovverus nostræ Societatis presbyter communicauit pauca delibaui, vt & tu familiæ tuæ, maximeq; Propatrui Richardi Principis incomparabilis instituta pluribus in monumentis legas, & si quis parallela more Plutarchi scribere desideret, te habeat ex eodem sanguine, quem inclyto presuli componat. Nulli enim tua in subditos fides ac caritas ignota. In variis & arduis Diœceseon Moguntinę & Wormatiẽsis negociis, in comitijs Imperij Pragensibus, Francofurtensibus, Ratisbonensibus, etiam Augusto est, & principibus laudata, prudentia, moderatio, constantia. Norunt omnes domi tuæ liberalitatem, splendorem, copiam, ita frugalitate, modestia, continentia contemperatam,

vt Richardiano more, præceptisque institutam dubitare nec inuidi possint: sed dicent hęc posteri, cum supra inuidiam erit tua virtus, & extra periculum felicitas, quam æternam tibi, tuisque ex animo precor. Moguntiæ ex seminario Archiepiscopali, anno millesimo sexcentesimo, quarto decimo.

Idibus Iulijs.

APPROBATIO R.P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ RHENANÆ SOCIETATIS IESV.



ANC defensionem trium Librorum Reuerendissimi & Illustrissimi ROBERTI Cardinalis BELLARMINI, De Peccato in genere, De Causa Peccati, De Peccato primi hominis, *à P. ADAMO CONTZEN Societatis nostræ Theologo conscriptam, atque à deputatis ad id Theologis lectam & approbatam, Ego HENRICVS SCHERENVS, Societatis IESV apud Rhenum Prouincialis, concessa mihi potestate ab Admodum R. P. N. CLAVDIO AQVAVIVA, Societatis nostræ Præposito Generali, Typis mandari permitto. Moguntiæ, die 11. Iunij Anno* 1614.

Henricus Scherenus.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM LIBRI PRIMI.

CAP. I. De peccati definitione.
II. Peccati partitiones.
III. De discrimine peccati mortalis.
IV. Referuntur sententiæ hæreticorum.
V. Refellitur sententia Iouiniani & Pelagij.
VI. Diluuntur obiectiones Pelagianorum.
VII. Refellitur error Ioannis VVicleffi, & Ioannis Caluini.
VIII. Refellitur error Lutheranorum.
IX. Peccatum veniale natura sua distingui à mortali ostenditur ex scripturis.
X. Idem ostenditur ex traditione Ecclesiæ & Patrum.
XI. Idem probatur ex ratione.
XII. Diluuntur obiectiones ex scripturis.
XIII. Soluuntur obiectiones ex patribus,
XIV. Diluuntur obiectiones ex naturali ratione.

LIBRI SECVNDI.

I. De erroribus circa primariam causam peccati.
II. Explicatur status quæstionis.
III. Sententia Zvvinglij, Caluini, & Bezæ ex verbis ipsorum in medium adducitur.
IV. Ex sententia Zvvinglij, Caluini, & Bezæ recte colligi Deum esse auctorem peccatorum, quæ à nobis fiunt.
V. Ex Zuinglij, Caluini, & Bezæ sententia sequi, Deum vere ac proprie peccare.
VI. Ex doctrina Caluini, Zuinglij, Bezæ, & similium colligi Deum solum vere peccare, non autem homines.
VII. Ex doctrina Zuinglij, Caluini & Bezæ, non male colligi, nihil esse peccatum, nisi falsam opinionem, vt volunt Libertini.
VIII. Probatur ex diuinis literis, Deum nec peccare, nec esse peccati auctorem.
IX. Probatur testimoniis patrum Deum non esse peccati auctorem.

X. Eadem

X. *Eadem veritas rationibus comprobatur.*
XI. *Refelluntur obiectiones deprompta ex diuinis literis.*
XII. *Soluuntur obiectiones ex aliis testimoniis scripturæ.*
XIII. *Soluuntur obiectiones ex aliis scripturæ locis.*
XIV. *Soluuntur obiectiones ex scripturæ testimoniis petitæ.*
XV. *Explicantur alia scripturæ testimonia.*
XVI. *Explicantur loca aliquot S. Augustini, quæ in speciem fauere videntur aduersariis.*
XVII. *Soluuntur obiectiones ductæ ex ratione.*
XVIII. *Soluitur obiectio, quæ à Theologis proponi solet veritatis explicandæ gratia.*

LIBRI TERTII.

CAP. I. *De tentatione, quæ peccatum primorum parentum præcessit, quodque primi parentes vere peccauerint.*
II. *Cur Deus permiserit tentari hominem, quem sciebat casurum.*
III. *De serpente, qui Heuam seduxit, quod verus & naturalis fuerit serpens, quodq; per eum diabolus sit loquutus.*
IV. *Primum peccatum parentum primorum fuisse superbiã.*
V. *Soluuntur obiectiones, & explicatur, quæ fuerit superbia primorum hominum.*
VI. *Primos parentes amisisse fidem, & quæ fuerit eorum infidelitas.*
VII. *Adamum proprie non fuisse seductum.*
VIII. *Primum Adami peccatum non potuisse esse veniale.*
IX. *Peccatum Adami grauius fuisse, quam peccatum Heuæ.*
X. *Peccatum primi hominis aliquo modo peccatorum omnium grauißimum, non tamen absolute.*
XI. *De pœna primi peccati.*
XII. *De pœnitentia & salute primorum hominum.*

FACVL-

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS
PROVINCIÆ RHENANÆ SOCIETATIS IESV.



VM Sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto, omnibus & singulis Typographis, & Bibliopolis, ac aliis quamcunq; librariam negotiationem exercentibus serio firmiterque inhibeatur, ne quisquam vllos libros à nostris Patribus hactenus editos vel in posterum edendos, intra S. R. Imperij, Regnorum, & Dominiorum suæ Cæsareæ Maiestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam, seu palam, citra iudicium ac testimonium supradictorum Patrum audeat vel præsumat: Concedo ego HENRICVS SCHERENVS Societatis IESV per Rheni Prouinciam Præpositus Prouincialis (potestate mihi ad id factâ ab admodum Reuerendo P. N. Generali CLAVDIO AQVAVIVA) IOANNI ALBINO MOGVNTINO Typographo facultatem excudendi defensionem trium Librorum Reuerendissimi & Illustrissimi ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI, *De Peccato in genere, De causa peccati, De Peccato primi hominis*, à Patre ADAMO CONTZEN, Societatis nostræ Theologo conscriptam, atque à deputatis ad id Theologis lectam, & approbatam. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum, & Sigillo munitum dare voluimus. Moguntiæ die 11. Iunij Anno 1614.

Henricus Scherenus.

CRVDE-



CRVDELITAS CALVINISTICA.

DEFENSIO LIBRI I.

DE AMISSIONE GRATIAE ET STATV PECCATI,

QVI EST DE PECCATO IN GENERE;

A REVERENDISSIMO ET ILLVſtriſsimo S. R. E. Cardinale

ROBERTO BELLARMINO conſcripti.



Egina Ilienſis perditis rebus, exciſa patria, verſo in rabiem dolore, *Pareš maledicentiâ.*

Perdidit infelix hominis, poſt omnia formam,
Externaſq; novo latratu terruit auras.

Caninos illam in artus, affectusque tranformatam, quod paſsim obuios maledicentiâ, conuitiisque, ærumnoſa latratrix inceſſeret, vetuſtas finxit. Monſtra illa, quæ priſcis ſæculis fabulæ fuerunt, utcunque ex vero, noſtrorum temporum

retulêre mores. Ecce tibi ſub oris humani figurâ, iterum latrator Sileſius, cum veritati ſolidæ dentem infringere reformidet, euanido ululatu perſonat, & Illuſtriſsimum Cardinalem Robertum pro veritate ſtantem, cauillis, calumniiſque, & contumeliis inquietat, tantâ amarulentiâ, ut collegas ſuos longo poſt ſe interuallo relinquat, & ſeipſum indies vincat, creſcit cum libro nocendi rabioſus ardor, & ritu corporum natiuâ grauitate ruentium, ſeque ſuo impetu concitantium, eundo, cadendoque vires acquirit impudentia. Nec mirum eſt, artem quam didicit vnicam, & hactenus factitavit, ad extremum vſque ſpiritum ab eo retineri; at vero malitiam adeo veterem, tam eſſe rudem, id vero terque quaterque mirum eſt. Sed mirum nobis; Domino enim Sabaoth, cordium ſcrutatori, & renum, ſua ratio conſtat, vt permittat juſtiſsimâ ſeueritate, hominem in ſuâ ſuorumque opprobria eſſe loquacem. Magnus ille ſuorum exauditor fidelium, inconſulto furori ſenis loquendi cautionem detraxit, ut hæc dictata, quæ oſcitans hallucinatus eſt, delirium ſomniantis, non iudicium diſputantis eſſe videatur. Cuius rei teſtem, ut in primâ controuerſiâ feci, arbitrumque lectorem do, non beneuolum modo, & orthodoxum, ſed alienum etiam & magiſtri ſui erroribus, necdum emancipatum. Vtriq; vero ſcriptionem meam de largitate domini miſerentis, fore confido ſalutarem, illi ad deponendas, huic ad cauendas hæreſes, auxilia præbituram.

Parei ruditas.

Quo vero preſsius congreſſa, mendacium veritas elidat, & conſpicua ſit victoria, ſententias ita ordinaui, ut primo Illuſtriſsimi Bellarmini, deinde Parei aut verba ipſa, aut fideli brevitate mentem referam: Tertio loco meam defenſionem ſubiungam.

Methodus defenſionis.

De horum librorum titulo.

Sex libros quos contra Pareum defendendus ſuſcipio, Illuſtriſsimus Bellarminus. *De amiſsione gratiæ, ſeu*

seu statu peccati inscripsit. Materiam hunc in modum partitus est.

Libro primo agit *de peccato in genere.*

Secundo *de causa peccati.*

Tertio *de peccato primi hominis.*

Quarto *de peccato originali, an sit? & vnde?*

Quinto de *natura peccati originalis.*

Sexto *de eiusdem pœna.* Nunc aduersarium audiamus.

Pareus paginâ 2.

Titulum his libris præfixit geminum. Prior est *de amissione gratiæ*, improprius: quia rectius *de lapsu, corruptione & miseria hominis* eos indigitasset: & Sophisticus. Gratiam enim rursus intelligit *illud primi hominis supernaturale donum, seu gratiam gratum facientem, vitæ æternæ meritoriam*, quam controversiâ priore refutauimus. *Amissionem* gratiæ intelligit ipsum peccatũ originale, *quod fingit esse lapsum Adami; cum carentia iustitiæ originalis, sine ullâ prauâ qualitate, aut lethali vulnere naturæ, naturalibus omnibus seruatis integris.*

Defensio.

Argumenta scilicet quærenda sunt, quibus friuola illa λογομαχία refutetur. An obsecro in has ineptias incideret, si vel pueriles disciplinas discere, vel vsurpare voluisset? Quid enim contentiosa loquacitas opponit veritati? *Titulus improprius est: quia rectior alius.* Prompta est responsio: Primo, non esse huius illud consectarium. Posset esse ille *rectior*, nec hic *improprius.* Non si rectior alter titulus, ideo vnus non rectus, multo minus improprius. Secundo, Quos ipse substituit titulos: *De lapsu, corruptione, & miseria hominis*, ne recti quidem sunt, nedum rectiores. Quod in hunc modum conuinco. Aut enim tria illa, *Lapsus, corruptio, miseria* iunctim conficiunt unicum titulum, aut singula seorsum sufficiunt. Non sunt in

Recte titulus à Bellarmino præscriptus.

Tituli Pareani reiecti.

vnum conflanda titulum, inaniter enim esset ille verbosus. Deinde miseria lapsum, & corruptionem continet: omnis lapsus miseria est, & omnis corruptio, miseria. Tertio ipse se redarguit, in Catechesi Haidelbergensi ubi mirifica titulorum series hanc cauillationem plane elidit. Nam generalis inscriptio: *de miseria hominis* pag. 28. continet titulos particulares: *De creatione, De imagine Dei in homine, de lapsu,* & *peccato primi hominis. De peccato originali, actuali, libero arbitrio, afflictionibus.* Si igitur *lapsus* & *corruptio* partes sunt *miseriæ*, non conficiunt unicum cum ipsa titulum: esset enim inscriptio similis huic: De *coloribus, candore, & virore*, quam ineptam esse nemo non intelligit, cum in genere species contineatur.

Pareus secum confligit.

At neque singula seorsum sumpta, titulum materiæ respondentem efficiunt. Si enim *Miseria hominis*, argumentum libri est, *lapsus* & *corruptio* esse non possunt, minus enim latè patent quam *miseria*, cuius sunt partes. Si *lapsus* vel *corruptio* tituli sunt recti, non potest esse *miseria*, quæ in catechismo Haidelbergensi, idolo Vrsino-Pareano, ita latè funditur, ut *creationem, imaginem Dei in homine; liberum arbitrium* comprehendat. Imo quod multo absurdius est, *cognitionem redemptoris*, nam Caluinus l. 2. instit. ca. 1. de *lapsu* agit sub titulo de *cognitione redemptoris.* itaque si ille titulus, *De miseria*, non nimis laxus, certe ille, de *lapsu* nimis angustus, aut si hic rei quâ de agitur reciprocus, & adæquatus, priorem necesse est nimis esse laxum. Sibi igitur, & suis totâ hac λογομαχίᾳ aduersarius repugnat.

Denique titulus ille, *de corruptione*, obscurus est, & periculosus. obscurus: quia varia in homine *corruptio*, & nonnulla sine peccato. Corruptio sanè quædam erat in eo, in quo neque species erat, neque decor, de quo iudex iniquus dicebat: *Ecce homo*, licet non

non viderit corruptionem eam, de quâ Dauid ait, *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Periculoſus vero: quia Flacianiſmi ſuſpicionem inijcit, quaſi ipſam hominis eſſentiam in ſcelus ſubſtantialiter deformatam, aut ipſas concupiſcendi potentias mutatas in peccatum, & hominem corruptum in diabolum fingeremus. Valde vrgent Flacciani verbum *corrumpendi*, cum dicitur *corrupta eſt terra, corrupti ſunt*, &c: vt ex eis ſubſtantiarũ per peccatum eſſe factam mutationem aſſerant, à quorum deteſtabili impietate orthodoxos longiſsime abeſſe conuenit, non modo ſanitate ſentiendi, ſed etiam ſobrietate loquẽdi, Pareum vero Flacco fauere alibi oſtendi. *Pareus Flacco fauet.*

Denique *Sophiſticus* non eſt Bellarmini titulus, vt in prima controuerſia oſtendi, & aduerſarii ineptias refelli, ad quæ cum nihil hactenus reſponderit, errorem ſuum agnoſcere probabile eſt.

Pareus pag. 3.

Alter eſt de ſtatu peccati: Verus quidem, ſed parum recte explicatus, & nimis laxus: quia ſtatus peccati, etiam ad ſex libros ſequentes de libero arbitrio extendi debuit, ubi præcipuè diſputabitur, quid in ſtatu peccati circa naturalia, ciuilia, moralia, ſpiritualia valeat liberum arbitrium. Statum igitur peccati intra hoſce ſex libros nimis anguſte coarctauit, vel certe ab hoc titulo ſequentes ſex libros male auulſit Bellarminus. Hæc de titulo.

Defenſio.

In re non magni momenti inuitus lectorem moror, verum cum amarulentus cauillator omnia carpat, Cardinalẽ quaſi puerum qui titulos ſcribere neſciat, contumelioſe traducat, faciendũ mihi eſt, vt lector agnoſcat, in quas ineptias incidant, qui grandes Theologos profeſsi, dialecticen ignorant, & quantũ Bellarmino debeamus, qui eâ methodo res digeſsit, ut ne quidem in his ſecundariis ſine ſtultitiâ poſsit re-

Pareus sibi contradicit. prehendi. Quid enim aduersarius? *Verus est titulus,* & tamen *nimis laxus.* Hoc est, *verus, nec* tamen *verus.* Titulus enim & tractatio æqualibus includi terminis debent, &, ut philosophus loquitur, ἀντιστρέφειν, mutuâ reciprocatione sibi respondere, si enim nimis laxus est, pollicetur igitur inscriptio, quod scriptum non præstat, ideoq; vanus, non *verus* est ille titulus.

An vero titulus ille *nimis laxus*? Dicere hoc Pareus non debet. Fecit enim is ante laxiorem, aut sane non minus angustum: De *miseria hominis.* Sane omne peccatum, & omnis status peccati vera miseria est, & miseria magna nimis. Non tamen miseria omnis peccatum est, aut status peccati. Miseria à redemptore non abfuit, non tamen ille erat in statu peccati.

Sed tamen, inquit, *nimis laxus.* Cur vero? *Quia status peccati etiam ad sex libros de libero arbitrio extendi debuit.*

Hoc mihi si persuasum velis, verba illa pag. 2. *Rectius eos de lapsu, corruptione, & miseria hominis indigitasset,* delenda sunt. Nam æquato gressu & illa sunt eousque extendenda, & extendit Catechismus Haidelbergensis, idolum Ecclesiarum reformatarum, vt vocat Vorstius. Non hoc veritas, sed falsa ratio aduersarii, si recipiatur, ostendit. Si enim argumentum Syllogismo concludamus, orietur ratiocinatio de ruditate Parei, quâ ipse se constringat, non qua dissoluenda nos occupari sit necesse. Ratio eius hæc est: *De quo disputatur quid poßit in statu peccati, ad illud extendi debuit status peccati: de libero arbitrio, quid poßit in statu peccati? disputatur: ad liberum igitur arbitrium extendi debuit status peccati.*

Respondeo, Propositionem hominis esse, qui librum nullum viderit. *Status peccati* ad *liberum arbitrium,* & hoc ad illum extenditur, sunt etenim res inter se connexæ, & tractatione cohærentes, nec tamen illa est earum affinitas ut diuersis libris, titulisq;

vel

vel nequeant, vel non debeant explanari. De libero arbitrio quæritur. Quid in ſtatu gratiæ Euangelicæ, in ſtatu iuſtitiæ originalis, in ſtatu puræ naturæ, in ſtatu gloriæ poſsit. Status peccati ad Chriſti mediatoris officium, iuſtificationem, imputationem, fidem, ſacramenta, ius, iudices, tormenta extenditur, & tamen de his diuerſi libri conſcribuntur, ſine noxa, & reprchenſione auctorum. Quid enim facies Auguſtino Bellarmini Magiſtro, qui in Bellarminum tam es iniquus? ſcripſit ille de *libero arbitrio*, poſtea vero *de peccatorum meritis & remiſsione*, de *natura & gratia*, de *peccato originali*, de *gratia & libero arbitrio*, aliaque quamplurima, ad quæ *liberum extendere*, ſi Pareo credimus, *debuit arbitrium.* In eadem culpa, ſi hic aliquid ſit reprehenſione dignum, ſunt Collegæ Parei, quorum varii de his extant commentarii. Inaniter igitur obliuioſus ſenex balbutit ignoratione inſtitutionum dialecticarum: ſi namque, quid obiectum materiale, quid formale, adæquatum, principale, ſecundarium ſit, quid rem per ſe, quid per accidens in aliqua ſcientia tractari puer didiciſſet, neque nunc ludibrio eſſet lectoribus, neque forte Scaliger de eo dixiſſet, *Cuius oratio nihil habet hominis, qui aliquo literarum guſtu, aut ſenſu communi præditus ſit.*

DE TITVLO LIBRI PRIMI.

De peccato in genere.

Pareus pagina 4.

HIC titulus quam probe reſpondeat libro mox tertium caput docebit, à quo vſque ad finem per capita 12. non de peccato in genere, ſed de peccato Veniali in ſpecie, ad nauſeam vſque diſputabit, quod an ſit lectoribus imponere, nec ne ipſe viderit.

Defenſio.

Præclare reuera & libro titulus, & titulo liber reſpondet.

ſpondet. Definit peccatum Cardinalis, deinde partitur. Ortam ex diuiſione controuerſiam fuſe, ſed vere & erudite diſputat, ſcilicet de peccato veniali, in cœteris conſulto eſt brevior, quia l. 1. c. 1. *De peccato ſe ea tractaturum, quæ ad rem ſuam, hoc eſt controuerſias, quas præ manibus habet, pertinent*, ipſe profitetur. Hoc lectori beneuolo ſatis, inimico Cardinalis ſatis non eſt, qui ſi vel per tranſennam Metaphyſicam Ariſtotelæam, aut interpretem vidiſſet quemuis è triuio, futili cauillo abſtineret.

Partium tractatio ſæpe ad diuiſi in genere diſputationem pertinet.

De ente ut ens eſt, ſeu de ente in genere, agit prima philoſophia, & maximam tamen diſputationis partem impendit ſpeciebus entis, De ſubſtantia, accidente, ente materiali, ſpiritali, creato, increato, finito, infinito cum agit, lectoribus non imponit. Melior etiam eſt cauſa Bellarmini. Diuiditur peccatum in mortale, & veniale. Sitne legitima illa diuiſio cum quæritur, de peccato in genere diſputatur. Huic quæſtioni coniunctæ ſunt iſtæ: An omne peccatum natura ſua ſit mortale? an omni peccato atque adeo minimo pœna æterna debeatur? an omni peccato amicitia cum Deo diſſoluatur? Sitne aliquod peccatum, cuius qui reus ſit, maneat iuſtus? Caluini doctrina eſt omne peccatum natura eſſe mortale. Gratia Dei Veniale. De communiſsimis igitur peccati affectionibus, ipſaque eſſentia controuertitur; ad tractatum igitur de peccato in genere noſtra diſputatio pertinet. Sed quid inuidum calumniatorem ego doceo, qui quod in Cardinale vocat impoſturam, ipſe in ſuo Catechiſmo facit. Pag. 47. ita habet.

De peccato in genere.

Pareus ex ſuis coniungitur ſcriptis.

De peccato in genere præcipue quæri ſolet.

1. An ſit? & vnde conſtet peccatum eſſe in mundo, & nobis? 2. Quid ſit? 3. Quotuplex ſit. 4. vnde ſit? & quæ eius cauſa? 5. quæ ſint eius effecta? Deinde à

pag. 50.

pag. 50. de quinque diuisionibus disputatur, & nominatim pag. 59. de distinctione vulgari in Mortale, & Veniale, quæ ipse aduersarius ad tractatum de peccato in genere refert. Cur igitur temporis, & famæ prodigus, ait: *Quòd an sit lectoribus imponere, necne ipse viderit.* Vidit plane Cardinalis, vidit lector, tute ipse, quamuis peruersissimis sis oculis iam vides, tuis te auditoribus imponere. Cur enim tractatio *de peccato veniali,* in tuis infelicibus chartis pertineat ad quæstiones *de peccato in genere,* non etiam in libris orthodoxorum, non in Tomis Bellarminianis? An quod Haideilbergæ methodus est, Romæ est impostura? an tu mente magis, quam oculis strabus, quod tibi laudi ducis, in aliis culpas? Quid hûc amice lector, in rebus arduis, vbi controuersiæ cardo vertetur, vbi mendacii precium erit sinceritatis & moderationis allaturum sperabo, qui in re facili, quæque causam non multum iuvet obtenta, cauillandi ardore raptus, famam suam tam leuiter prostituit?

CAPVT I.

1. *Vitii & peccati necessaria distinctio.*
2. *Vitium affectio permanens, peccatum mouens.*
3. *Vitium græcis* Κακία.
4. *Aristoteles 7. de moribus c. 8. expositus.*
5. *Peccati definitio: Peccatum est transgressio legis.*
6. *Aduersarii de Augustino mendacium.*
7. *Definitio: peccatum est dictum &c. defenditur.*
8. *Quid sit substantia peccati?*
9. *Quomodo omne peccatum contra legem æternam?*

10. *Omne peccatum voluntarium.*
11. *Parei nudæ calumniæ, & mendacia.*
12. *An omnis priuatio perfectionis sit peccatum?*
13. *Pareus palam Augustinum oppugnat.*
14. *Peccata ex ignorantiâ etiam sunt voluntaria.*
15. *Voluntas nostra non est regula iustitiæ sed sine ipsa non est peccatum.*
16. *Caluinistica peccati definitio expenditur.*
17. *Illa continet omnes virtutes, ipsamque hominis essentiam.*

DE PECCATI DEFINITIONE.

Bellarminus.

NOn est idem peccatum, & vitium. Peccatum est enim nomen operationis malæ, vitium habitus: id constat ex rebus corporalibus: Vitium curuitati tibiæ, peccatum claudicationi comparatur.

Pareus. pag. 4.

Λογομαχία de discrimine peccati & vitii, nec vera, nec necessaria est. Omne peccatum est vitium, non omne vitium est peccatum, sæpe tamen hæc confunduntur.

Defensio.

Vitii & peccati discrimen.

Ain' vero? omnes Theologi & Philosophi, ne Bellarminus laudetur, sunt λογόμαχοι? Bonum factum: reprehendi Cardinalis non poterat, nisi omnes philosophos, & Theologos eadem censura damnaret. Quis enim eorum, habitus, & inclinationes non distinguit ab actibus? *Vitia*, inquit 4. Thusc. orator, *affectiones sunt manentes, perturbationes autem mouentes, ut non possint affectionum manentium partes esse.* Et: *Huius virtutis cōtraria est vitiositas, sic enim malo, quam malitiā appellare eam, quam græci Κακίαν appellant. Nam malitia certi cuiusdam vitii nomen est, vitiosi-*

vitiositas omnium ex qua agitantur perturbationes. Et paradox. 3. Sequitur igitur vt vitia sint paria, siquidem prauitates animi recte vitia dicuntur, atqui quoniam pares virtutes sunt, recte enim facta quoniam à virtutibus proficiscuntur, paria esse debent. Itemq; peccata quoniam ex vitiis manant, sint æqualia necesse est. Deinde vitiositatem Augustinus crebro vocat peccatum ὁμωνύμως, vitiaque habitus, & procliuitatem peccandi. Discrimen vero est eius, quod peccatū est ὁμωνύμως, & quod κυρίως. Tertio, Tuos saltem audias. Kemnitius Tract. de peccato: *Latina,* inquit, *lingua* habet *talia vocabula. Vitium & malitia, & dicuntur de prauis animi qualitatibus.* Et: *Κακία opponitur virtuti, & significat vitiosum animi habitum.* Hæc ille à nostris & philosophis, mutuatus, & SS. patribus. Denique in virtutibus aliter habitus, aliter actus afficit. Fides, quam habere vos iactatis, iustificat, verum actus eius, non habitus, vt paulo post docebit aduersarius, quid nî igitur in malis illa discrimina cognoscamus?

Bellarminus.

Dicimus vitium esse in equo, quando habet permanentem aliquam qualitatem, ob quam sæpe aut cespitat, aut freno retineri nequit. Sed si casu id accidat semel, atque iterum, non propterea dicitur equus vitiosus. Quocirca recte Aristoteles l. 7. de moribus c. 8. Vitium cōparat Hydropisi, quæ est sitis permanēs.

Pareus pag. 6.

Quod Aristotelē citat ridiculū est, vim vocis latinæ ex græco scriptore probare velle. Nec ad rē, nō enim ille peccatū, & vitium discernit, sed cur intemperās sit incurabilis, incontinens facile curabilis, causam reddit, quia μοχθηρία ἀκολασίας vitiosus intemperantiæ habitus est similis Hydropi, & Phthisi, quæ est morbus permanens, incontinentia vero Epilepsiæ, qua non est peccatum, sed passio transiens.

Defen-

Defensio.

Dicebat, teste, Aristotele, hoc, quod Cardinalis citat, capite, de Milesiis Demodocus. *Milesii non sunt quidem illi stulti, sed tamen eadem faciunt, quæ stulti.* Stultitiæ aduersarium non accuso, cum tamen grande conuitium Cardinali dicere se putat, loquitur aliena prudentiæ, & diserte affirmat, quod, si Aristotelem legit, nouit esse falsum. Nam 1. Vitium esse nomen habitus ex rebus corporalibus probauit Cardinalis, ideo recte ab Aristotele Hydropi ait, comparari. Vitium inquam, non quod latino verbo usus scriptor græcus, sed quia suspicari nemo debuit, hominem esse aliquem, qui Aristotelem vel Ciceronem vidisset, & nesciret tamen, *Vitium esse*, vel *vitiositatem* latinis, quod est græcis Κακία. Est enim Κακία, definitoribus etiam sectariis, *vitiosus animi habitus.*

Vitium idem quod græcis κακία.

2. Ad rem vero vel maxime faciunt verba philosophi. Ἔοικε γὰρ, inquit, ἡ μοχθηρία τῶν νοσημάτων, οἷον ὑδέρῳ, καὶ φθίσει, ἡ δὲ ἀκρασία τοῖς ἐπιληπτικοῖς, ἡ μὲν γὰρ συνεχὴς, ἡ δὲ οὐ συνεχὴς πονηρία. *Similis est malitia, seu vitium, morbis hydropi & phthisi, at vero incontinentia epilepsiæ, illa enim permanens, hæc non permanens nequitia.* Et deinceps: καὶ ὅλως δὲ ἕτερον τὸ γένος ἀκρασίας καὶ κακίας, *& omnino diuersum est genus incontinentiæ, & vitii*, multis denique docet ἀκρασίαν, non esse κακίαν, ἀκρασίας tamen, & ἀκολασίας actiones similes. ἀκρατεῖς *non quidem esse iniustos, facere tamen iniuste. Denique intemperante meliorem esse incontinentem, quia seruet id quod optimum est principium, habitum scilicet continenter agendi.* Ex his quid pro Bellarmino faciat, clarum est. Nequitia intemperantiæ est similis hydropi, quia permanens, ideoque est κακία, vitium, ἀκράτεια incontinentia nō est vitium, quia non est permanens, eaque ex causa incontinens non est vitiosus. Milesii faciunt quæ stulti, nec sunt stulti tamē, non enim ex permanente qualitate. Equus si semel iterum-

iterumque faciat, quod cespitator, non tamen ideo vitiosus est, aut cespitator, vt neque stulti Milesii, etsi facerent, quod solent stulti. Hæc vt nota Bellarminus breuiter attigit, aduersarius nec Bellarminum, nec Aristotelem intellexit.

Bellarminus.

Peccatum ab Augustino definitur, l. 2. de consensu Euangelistarum cap. 4. *Trangreßio legis.* Et 1. Ioan. 3. *Peccatum est iniquitas.* ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Et l. 22. ca. 27. cōtra Faustum. *Dictum vel factum, vel concupitum contra legem æternam.* Prima definitio conuenit peccatis naturæ, & artis, atque adeo est generalissima.

Pareus pag. 6.

Esse generalissimam non est de mente Augustini, nec verum, deinde cōuenit peccato actuali soli, quod proprie est *transgreßio legis.*

Defensio.

De mente Augustini nihil asserit Cardinalis, absolute sumpta definitio latius patet, *quam prauaricatio diuinæ legis, & cælestium inobedictia præceptorum,* Peccare enim est *à regula recedere,* vel vt 3. paradoxo Tullius: Peccare est *tanquam transilire lineas.* Huc omnis transgresio igitur, etiam in artium, naturæque operibus errata referuntur. Sic & ἁμαρτάνειν ἀπὸ τοῦ μὴ μάρπτειν, *quod à scopo aberretur* dicimus, & hebræum חטא ad similem à via, vel scopo discessionem pertinet. *Quid peccare?*

Quod ait; *solum actuale esse proprie transgreßionem legis,* id concedit, quod nemo suorum. Nam sic solum actuale esset proprie peccatum. Quod ex dictis aduersarij & Caluinistarum cōfirmo. Quisquis dat operam peccato, etiam *legem transgreditur*: Nam *peccatum est legis transgreßio.* Legem transgreditur, τὴν ἀνομίαν ποιεῖ, id est, παρανομεῖ, vnde παρανομία, quod hic dicitur ἀνομία, deinde hæc definitio & definitum reciprocantur. Si igitur *omne peccatum est legis transgreßio,* & quidem non ὁμωνύμως vt Augustinus dixit, sed proprie

prie vt Caluinus & Beza, necesse est dicere, habitus prauos transgresſiones esse proprie, si peccata esse dixeris, quorum posterius cum dicat Pareus, negare prius non debuit.

Bellarminus.

Et sanctus Augustinus in libro de perfectione iustitiæ c.4. vitium simile dicit esse curuitati tibiæ, peccatum autem claudicationi.

Pareus pag. 6.

Neque Augustinus, peccatum & vitium, vt actum, & habitum malum distinguit, sed potius peccatum ad vtrumque extendit.

Defensio.

Augustinus vitium & peccatum distinguit.

Audiamus igitur Augustinum. *Iterum* (ait) *quærendum est, quid est peccatum? an actus, an res? si res est, necesse est, vt auctorem habeat, & si auctorem habere dicitur, iam alter præter Deũ rei alicuius auctor induci videbitur: & si hoc dici impium est, confiteri necesse est, peccatum omne actum esse, non rem. Si igitur actus est, imo quia vere actus est, vitari potest. Respondemus,* (inquit Augustinus) *Peccatum quidem actum dici, & esse, non rem. Sed etiam in corpore claudicatio eadem ratione actus est, non res. Quoniam res, pes ipse, vel corpus, vel homo est, qui pede vitiato claudicat, nec tamen vitare potest homo claudicationem, nisi habeat sanatum pedem. Quod etiam in interiore homine fieri potest, sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. ipsum sane vitium, quo claudicat homo, nec pes est, nec corpus, nec ipsa claudicatio; quæ vtiq; non est, quando non ambulat, cum tamen insit vitium, quo fit claudicatio, quando ambulat. Quærat igitur, quod eidem vitio nomen imponat; vtrum rem velit dicere, an actum, an rei potius qualitatem malam, qua deformis actus existit. Sic & in homine interiore animus res est, rapina actus est, auaritia vitium est, &c.* Quod ergo aduersarius dixit mundum est, sine fuco mendacium.

Bel-

Bellarminus.

Definitioné illã: *Peccatum est dictũ, vel factum, vel concupitum contra legem æternam:* Theologi magno plausu receperunt. Duo enim in peccato reperiuntur. Substantia quæ est materiale, & ratio ipsa, quę est formale peccati: vtrunque complexus est Augustinus.

Definitio peccati.

Pareus pag. 7.

Definitionem negligenter descripsit: Augustinus sic. *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam. Facessat à peccato substantia. Rectius dixerit materiale & formale contineri.*

Defensio.

Vtcunque verba captet inimici insectatio, negligentiæ tamen iniuriose Bellarminum accusat. Nam nec in sensu est vlla mutatio, & in 2. sent. dist. 5. cap. 1. modo eodem, ordineque Augustini verba citantur, adeoq; obtinuit vsus, vt in paucis aliter inuenias, quin in Kemnitio, & VVolffgango Musculo eadem citatio, aliisque sectariis non alia ratione scribitur.

De substantia peccati atrox conuitium molitur, simulat timere se, ne Cardinalis Flaccianismum inducat: absiste moueri, tuum est hoc agere. Tuum artificis scelus iam dudum Bellarminiana prouidentia discussit. cum *Materiale* & *Formale* peccati dixit, & *substantiam materiale* vocauit, sed qualem substantiam? Quam ipse definit *actionem voluntariam, vel omissionem.*

Substantia peccati.

Est ne igitur peccatum *substantia*, aut in peccato *substantia*? Non est *substantia*, quæ sit ens per se subsistens, sed *substantia* cui aliud accidit, ipsa actio, cui contingit inordinatio, consule Aristotelem & eius interpretes, Metaph. 4. cap. 4. Varie dici substantiam leges, multasq; vocari substantias non soliditate in se existendi, sed quia aliis quasi accidentib. substant. Sane quo iure Apost. Heb. 11. 1. ὑπόστασιν fidei dixit, eodem Bellarminus in peccatis hoc nomen vsurpauit

Varie substantia dicitur.

vt illud

Substantia gloriæ.

vt illud indicaret, cui ἀνομία ipsa formalis innititur. Constat sane qualitatem ibi vocari hypostasin, neque vllus etiam sectariorum locum illum aliter interpretatur, at ipsæ qualitates Caluinianis sunt peccata, dici ergo possunt hypostases. Deinde 2. Cor. 9. 4. & 11. 18. *substantia*, & *substantia gloriæ*, non est substantia prædicamentalis, sed cui aliud quocunque modo innititur. Calumniandi occasionẽ ex linguæ sanctæ ignoratione habuit aduersarius. nescit enim Hebræis, & Syris עצם esse, omne id quo aliud nititur, & quasi sustentatur, imo ipsam cuiusque rei entitatem, vt etiam exponit R. Dauid in l radicum. Hinc Leu. 23. 14. & Genes. 7. 13. עצם corpus, non est aliqua materiata diei substantia, sed ipse dies, & Apostolo Rom. 6. 6. corpus peccati, est ipsum peccatum, concupiscentia carnis, caro, vetus homo, cui spiritus opponitur, idq; interpretatione etiam ipsius Parei.

Corpus diei, corpus peccati.

Bellarminus.

Non dixit contra *rationem*, sed contra legem æternam, vt comprehenderet omnes leges, & ipsam legum radicem.

Pareus pag. 8.

Falsum est, & ociosum, cur diceret contra rationem, cum ratio non sit norma recti in Theologia? Nec verum est omnes leges positiuas Dei, & hominum esse æternas.

Defensio.

Non *ociosum*: prudentissime Bellarminus monuit, Augustinum à receptissima finitione philosophorum, qua peccatum rebellione contra rationem describunt, recessisse.

Lex æterna continet omnes leges.

Secundo, Non est falsum, quod ait Bellarminus, *definitione Augustini contineri omnem legem*. Falsum est, quod Bellarmino impingit aduersarius, eum dicere: *omnes leges æternas esse*. Lex æterna complexa est omnes leges, non quod omnes æternæ, sed quod æterna radix sit omnium, etiam temporariarum; ideo qui-

quicunque in Dei positiuam, aut magistratus legem committit, violator est legis æternæ, qua leges temporariæ, & iura Magistratibus sunt constituta, idque sanctione diuinæ voluntatis æterna. Hæc adeo perspicue docuit Bellarminus, vt omnem cauillandi ansam aduersario præsciderit. *Siquidem* (inquit) *omnis lex, tum naturalis, tum positiua, tum Dei, tum hominum, ideo est lex, quia congruit, cum lege æternâ, quæ est ipsa Dei ratio summa, ac perfectissima regula, neque est aliud quælibet vera est lex, nisi adumbratio quædam, atque participatio legis æternæ.*

Bellarminus.

Desiderari in hac definitione videtur volũtarium, sed recte omissum est, quia non est contra legem, nisi quod est voluntarium. Non meminit omissionis, quia definitiones debent esse breues, & negatio ex affirmatione colligitur.

Pareus pag. 8.

Duos igitur defectus ipse agnoscit, vnum quod angustior, alterum quod latior sit definito. Plura omissa sunt: ignorantia & dubitatio de Deo in mente, priuatio dilectionis, lætitiæ in Deo, &c. sunt tamen peccata. Imò peccatum originis saltem directe non continetur.

Defensio.

Quænam hæc vertigo? an mentem non habet, an loquitur contra mentem? obiectiones duas contra definitionis integritatem adducit, & soluit Bellarminus, vt definitioné sine defectu doceat esse perfectam. An hoc est defect⁹ agnoscere? Negare defectus, est negare defectus, non agnoscere. iure tamen tuo sic fallere conaris, quia exemplo tuorum. Obiectiones quas dissoluit Scotus, pro eius sententiis Plessæus exscripsit, sed falsi conuictus, in conspectu Henrici Magni, & Illustrissimæ aulæ, erubuit, ægrotauit, latebras quæsiuit, fugit. Tu quid facies? *At plura sunt omissa.* Respondeo, nihil horum non sub definitione com- *calumnia aduersarii.*

prehendi. De ignorantia respondet D. Augustinus: Aliam esse sine vllo peccato, aliam ex peccato, & peccatum. qui enim discere noluit, quod scire oportuit, legem transgressus est. Nolle discere, quod est ex vsu, peccatum est aut contra legem æternam concupiscentis, aut quod velle debuit omittentis.

Ignorantia quæ peccatum?

Dubitationes vero de Deo, aut inuitis, & inculpato nescientibus subito obrepunt, quæ sine culpa sunt. aut voluntariæ & eorum quos aliter affectos esse conueniebat, illæ vero, actus sunt infidelitatis, ideo & in hac definitione.

Dilectionis priuatio duplex.

Priuatio dilectionis, lætitiæ, & similium virtutum duplicem habet considerationem. Est namque priuatio omnis omnino dilectionis, atque adeo à Deo auersio, quæ est inimicorum Dei, adeoque grauissimum scelus. Est deinde priuatio ardentioris dilectionis, vt sit quidem in animo vera Dei dilectio, sed cui ad perfectionem nonnihil desit. Priuatio prior est contra legem æternam, qua Deum diligere iubemur. Altera, peccatum non est. Magna erat caritas eius qui *anathema esse pro fratribus optabat*, addi tamen ad eam aliquid poterat, nec tamen priuatione gradus, qui deerat censebatur peccator, qui dono quod habebat, in conspectu Domini erat iustus. Parentum quoque primorum in originali paritate, primæua caritas, crescere poterat, ideoque feruentioris erat cum ea amoris priuatio, peccatum tamen illa non erat. quin & angeli à primo sui conditu amauere suum creatorem inæquali tamen gradu, ardentius alii, nonnulli remissius. Erat ergo in aliis gradus amoris, quo destituebantur alii, & ardentissime amantium poterat esse inflammatior dilectio, licet à summo abfuisse damnabile non esset: non igitur, nunc peccatum est, cum lex illa: *diliges Dominum Deum tuum*, non alia conditione nos, quam illlos obstringat.

Hactenus Augustinum sub Bellarmini nomine, nunc palam eundem oppugnat. S. Au-

S. Augustinus de vera relig. c. 4.

Peccatum adeo est voluntarium malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. *Peccatum est voluntarium.*

Pareus pag. 9.

Augustinus l. 1. retract. c. 13. de hac additione dubitat, quia vidit sic excludi peccatum originis, quod cum sit hæreditarium, non est voluntarium. Vt ergo hunc nodum expediat Augustinus, dicit: In paruulis, qui rationis arbitrio (Augustinus habet *arbitrio voluntatis*; negligenter descripsit) non vtuntur, peccatum originis non absurde vocari voluntarium, quatenus ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium. *Quod an sit satis solidum in præsens omitto.* *Etiam originale.*

Defensio.

Quod Augustini responsum in præsens omittat callentem laudo prudentiam, euertere non poterat. Quod ait, eum dubitasse de additione, an non sic sit vitiosa definitio. Repræsento verba Augustini, quibus perlectis fidem & frontem Parei quæremus. *Calumnia contra Augustinum discussa.*

Aug. Retractat. lib. 1. cap 13.

Illud autem quod primum fuit, quamuis non moriturum nisi homo peccasset, tamen animale factum est, hoc est in animam viuentem. Et alibi: Vsque adeo, inquam, peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Potest videri falsa hæc definitio. sed si diligenter discutiatur, inuenietur esse verissima; Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam est pœna peccati, sicut superius ostendi, cum quædam commemorarem ex libero tertio de liber arbitrio. Quamuis & illa quæ non immerito non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à nescientibus vel à coactis perpetrantur, non omnino possunt sine voluntate committi: quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntate vtique facit, quod cum faciẽdum non sit, putat esse faciendum.

Et ille qui concupiscente aduersus spiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiscit quidem nolens, & in eo non facit quod vult. Sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, & in eo non facit nisi quod vult, liber scil. iustitiæ, seruusq; peccati. Et illud quod in paruulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non vtantur arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis malâ voluntate cõtractum, factum est quodammodo hæreditarium. Non itaq; falsum est quod dixi: Vsq; adeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.

Capite 15.

Item quod dixi: Nusquam scilicet, nisi in voluntate esse peccatum, possunt Pelagiani pro se dictum putare, propter paruulos, quos ideo negant habere peccatũ, quod eis in baptismate remittatur, quia nondum arbitrio voluntatis vtuntur. Quasi vero peccatum quod eos ex Adã dicimus originaliter trahere, id est reatu eius implicatos & ab hoc pœnæ obnoxios detineri, vsquam esse potuerit nisi in voluntate, quâ voluntate commissum est, quando diuini præcepti est facta transgressio. Potest etiam putari falsa esse ista sententia, qua diximus, Nusquam nisi in voluntate esse peccatum, quia dixit Apostolus: Si autem quod nolo, hoc facio, iam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Hoc. n. peccatum vsq; adeo nõ est in volũtate, vt dicat. Quod nolo, hoc facio. Quomodo ergo nusquã est nisi in voluntate peccatũ? Sed hoc peccatum de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatũ vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est: quandoquidem hoc de concupiscẽtiâ carnis dicitur, quod aperit in consequentib. dicens, Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum: velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non. Perfectio quippe boni est, vt nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine, cui quidem quando bene viuitur, non consentit voluntas: veruntamen non perficit bonum, quia in-

est

est adhuc concupiscentia cui repugnat voluntas: cuius concupiscentiæ reatus in baptismate soluitur, sed infirmitas manet, cui donec sanetur, omnis fidelis qui bene proficit studiosissime reluctatur. Peccatum autem quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipuè intelligendum est, quod iusta damnatio consecuta est. Hoc enim per vnum hominem introiuit in mũdum: quanquã & hoc peccatum quo consentitur peccati concupiscentiæ, non nisi voluntate committitur. Propter hoc & alio loco dixi, Non igitur nisi voluntate peccatur. Itemq; alio loco ipsam voluntatẽ definiui dicẽs: Voluntas est animi motus, cogente nullo ad aliquid vel non admittẽdum vel adipiscẽdum. Quod propterea dictum est, vt hac definitione volens à nolente discerneretur, & sic ad illos referretur intentio, qui primi in paradyso fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente peccando, hoc est libera voluntate peccando, quia & scientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator suasit vt hoc fieret, non coegit. Nam & qui nesciens peccauit, nõ incongruenter nolẽs peccasse dici potest, quamuis & ipse quod nesciens fecit volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quæ voluntas vtiq; sicut definita est, animi motus fuit, nullo cogente, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum. Quod enim nisi voluisset nõ fecisset, non coactus est facere. Quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccauit, nesciens peccatum esse quod fecit: ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati. Quod tamen factum peccatum fuit: hoc enim factum est, quod fieri non debuit. Quisquis autem sciens peccat si potest cogenti ad peccatum sine peccato resistere, nec tamen facit vtique volens peccat: Quoniam qui potest resistere, non cogitur cedere. Qui vero cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta iustitiæ, iam hoc ita peccatum est, vt sit etiam pœna peccati. Quapropter peccatum sine voluntate esse non

posse verissimum est. Itemque definitio peccati quã diximus, Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi, quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere.

Pareus pag. 10.

Fatetur Bellarminus c.3. multa peccata ex ignorantiá & infirmitate admissa, esse mortalia. at hæc impropriè dicuntur voluntaria.

Defensio.

Peccata ignorantiæ & infirmitatis voluntaria.

Recte Augustinus. *Nam & qui nesciens peccauit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamuis, & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum.* Legas censeo D. Thom. 1.2. quæst. 6. artic. 1.2.3.8. Inuenies quæ ignorantia minuat, quæ tollat peccatum, quæ vitiosa, quæ inculpata. Disces multa peccari ignorantia, sed quam pia voluntas superare discendo debuit, ideo & illa voluntaria dicuntur, quia voluntas cum posset, & deberet, cauere noluit, vel quia sunt eorum, quæ peruerse voluit consectaria.

Pareus pag. 10.

Vt iustitiæ, ita peccati regula non voluntas hominum, sed lex Dei. Quicquid homo agit congrue ad legem, iustitia est: quicquid contra, peccatum.

Defensio.

Voluntas non est regula iustitiæ, vel peccati, non tamen est sine illa iustitia vel peccatum.

Non est iustitiæ, vel peccati regula voluntas hominum, sed est effectrix, sine qua regula illa nec seruari, nec transiri potest. Non est ars, aut robur pugilis regula legitimi certaminis, sine his tamen agonothetæ leges nec seruari, nec certamen esse potest. Sine regula veri, & honesti, est hoc aduersarii argumentum. Voluntas non est regula peccati, sine voluntate igitur potest esse peccatum. Intellectus non est regula prudentiæ, sine intellectu ergo potest esse

pru-

prudētia. Quorſum illud? *Quicquid homo agit congrue ad legem, iuſtitia eſt?* An homo inuitus poteſt agere congrue ad legem? an dormiens? an inſanus? Congruentia ad legem de qua nos agimus, non niſi voluntaria eſt, Brutorum in fœtus ſuos affectus, & alia officiis ſimilia humanis, non ſunt congrua legi, de qua loquimur, neque enim legem vel laudabiliter ſeruant, vel culpabiliter violant. Sola eſt illa congruentia liberæ voluntatis, quæ nec legem ſuam non volens tranſilire, nec inuita ſeruare poteſt. Non ſaluat nolentes Deus, ſed volentes, & multos vt ſaluet, facit de nolentibus volentes. *Congruentia ad legem.*

Refellitur & aduerſarius, ex ſua ipſius, quam ſomniat πληροφορία. Fidentiæ illius, qua certo ſalutem ſibi promittit, regula non eſt intelligentia, aut voluntas fiduciantis, nec ſine intelligentia tamen & voluntate certitudo illa commentitia vel fingi poteſt: par vero in peccato ratio. Etſi iuſti & iniuſti regula, non ſit noſtra voluntas, non tamen abſque ea iuſtum aut iniuſtum eſt factum.

Deniqne S. Auguſtini definitionem tum alii, tum VVolffgangus Muſculus vt bonam amplectitur, forte & aduerſarius eam probaret, niſi in Bellarmino omnia reprehendenda putaret.

Pareus pag. 10.

Noſtri doctores plenius, & planius definiunt peccatum, quod ſit defectus, vel inclinatio, vel actio, contra legem Dei, offendens Deum, & ream faciens naturam peccantem æternæ iræ Dei, & mortis, niſi fiat reconciliatio propter filium Dei mediatorem.

Examen Caluinianæ definitionis.

Vitia definitionis præcipue tria. Primum eſt prolixitas, ſed hoc homini definiendi ignaro

condonamus. Alterum, quod quædam non peccata complectatur. Tertium: quod non omne peccatum definiat. Hæc duo excutiamus.

Qualitates nō sunt propriè peccata.

Primo quidem continet, qualitates quæ inclinationes quidem sunt ad peccata, non sunt tamen ipsæ peccata. Qua de causa Augustinus de nuptiis & concupiscentia c. 23. *Modo quodam loquendi* vocat *peccatum concupiscentiam quod & à peccato facta est, & peccatum, si vicerit, facit.*

Virtutum in gradu defectus non sunt peccata.

Secundo continet defectus virtutum, qui nullo modo sunt peccata. Quis enim credat virtutes omnes fidelitatem, omnem cordis sinceritatem, omnes preces, omnia opera fidei, spei, caritatis, ipsum peccati odium, studiumque vitandi mali, quia nondum perfecta sint, esse illo defectu peccata, & quidem mortalia? An etiam minimus in caritate defectus, quo distat à summo gradu est mortalis? An si quis ex caritate tradat corpus suum vt ardeat, is eò peccat ex natura facti mortaliter, quia nondum omnibus est numeris absoluta illa caritas? Sequitur hinc horrenda vitiorum, & virtutum, recteque factorum & scelerum confusio, cœlum miscetur & inferi. Concupiscentia . praui habitus, actiones improbæ pariter sunt peccata errore Caluinistarum, non quatenus naturas sortiuntur, seu realitate essentiarum suarum, sed ἀνομίᾳ seu priuatione congruentiæ ad legem: pari ratione, etsi non pari malitia, peccata dicenda sunt illis virtutes, bonæ ad honesta inclinationes, omnia sanctorum opera, habent enim hæc omnia ad Dei iudicium examinata damnabiles defectus ex eorum sententia, qui ita definiunt peccata, vt in eorum censum virtutes omnes, & recte facta coniiciant, si vel minimum illis desit. Non potest igitur vera esse illa definitio, quæ non modo ea quæ peccata non sunt, sed quæ peccatis διὰ πασῶν repugnant, expresse complectitur.

Tertio: Definitione illa comprehenditur animæ

ipsius

ipsius essentia, atque adeo hominis substantia; at illa peccata non sunt; falsa igitur definitio. Propositio probatur. Aduersarius commentario in Rom. 7. 3. dubio 2. sic argumentatur. *Vt igitur non sequitur: Qui gignit hominem, non est ipse homo, sed contrà: Qui gignit hominem, est ipse etiam homo: Quia vnumquodque gignens gignit sibi simile. Et omne genitum participat naturam sui gignentis: ita minime sequitur: concupiscentia gignit peccatum, ergo non est ipsa peccatum. Sed contra: ergo & ipsa peccatum est. CAVSA ENIM PECCATI PECCATOSA SIT NECESSE EST.* A Flacianismo argumentatio tam bella, nisi per vinum, vel somnium excusari non potest. Cur enim non ita concludam. Anima gignit peccatum, ergo & ipsa peccatum? Homo gignit peccatum, ergo & ipse peccatum? ipsa hominis essentia est causa concupiscentiæ de se manantis; concupiscentia est peccatum, essentia igitur etiam ipsa peccatum? Sequitur etiam illud: liberum innocentis Adami arbitrium gignit peccatum, quo fit nocens, igitur & ipsum est peccatum. Omne genitum participat naturam sui gignentis. Causa peccati peccatosa sit necesse est. Peccatosum igitur Adami liberum arbitrium. At in Adamo antequam peccasset non erat peccatum; fuit igitur peccatum antequam esset peccatum. Neque dicat: Liberum arbitrium innocentis Adami non erat peccatũ, sed peccando factum est, etiam ipsum peccatum, quia factum est causa peccati. Ne ita deliret, hoc enim Flacius dicit. Non erat Adamus ante quam peccaret, peccatum, sed peccando factus est etiam ipse peccatum, causa peccati peccatosa. Deinde illa distinctio temporis, aduersario obstat. ipse sic argumentatur. Concupiscentia gignit peccatum, ergo etiam ipsa peccatum? intellige etiam cum actu non gignit peccatum; in paruulis enim ipsa latens, antequam mater posit esse peccati, verum est ipsa peccatum.

Flacianismum inducit.

catum. Hæc si vera sunt, liberum Adami arbitrium ante omne peccatũ actuale, erat iam, vt etiam Adamus ipse, peccatũ. Imò Deus arbitrii factor, causa peccati peccatosa, & ipse, ex blasphemâ definitione, peccatum. *Verũ non est noua hæc diaboli machina, iam olim illam propugnaculis Ecclesiæ admouit. August. l. 5. cap. 16. contra Iulianum. Contra refers, de ea re quæ à peccato libera est, peccata non nasci, isto modo existimas, te posse destruere originale peccatum, quod non destruit, nisi saluator, quem paruulis inuidetis. Et paulo post: Hac vero sententia tua, qua dixisti, de ea re, quæ à peccato libera est, peccata non nasci, quantum adiuuet Manichæos, voles eam delere de libro tuo, & de corde omnium qui legerunt librum tuum. Si enim non de re quæ à peccato libera est, peccata nascuntur, habent aliam naturam suam secundum Manichæos unde nascantur. & paulo post: De ea re quæ à peccato libera est, dicis peccata non nasci. Sed veritas contradicit, quæ te, & Manichæos euertit, cum quibus tibi vox ista communis est. Angelus quem creauit Deus, res à peccato libera fuit, Homo quem primum creauit Deus, res à peccato libera fuit. De rebus igitur à peccato liberis, nata esse peccata, qui negat, aut Manichæus est manifestus, aut Manichæis suffragatur incautus.* Vlterius etiam se error Caluinistæ porrigit: concupiscentia gignit peccatum, ergo & ipsa peccatum. Tertiò Definitio quam obtrudit in Catechismo Haidelbergensi verbosius exposita complectitur etiam vitia, defectusque naturæ famem, sitim, dolorem, cœcitatem, aliaque vt straborum, balborum, frontonum, labeonum, illa vera peccata non sunt: latius ergo patet definito. Propositio probatur. Catechismus de peccato originali, responsione ad instantiam obiectionis octauæ, ait: *Reprehensionem & pœnam non mereri vitia naturæ, non negligentia, aut malitia accersita, vt si quis à natura, vel morbo, vel ex plaga cœcus factus sit,*

Complectitur natura errata.

non

non vituperio, sed commiseratione dignus est. At vitia malitiosè attracta, quale est vitium originale, omnes iure reprehendunt, Aristotele ibidem testante, cum addit: (l. 3. ethic. c. 5.) Τῷ δὲ τυφλῷ ἐξ οἰνοφλυγίας ἢ ἄλλης ἀκολασίας πᾶς ἂν ἐπιτιμήσαι, *Cœcum autem ex vinolentia, aliaue intemperantia omnes reprehendunt.* Argumentum sic concluditur. Vitia naturæ malitiosè attracta iure reprehenduntur, peccatum Originale est vitium malitiosè attractum, iure igitur reprehenditur. Maior probatur. Quia cœcitas ex vinolentia reprehenditur. Sed hoc argumentum aut peccatum originale euertit, aut omnia naturæ vitia definitioni quam oppugnamus, subijcit. Si enim cœcitas illa sic reprehenditur, vt non sit, quidem ipsa peccatum, sed effectus peccati, vt tota obiurgatio sit vinolentiæ, destruitur Pelagiana ratiocinatione peccatum originale, dicent enim illi: cœcitatem non reprehendi, quia culpa sit, aut malitia, sed quia merita pœna malitiæ, vnde nata est. Et peccatum originale, hoc est, (secundum Caluinistas) prauas qualitates, & bonarum qualitatum priuationes, non esse in se culpabiles, sed ex origine, itaque nec in se peccatum: in eaque reprehendi primi peccatoris inobedientiam, non delictum hæredis. Si verò cœcitas non modo ex peccato est, sed & ipsa peccatum, dicendum ob miserias illas homines Deo abominabiles esse. aut igitur peccatum originale non est alio modo culpa, quam cœcitas, & res proditur Pelagio, Vorstio, Venatori, qui Pelagianis fauent: aut cœcitas est propriè peccatum, & noua hæresis cuditur.

Si interroger, quid aduersarium responsurum existimem, certi nihil respondere possum, nisi eum certi nihil habere, quod sequatur, non enim considerare solet, sed sortiri, quid loquatur. Quid tamen suæ doctrinæ conuenientes respondere debeat non tacebo.

Hoc

An natura defectus vera peccata adversario?

Hoc scilicet: Cœcitatem, surditatem, strabitatem, famem &c. Esse verè, proprieq; peccata, nam sunt, ex hominum actionibus, hoc est, peccatis, orta. Deinde ipsa corporum concupiscentia, omnesque illecebrosę voluptatis motus peccata sunt, ciborum ergo potuumq; appetentia, hoc est fames & sitis eadem conditione sunt; cur enim vis tangendi, eiusque motiones, & delectationes sint in censu peccati, gustandi, audiendi, olfaciendi, videndi facultates, cum suis actionibus exciperentur? Mortaliter igitur Lazarus non modo esuriendo peccabat, sed esuritionis etiam potentiam habendo, si quando non esuriebat, nec ideo non mortalis erat culpa, qui nolentis erat fames, cum Sancti concupiscentialis inobendientiæ subitos motus, multo dolentius, quam ille penuriam, ferant, nec tamen ideo, etsi leuius, non peccent mortaliter. Tandem Heshusium inimicissimum suis, maiore odio Bellarmini defendit, seque toto hoc capite oppugnasse Augustinum demonstrat, cum eius definitionem vitiosam, & ipsum Pontificiis in hoc errore consensisse concedit.

CAPVT II.

1. *Diuisio peccatorum in Carnalia & spiritalia defenditur.*
2. *Distinctio peccatorum ab obiectis propria est.*
3. *Locus 2. Cor. 7. 1. exponitur.*
4. *Augustinus agnoscit peccata spiritalia.*
5. *Ea homines faciunt diabolo similes.*
6. *Flagitium & facinus.*
7. *Commissionis & omissionis peccata ex quibus legibus.*
8. *Letalia & mortalia eadem.*

9. *Venialia non auertunt à Deo.*
10. *Facilius remittuntur, non tamen nisi per sanguinem Christi.*
11. *Diuisio peccati in mortale, & veniale est analogi in analogata.*
12. *Non omnia carnalia peccata, vel spiritalia sunt mortalia.*

Peccati partitiones.

Bellarminus.

QVinque sunt peccati partitiones. Prima sumitur ab obiectis, vnde alia sunt spiritalia, alia carnalia. Secunda ab origine, hinc actualia, originalia. Tertia à lege, quæ commissionis, vel omissionis dicuntur. Quarta à læsis, Deo, proximo, nobisipsis. Quinta ex grauitate culparum, vel reatu pœnæ, inde letalia, venialia.

Prima est perfecta partitio, ex apostolo 2. Cor. 7. 1. nam res ad quas peccandi conuertimur, vel sunt aprehensæ sensibus carnis, vel intelligentia. vnde carnalia & spiritalia. illa nos bestiis similes reddunt, hæc dæmonibus. *Peccata carnalia spiritalia.*

Pareus pag. 12.

Ex quinque partitionibus peccati, vix vna est satis vera: Prima impropria, secunda confusa, tertia mutila, quinta falsa. Prima non ab obiectis est, sed subiectis. Deinde 2. Cor. 7. 1. non est distinctio illa peccatorum. Tertiò si sunt carnalia & spiritalia, possent etiam dici corporalia, & animalia. Quartò scriptura nulla peccata dicit spiritalia, qua voce semper in bonam partem vtitur. vnde peccata vocare spiritualia, est peccata non peccata dicere. Quintò, non reddunt nos similes beluis.

luis, vel dæmonibus. Quis beluas peccare audiuit? si non peccant beluæ, quomodo aliquibus peccatis, beluis assimulamur? si peccatis spiritalibus dæmonibus similes reddimur: omnia illa erunt irremissibilia. quia talia sunt omnium dæmonum peccata. Sextò. Carnalia vocat Bellarminus flagitia, spiritualia facinora, aliter Augustinus l. 3. de doctr. Christiana. c. 20. Septimò, Hæc distinctio à Bellarmino reuelata, ambabus ulnis accipienda est, funditus enim quintam euertit.

Defensio.

Primus error. Septē errores. Singulos excuti par est. Ad 1. Impropriā, ait, & verbo nullo probat. Bellarminus propriā esse docuit; Propria enim actionum, habituū, potentiarū distinctio est, quæ sumitur ab obiectis, hæc vero ab obiectis est, non subiectis, vt ignorantia aduersarii mussitat. Nō distinguuntur hæc subiectis, cum in eodem animo vitia sint sæpenumero contraria, auaritia, prodigalitas. Dein nullum nisi in animo facinus, vel flagitium, carnalia ipsa peccata sedem in animo habent, voluntatis enim consensu perfecta sunt, etsi moribundis corporis membris, tanquā instrumentis exerceantur. Ad 2. Est vero 2. Cor. 7. 1. illa distinctio. *Emundemus nos,* inquit, *ab omni inquinamento Carnis & spiritus.* Inquinamenta carnis illa sunt, quæ sensuum, & appetitus illecebris, spiritus, quæ intelligentiæ & voluntatis actibus contrahuntur. Sic Ephes. 2. 3. vocat. *Voluntates carnis & cogitationum.* Nomine *carnis* eo loco partem ἄλογον omnes, etiam sectarii saniores intelligunt? nomine *cogitationum* διανοιῶν, partem rationalem? voluntates itaque sunt effecta istarum partium, quarum duæ species. Sic è contrario. 1. Cor. 7. 34. *Virgo curat ut sit sancta corpore, & spiritu.* Duplici scilicet virtutum prærogatiua placitura Deo. Ad 3. Nollem diuidere in corporalia, & animalia, nam, auctoritate caret illa diuisio, & scripturæ, & SS. Patrum. Deinde Corporalia non sunt

Peccata carnalia & spiritalia.

peccata

peccata, nisi quæ & animalia, non enim inanime cadauer aut truncus peccare potest, si agendi patiendiq; absint facultates, quæ sane ab anima sunt & animales.

Intemperantia etenim ciborum, & libidinum ab animalibus est potentijs, non igitur ab illis separari distinctione debet. Si tamen per corporalia nihil aliud quam carnalia, & per animalia intelligit spiritalia, etsi sententiam non corrumpit, verbis tamen abutitur.

Corporalia & animalia peccata non dicenda.

At. Nulla peccata spiritalia? Disce ex Augustino Tract. 55. in Ioannem verum. *Si quæris*, inquit, *quid missum sit in cor Iudæ, hoc vtiq; vt traderet eum. Missio illa spiritalis suggestio est. Non fit per aurem, sed per cogitationem, ac per hoc non corporaliter, sed spiritaliter; Neq; enim SPIRITALE quod dicitur, SEMPER IN LAVDE accipiendum est. Nouit Apostolus quædã spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, (Eph. 6. 12.) *aduersus quæ nobis colluctationẽ esse testatur.* Exue frontem, & dic Augustino: *Spiritalia semper in laude*, Exue hypocrisin, & dic Paulo nostro: *Spiritalia nequitiæ, sunt nequitiæ non nequitiæ. Hac voce scriptura semper in meliorem partem utitur, non ergo Epistola ad Ephesios est scriptura.* Considera an *Spiritus erroris.* 1. Tim. 4. 1. *Spiritus soporis.* Isaiæ 29. 10. *Spiritus contra Deum tumens.* Iacob. 5. 13. in bonam partem accipiatur à Spiritu Haidelbergensi, spiritu contentioso.

Spiritale non est semper in laude.

Ad 5. *Bestiis similes esse non possumus*? Quorsum illa nugarum pompa, & strepitus? Respondeat Aristoteles l. 3. Ethic. c. 13. *omnium igitur sensuum maximè communis est is sensus, in quo sita est intemperantia: vt merito maledicti loco obyciatur, quia inest nobis, nõ qua homines, sed qua animalia sumus.* Τὸ δὴ τοιούτοις χαίρειν, καὶ μάλιστα ἀγαπᾶν θηριῶδες. *Nam talibus certè gaudere, & vehementius amare Beluinum est.* Bestiales illi motus, quos cum bestijs communes habemus, nos bestijs similes efficiunt. Aurea Hieronymi

Quintum. An homines peccando fiunt similes bestiis.

nymi in c. 4. Oseæ sententia. *Sicut vinum & ebrietas eum, qui biberit mentis impotem facit: ita fornicatio ac voluptas, peruertit sensum, animumq; debilitat, & de rationali homine brutum efficit animal, vt ganeas, & lupanaria, & libidinum lustra sectetur.* Hinc & priscis Epicuri de grege porci; hinc recte ille in sepulchro Sardanapali bouis epitaphium esse iudicauit. Non quòd lutulenta volutatione sus, aut ingluuie peccet taurus, sed quia eo se abijcit flagitiosa hominum libido, vt quod in illis est, natura, in homine sit vitium. Non peccarant illa iumenta insipientia, spiritus Dei tamen comparationem inter homines, & illa constituit. Ps. 48. 13. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Pharisæi similes erant *sepulchris dealbatis*, hypocrisi scilicet, nec tamen sepulchrorum peccata nouimus. Tu de sapientia Haidelbergensi obijce sapientiæ æternæ. Quis vnquam sepulchra peccare audiuit? si non peccant parietes dealbati, quomodo illis similes esse possunt Pharisæi?

Peccata spiritalia faciunt similes diabolo.

Par alterum argumentum de Dæmonibus. *Si similes illis redduntur per peccata spiritalia homines, omnia ergo hominum sunt irremissibilia.* Nodus, cui soluendo, vel machæra Macedonis, vel trecenta Chrysippi volumina laborent. Perinde ac si dicas: Mercurius non est similis Sosiæ, quia habet ille vsque in petaso pinnulas, queis Sosia caret. Ioui torulus aureus inest sub petaso, non igitur est illi similis Amphytruo. Quæ ὅμοια sunt, seu similia, mî bone vir, non sunt omni parte, nec omni modo talia, sed sua habent in similitudine discrimina. Beati olim similes erimus angelis Dei, nec tamen puri spiritus vt illi, sed corporati in regno illo exultabimus. Simile est regnum cœlorum grano Sinapis, Sagenæ, fermento, negociatori, & inter hæc similia, quam sunt multa dissimillima? Quid quod Iudas Ioan. 6. 70. dicitur *diabolus*? Certe

non

non naturæ paritate, sed similitudine malitiæ. alius etiam actor. 13.10. dicitur *filius diaboli*, & Ioan. 8.44. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultus facere*, dominus Iudæis exprobrat, & vnde illa paternitas & filiatio, nisi de peccatis spiritalib⁹? Tu interim Christum, & Apostolos in ius ambulare coge, & attestare, *non esse ulla peccata, quæ nos similes faciant diabolo.*

Audacter etiã obuiam ibis Luthero, & eius asseclis, qui reuera omnes sacramentarios seu Zvinglianos faciunt similes diabolo. Illorum hoc est de vobis elogium, Das sie eingeteüffelte / durchgeteüffelte / ubergeteüffelte Hertzen haben. *Zvinglianos indiabolificata, Perdiabolificata, superdiabolificata, siue supra modum diabolificata corda habere.* An ille timeret dicere vos similes diabolo? hoc nimis dilutum est visum, noua verba, maximæ & identificæ similitudini architectatur.

Ad sextum. Aug. l. 3. de doctrina Christiana c. 10. Eodem quo Cardinalis modo flagitium & facinus distinguit. *Cupiditatem autem voco*, inquit, *motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum, & corpus suum, flagitium vocatur. Quod autem vt alteri noceat, facinus dicitur. Et hæc sunt omnium genera peccatorum, sed flagitia priora sunt. Quæ cum exinaniuerint animum, & ad quandam egestatem perduxerint, in facinora prosilitur, quibus remoueantur impedimenta flagitiorum, aut adiumenta quærantur.* Hic Augustinus, in primis Carnalia peccata vocat flagitia, cœtera, facinora, omnium genera peccatorum se complexum testatur, inter ea maxime vocari solent facinora, quibus nocetur alijs. *Flagitium & facinus.*

Ad septimum in distinctione 5. respondebitur.

Bellarminus.

Altera partitio; Actualia, Originalia. Actualia quæ propria voluntate committimus.

Pareus paginâ 12.

Hæc distinctio primo loco ponenda erat, quia prima & communissima. Definitio illa Actualium non est recta, sic enim voluntaria definienda sunt.

Defensio.

Non ideo primum locum vendicat distinctio, quia prima & communissima ordo disciplinæ sæpe faciliora primis, & notiora communissimis anteponit. Deinde, cum dicit communissimam, prodit inscientiam diuidendi. Cæteræ enim distinctiones Caluinistarum, vt in *peccatum Regnans non regans*. Peccatum *contra conscientiam, non contra conscientiam, Remissibile, Irremissibile*, hæ inquam, si legitimæ sunt distinctiones, tam communes esse debent, quam illa, quam dicit esse communissimam. Omnes æquabili reciprocatione respondere debent diuiso, omnes ergo inter se æquales sunt, quia æquales vni tertio.

Definitio actualium, plane est voluntariorum. *Non enim* (vt inquit August. l. 12. c. 2. de ciuit. Dei) *quisquã de vitiis naturalibus, sed de voluntariis pœnas luit.* Verum negligẽter legit Bellarminũ, non ait ille *quocunq; modo voluntaria, sed quæ propriâ volũtate cõmittimus.*

Bellarminus.

Tertia partitio est à lege. In peccata Commissionis & Omissionis. Commissionis pugnantia cum lege prohibente; omissionis cum lege imperante. Aug. q. 20. in Leuiticum.

Pareus pag. 12.

Peccata Commissionis. & Omissionis.

Tertia mutila. Potest etiam omissione peccari contra præcepta negantia, vt vitam proximi non seruare. Commissione contra affirmantia, vt maledicere parentibus. Rectius à modo ἀνομίας seu pugnantiæ sumeretur distinctio.

Defensio.

Ille vero *modus pugnantiæ* quidnam est? & si tibi constat, quid sit, dic age vnde sumitur: Nonne à lege? quod

quod si *modus pugnantiæ* est à lege, vnde ipsa *pugnantiarum distinctio* nisi à lege, & *si pugnantiarum* seu ἀνομιῶν distinctio à lege, profecto à lege est distinctio peccatorũ. *Modus* sane *pugnantiæ* in eo est, quod aut fiat, quod lex vetat, aut omittatur, quod iubet. Ideo enim facere est peccare, quia lex vetat facere; & non facere, pariter est peccare, quia lex iubet facere, quod omittitur; crimen igitur, & modus criminis à lege suam habet distinctionem.

Commissio in legem vetantem est, omissio in iubentem.

Deinde semper est commissio contra legem negatiuam, omissio contra affirmatiuam. Exempla aduersarii hoc docent. *Non seruare vitam proximi cum possis*, est contra præceptum, quo iubemur auxilio esse proximis, imo & inimicis. *Parentibus maledicere*, cõtra illud: *Qui maledixerit Patri* &c. Cõtra has leges sunt immediate, ad alias tamen reducũtur. *Maledicere parẽtibus* proprie, & immediate repugnat illi legi. *Parentibus ne maledicito*, hinc speciem sumit. Repugnat & illi: *Honora patrẽ, & matrẽ*; & illi: *Diliges proximũ tuum, sicut teipsum*. Et illi: *Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo*. Sed distinctio ab ea lege, cui proxime & immediatè repugnat, sumitur. Quemadmodum igitur plenissima est legis diuisio in iubentem, & vetantem, ita & hinc sumptum peccatorum discrimen ex æquo aduersatur legi vel iubenti, vel vetanti.

Rationem comprobant definitiones philosophorũ. *Lex est regula agendorum, vel omittendorum. Est præceptio recti, praviq; depulsio*, quas aduersarij collegæ etiã recipiunt, quibus proinde cõtradicit Pareus. certe Piscator loco 7 de peccatis. *Commissionis*, inquit, *peccatũ quo committitur aliquid in lege prohibitum. Omissionis quo omittitur aliquid in lege imperatum*. Qui maledicit parentibus committit aliquid in lege prohibitum: peccat igitur in legem prohibentem, & non seruans vitam proximi, omittit aliquid in lege imperatum, peccat ergo in legem imperantem. Vt mirum sit ad-

 uersarium

uersarium ita in Cardinalem insurgere, vt ne communem quidem, etiam suorum sensum reuereatur.

Bellarminus.

Dicuntur quædam peccata letalia, quædam venialia. *Letalia sunt, quæ hominem plane auertunt à Deo, & quibus pœna debetur æterna. Venialia quæ nonnihil impediunt cursum ad Deum, non tamen ab eo auertunt, & facile expiantur.* Priora dicuntur crimina, posteriora peccata.

Pareus pag. 16.

Cur letalia dicat pro mortalia, non satis diuino, nisi forte vt fucum definitione faciat, vel vt veniale extenuet. Secundo, Definit non mortalia, & venialia. Sed auertentia, & non auertentia. Tertio, Nisi fucum facere vellet, diceret apertè, mortalia esse quibus debetur mors æterna: Venialia quibus debetur venia, seu quæ leuitate sua merentur veniam apud Deum.

Defensio.

Nihil opus hic est diuinatore, sed grammatico, non tripode, non cortina, sed ferula. *Letalia* dixit pro *mortalia.* Quia letum est mors. Letum enim siue est à Leo, vt Priscianus, siue à luo, vt Apulæus, siue à λύθη, vt Festus censuit, nihilo est, quam mors ipsa lętius, leniusue. Idcirco vsurpatione eius dictionis nihil Cardinalis extenuat, nisi Ouidius, cum *Miserabile letum,* Lucretius, cum *Horrida vis leti,* & Virgilius cum *Nodum informis leti* diceret, fucum fecit, vt veniale extenuaret.

Letum mors eadem.

Si meam sententiam quæris; Puerorum est, aut Sciolorum de voculis litigare, *letale* & *mortale* peccatum recte dicimus. *Letale* rectius, est enim *letale*, quod letum adducit, vt ensis, anguis, æstus, vulnus, impetus. *Mortale* est quod mortem adfert, sæpius vero quod morti subiectum est.

Quod de auertentibus nugatur, perquam ridiculum est.

Quid enim? si hominem definias *animal esse rationale,*

nale, hoc eſt, *animal rationale definire?* Et: *Fides eſt fiducia miſericordiæ diuinæ*, hoc eſt, *fiduciam definire non fidem?* *Peccatum regnans* definitis, *cui non reſiſtitur, non regnans cui reſiſtitur*, an hoc eſt peccata quibus *reſiſtitur*, & *quibus non reſiſtitur* definire? Denique non eſt in Bellarmino fucus: Dixit *letale peccatum*, *quod auertit à Deo*, *& cui pœna debetur æterna*. De pœna omittere poterat, comes enim eſt auerſionis, & ſequela criminis, non natura. Addidit tamen, vt pleniore definitione rem exponeret. Animum aduerſarij cernimus. Dixit Bellarminus: *Letale eſt, quod auertit à Deo, & cui pœna debetur æterna.* Aduerſarius vero: *ſi ſine fuco agere voluiſſet, diceret, cui mors debetur æterna.* An aliud eſt pœna, aliud mors æterna? *Calumnia aduerſarii.*

Venialia vero non dicimus, quod veniam mereantur, nulla peccata merentur, operis hoc boni eſt. Sed venialia, quia illis ex natura pœna æterna non debetur.

Pareus pag. 17.

Omnia auertunt à Deo, quatenus omnia Deum offendunt: licet alia grauius, alia leuius; aliter etiam auertunt renatos, aliter non renatos, ad Deum nunquam conuerſos.

Defenſio.

Offendunt Deum, & venialia, nec tamen vt mortalia à Deo auertunt, caritatem & amicitiam è medio non tollunt. Alia offenſio eſt, cum pater amando caſtigat, alia cum vlciſcendo exhæredat. Verum de hoc in ſequentibus.

Pareus pag. 17.

Venialia dicit. 1. quæ non plane à Deo auertunt. 2. Curſum ad Deum impediunt. 3. facili negocio expiantur. Quorum prius eſt ſophiſticum, medium verum quidem, ſed obſcurum, quia Metaphoricum. Tertium falſum, & blaſphemum in ſanguinem filii Dei. Si enim aliqua peccata facili negocio expiantur, falſum eſt,

quod sanguis filij mūdet nos ab omni peccato. Quod Iesus Christus sit expiatio peccatorū totius mundi. Christus deniq; aliquorum peccatorum causa frustra mortuus est.

Defensio.

Prius non esse Sophisticum, auersionis discrimen ostendit. Et vere Augustinus sermone de sanctis, 33. *Illis non occidi animam, sed deformem fieri docet.*

Cursus ad Deū quid?

Deinde Medium non est obscurū. Quis enim ignorat, quid sit cursus ad Deum, ad laudē, ad vitam ęternam? cursus ille non pedum est, sed affectuū. Currēdi verbum profectum in vita spiritali celerem, aut curā, studiumq; proficiendi indicat. Rom. 9. 16. 1. Cor. 9. 24. & 26. Gal. 2. 2. & 5. 7. Phil. 2. 16. 2. Thes. 3. 1. Heb. 12. 1. Non est ergo obscura illa metaphora, nec dici debet obscura ab aduersario, si omnia in sacris scripturis sunt clarissima. Si tamen obscurus est cursus, illustrabit eum B. Augustinus in Psalm. 85. & 118. concione 10. ambulamus cum amamus, Non passibus, sed affectibus currimus.

Etiam leuia remittuntur Christi sanguine.

Tertio. Quæ illa consequentia, facile remittuntur. Non ergo sanguine Christi expiantur? Quicquid eluitur, seu graue sit illud, seu leue, hac sanguinis aspersione mundatur, nulla ne tenuissima quidem culpa sine lytro illo remittitur. Etsi omnia non sine illo precio, non tamen eadem facilitate condonantur, quia non simili venialitate sunt admissa. Non igitur ex sanguine Christi, quod commune est omniū peccatorum lauacrum, in omnium peccatorum dimissione eandem esse difficultatem concludimus; etsi enim absolute ex Dei bonitate, pendeat remissionis facilitas, ea tamen pro culparum varietate est diuersa. Neq; enim omnibus peccatis ex æquo Deus irascitur, grauissimis scil. & leuissimis delictis, nec pari pœnas seueritate decernit. Quis enim credat horrēdam Manassis idololatriā, & innocentiū sanguinem effusum, qui Ierusalem ad frenos vsque equorum impleuit, &

Non eadem in culpis remittēdis facilitas.

risum

risum paulo immoderatiorē Abelis, qui inuito, & reluctāti expressus est, eadē tormentorū atrocitate vindicandū? Grauiora supplicia meruit Dauid alienā, intuendo, adulterādo innocētis mariti sanguine flagitiū suum occultare nitendo, quam B. Stephanus apertis cœlis Christum intuēdo, summâ caritate se morti offerendo, pro lapidatoribus, *Ne statuas illis hoc peccatū.* orādo, licet & hæc S. Stephani, iuxta aduersarij sententiam, fuerint peccata mortalia, ęternis ignib. ex naturâ suâ obnoxia. Grauior ergo in Dauidem quam Stephanum ira Dei; nec æque facilis remissio, vbi tam dispar iniuria. An non facilius increata illa bonitas famulo suo pro gloriâ Christi morienti remitteret tam grādem dilectionē, (quæ Caluinistis ex naturâ peccatū est mortale,) quam regi adultero in corde fidelissimi militis tam grandem iniquitatē? facilius igitur Stephano placatur, quam Dauidi, & maior in vnâ culpâ, quā in aliâ facilitas veniæ, sed facilitas in sanguine agni. At quorsum illa difficultatis in peccato remittēdo æqualitas? Eo scilicet tēdit, vt maxima, minima, mediocria facilimo modo expientur, & laudetur hæresis dicentium: *credo omnia peccata remissa, & remissa sunt.*

Pareus pag. 17.

Thomas 1. 2. q. 88. art. 1. ad 1. fatetur non esse diuisionem generis in species, sed analogi in analogata, quod est obscurum, & varie torqueri potest. Rectius diuidetur in Remißibile & Irremißibile.

Defensio.

Dialecticen discat, aut D. Thom. quem citat, legat, & clara erit illa diuisio, verba D. Tho. Ad primū ergo dicendum, quod diuisio peccati in veniale & mortale, nō est diuisio generis in species, quæ ęqualiter participat rationem generis, sed analogi in ea, de quibus prædicatur secundum prius & posterius: & ideo perfecta ratio peccati, quam Aug. ponit, cōuenit peccato mortali. Peccatū autem veniale, dicitur peccatum secundū

rationem imperfectam, & in ordine ad peccatum mortale: sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam, secundum imperfectam rationem entis. De alia quam obtrudit, suo loco agemus.

Pareus pag. 20.

Nulla peccata Carnalia, vel spiritualia possunt esse venialia natura sua in Dei iudicio. Omnia peccata sunt carnalia, vel spiritalia; nulla igitur venialia. Propositio probatur. Nulla peccata assimilãtia homines beluis, dæmonibus possunt dici venialia natura sua. Pergo: Nulla flagitia, scelera possunt esse venialia natura sua. omnia sunt vel flagitia vel scelera. Hunc arietem si fregeris aduersarius vicerit. Defensio.

Ecce disiecta membra inutilis machinæ, ecce ficulni arietis fragmenta, Propositio falsa, & quod illi probandæ attexitur falsum, & eum pergit admouere arietem impingit, nam & tertium falsum est pronunciatum. Non igitur murum nostrum aries ille umbratilis ferit. Verum arietem nos alia vi præferratum, retro in aduersarii castra conuertamus, & fundamenta perfidiæ quassemus.

Carnalia, & spiritalia peccata possunt esse venialia.

Motus animales subiti, appetentiæ, & sensuum inopini ad voluptatem impulsus, qui rationis sagacitatem, & arbitrium voluntatis anteuertunt, homines reddunt similes bestijs, nec sua tamẽ natura sunt peccata mortalia, non enim mortalitas criminum in similitudine naturarum, aut physicarum actionum, sed in auersione à Deo, quærenda est. Bestiis enim multis rebus, etiã nõ peccatis similes efficimur, esuriẽdo, sitiendo, dormiẽdo, nec mirũ ergo si illis ijsdem etiam paruis, seu venialibus assimilamur peccatis. Cur .n. opus sit grãde malũ esse, quo illis similes efficimur, cum etiã in rebus quæ bonæ sunt, illa similitudo cernatur? Cum vero animus mouetur ira, ambitione, inuidentia, dæmonum peccatis deformatur. Hæc enim talia sola dæmonũ sunt, quorũ natura corporeorũ sensuum

suum expers, eorum nec molestiis percellitur, nec suauitatibus mulcetur, sunt hæc in illis grauia, in animis hominum interdum leuia, non consentiente plenæ deliberationis arbitrio, sunt peccatorum quædam præparamenta, vel inchoationes, & semina, grandia futura si voluntas in re non parua consensum præstiterit. Hallucinatio aduersarii in eo deprehenditur, quod similes nos esse dæmonibus non putet, nisi pari, æquatique cum illis malitia obduremur, nescius enim est inter similitudinem, & æqualitatem quid distet. Minimi roris guttula similis est, sed impar oceano, scintilla similis, sed minor incendio. Minima minimæ inuidentię cogitatio similis est sceleri illius, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Specierum in his conuenientia, non graduum paritas taxatur. Certe similia sunt peccata electorum, & reproborum, & tamen horum non omnia, illorum omnia remittuntur.

Contradicit & auctori suo Caluino; fatetur enim ipse in electis, & reprobris illustrationes, & motus esse quam simillimos, & tamen motus illi electis sunt, vt ipsi dicunt, venialia peccata, reprobis sunt letalia.

CAPVT III.

1. *Quædam peccatorum Venialitas nō Mortalitati, sed malitiæ opponitur.*
2. *Deus peccata ex hominum ignorantia & imbecillitate etiam metitur.*
3. *Peccata ita sanguine Christi expiari, vt non veniat in rationem pænitentia, falsum est.*
4. *Venialia vel natura, vel imperfectione operis.*
5. *Peccatum Veniale ex genere.*
6. *Ex surreptione aliqua esse venialia.*

7. *Venialia ex paruitate materiæ.*
8. *Primorum parentum peccatum cur non Veniale in tam paruâ materiâ.*
9. *Immensitas legislatoris non tollit discrimen peccati venialis & mortalis.*
10. *Qui peccatorum patroni?*

De discrimine peccati Mortalis, & Venialis.

Bellarminus.

Tria genera venialium.

VEniale tribus modis dicitur. Primo, ex ignorantiâ, vel infirmitate; hoc non opponitur mortali simpliciter, sed mortali ex malitiâ. Nam peccata ex ignorantiâ, vel infirmitate sunt sæpe vere mortalia.

Pareus pag. 22.

Mere pro vere scriptum est.

Ludit ὁμωνυμίᾳ Venialis, & aperte secum confligit, dicendo peccata ignorantiæ, sæpe esse mere mortalia, & tamen omnia esse venialia.

Defensio.

Impudens cauillum. Vocem ambiguam distinguit Bellarminus, vt, de quo Veniali sit ipse acturus, constet. Nam quædam peccata naturâ suâ mortaia, dicuntur *Venialia*, non venialitate quæ opposita sit mortalitati, sed quæ malitiæ. Dicuntur tamen Venialia, quia habent aliquid. quod culpæ grauitatem minuat, ignorantiam, vel infirmitatem. De his negat agi Bellarminus. Negatio Petri mortale erat naturâ, mortale & apostasia Iudæ, sed in crimine Petri erat aliqua Venialitas, quæ mendacii & periurii minueret grauitatem, non tolleret mortalitatem. Scilicet ex imbecillitate timor, qui in Iudæ scelere non erat. ergo peccatum hoc & mortale erat, & veniale, diuersâ consideratione. Nec hoc in Bellarmino reprehendi debet,

cum omnia electorum Caluinistæ faciãt naturâ mortalia, venialia per gratiam, sitque illis peccatum idem Veniale & Mortale diuersâ ratione.

Pareus pag. 22.

Deus in Iudicio suo peccata non metitur hominum ignorantiâ, vel infirmitate, sed legis suæ regulâ: anima quæ peccauerit, morietur. Ezech. 18. omnia ergo mortalia.

Defensio.

Falsum hoc esse ostendit Bellarminus ex 1. Tim. 1. fui blasphemus, & persecutor, sed misericordiam cõsecutus sum, quia ignorans feci. Secundo conscientiam suam hic Pareus, non Bellarminum accusat. *Irremissibile,* ait, in explicatione catecheticâ, *peccatum, agnitæ veritatis abnegationem, & oppugnationem, non ex metu, aut infirmitate, sed destinato consilio, & odio veritatis, animoque hostili aduersus eam suscepto, quod peccatum, qui committunt, puniuntur à Deo finaliter. Quia enim singulare genus peccati est, etiam singularis pœna ei infligitur.* Ex ignorantiâ igitur & infirmitate Deus peccata, atque ex odio, & hostili hominum animo metitur. Habet & in actissimâ æternæ iustitiæ libellâ momentum ignorantia, & infirmitas ad veniam, malitiam ad pœnam, atque adeo vt peccatum faciat irremissibile.

Tertio. Imo vero blasphemum est; *Deum ita regulâ iudicii sui metiri peccata,* vt in rationem non veniat ignorantia & infirmitas peccantium. Noua est illa hæresis. Regula quidem est actionum nostrarum lex æterna, sed quæ ipsa in his diuersitatem agnoscit, quæ grauius scienter & malitiose, quam ignoranter, & infirmitate delinquentes obstringit. Normam igitur quam Deus reuelauit Luc. 12.47. teneamus immotam: *Ille autem seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatẽ eius vapulabit multis: qui antẽ non cognouit, & fe-*

In delictis ignorantiæ ratio habetur.

& fecit digna plagis, vapulabit paucis. Ecce ſcientia grauat, ignorantia minuit ſupplicia, atque vt ita fieret æterna regula menſuram illam conſtituit.

Bellarminus.

Secundo. Peccatum Veniale ab euentu dicitur id, quod per pœnitentiam expiatur.

Pareus pag. 23.

Nullum peccatum proprie per pœnitentiam expiatur. Sanguis enim Chriſti filii Dei, purgat nos ab omni peccato. Rurſus igitur ſibi contradicit, vel ludit ὁμωνυμίᾳ, Veniale vocans hic non quod prius definiuit, ſed cuius veniam reſipiſcentes conſequuntur.

Defenſio.

Imo vero & per Chriſti ſanguinem, & per pœnitentiam. An obſecro, Peſtilentioſam in animos Chriſtianorum ratiocinationem induces? ſanguis Chriſti purgat nos ab omni peccato; nullum igitur peccatum expiatur per pœnitentiam. An neque per fidem, neq; caritatem? ſua iam oppugnat aduerſarius, commento ſuo in Roman. 9. dub. 6. *Salutem, ait, Deum operari in electis, non immediato beneplacito, ſed per organa, ſeu media, inter quæ cum ſit etiam fides, recte vtique fides dicitur cauſa inſtrumentalis ſalutis.* Agnociſne illa verba: *At Chriſtus in Euangelio declaratur ſaluator mundi per fidem in ſanguine ſuo.* an non inter illa organa eſt etiam pœnitentia? Sciendum eſt vero lectori veterem quidem Caluini errorem eſſe, ita Chriſti ſanguine nos expiari, vt in rationem non veniant opera vlla, contra expreſſa verba Apoſtoli, qui fidem adiungit, & alia. Idcirco hac in parte à rigido Caluiniſmo multi receſſerunt, Concilij Tridentini aut omnino ſententiam approbantes, aut illi quam Caluino viciniores. Itaque inter cẽtum errores Lubberti hic octogeſimus quintus à Vorſtio numeratur. *Iuſtificamur obediẽtiâ vnius Chriſti, ergo nullo modo obedientiâ noſtrâ.* quam hæreſin & Pareum ſequi argumentatio illius docet. *Purgat*

nos

nos ab omni peccato ſanguis Chriſti; non ergo pœnitentiâ expiantur peccata. Quod reuera non magis ſequitur, quam ſi dicas, vt & Vorſtius notauit: Vnius Chriſti obedientia iuſtificamur; ergo non iuſtificamur fide. Quippe quę & ipſa quędam Euangelii obedientia eſt, & opus bonum in genere ſumptum. Et ſane ſi obedientia Chriſti, quolibet ſenſu, & omni modo, ſeu per omnia cauſarum genera, omneſq; gradus, in hoc negocio ſola vrgenda eſſet, iam non modo fides & obedientia noſtra, ſed ipſa etiam peccatorum remiſsio, ſeu iuſtitiæ imputatio, imo ipſa Dei gratia, & miſericordia hinc excludenda eſſent. Quod abſit. Diſtinčte igitur & circumſpecte, ſingulis cauſis ſua propria vis, & energia ſeu peculiaris cauſandi modus hic attribui debet. Profecto & ſæpe & clare hoc docet Paulus, Rom.3.28. Philip.3.9. itaq; recte nunc ſaniores etiam Caluiniſtæ ſic argumentantur. Fides ſeruat, fides eſt opus, ergo opus ſeruat. Quanquam non recte per omnia ſentiant, nec veritatem teneant, bene tamen falſitatem oppugnant.

Quod iterum de ὁμωνυμίᾳ garrit, mendacium eſt. Aliud genus peccati Venialis, quod à ſua definitione reiiciat, exponit, quod non eſt ὁμωνυμίᾳ ludere, ſed ὁμωνυμίαν diſtinctione tollere.

Bellarminus.

Tertio, peccata Venialia ex natura, & ratione peccati dicuntur ea, quæ non ſunt contraria caritati Dei, & proximi, quæque proprie, & abſolute mortalibus opponuntur. De his controuerſia eſt.

Pareus pag. 23.

Hæc deſcriptio licet fucata ſit, & à priore verbis diuerſa: tamen eodem recidit, & eſt falſa. Nullum enim datur peccatum caritati Dei, & proximi non aliquatenus contrarium: ſiquidem omne peccatum legi, quæ in dilectione Dei, & proximi conſiſtit, contrariatur.

De-

Defensio.

Non est Veniale peccatum caritati contrarium. Cum, inquit D. Tho. 1.2. q. 88. art. 2. *voluntas fertur in aliquid, quod secundum se repugnat caritati, per quam homo ordinatur in vltimum finem, illud peccatum ex suo obiecto habet, quod sit mortale, &c. Quandoque vero voluntas peccantis fertur in id, quod in se continet quandam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei, & proximi. sicut verbum ociosum, risus superfluus, & alia huiusmodi: & talia sunt peccata Venialia ex suo genere.* Cum ergo maneat in his caritas, Spiritus sanctus, coniunctio cum bono incommutabili, non est auersio & inimicitia ex illis peccatis, quæ proprie Dei caritati repugnant.

Bellarminus.

Peccata venialia natura vel operis imperfectione

Venalium ex suâ naturâ duo sunt genera: alia enim ex genere suo sunt Venialia, alia ex imperfectione operis. Ex genere, quorum obiectum est res inordinata, & mala, sed quæ caritati non repugnet. Ex imperfectione operis, cum ex genere essent mortalia, sed sola operis imperfectio efficit, ne talia sint. Eaque duplicia sunt, vel ex subreptione, non enim plene voluntaria: vel ex materiæ paruitate, quale est furtum vnius oboli.

Pareus pag. 25.

Quatuor sunt formæ diuisionum, nominis in significata, generis in species, totius in partes essentiales, & integrales: subiecti in accidentia propria, ad quamnam referemus hæc sophistarum portenta?

Defensio.

Tragœdias, vt aiunt, in nugis. Nos omnia portenta ad tuam *portentosam imperitiam*, vt eâ indigitat Scaliger folio 89. Elenchi, relegamus. illâ se iactent in aulâ, & tu clauso portentorum carcere regnes. De tuis portentis habemus elogium Scaligeri. *Quo quid portento-*

tentosius dici potuisset. Et: *Quid magis portentosum?* Subaudi, delirio Parei. Ite te igitur ad portenta archetypa, omnia sophistarum portenta, minus portenta videbimini, quia Parei portentis nihil, iudice Scaligero, est portentosius. Non tamen eo releganda hæc diuisio. Quam 1.2. q. 88. art. 2. Sanctus Thomas exponit, & magno consensu omnes receperunt. Sed qualis illa distinctio? Non difficilis responsio, si & vicissim ille respondeat. Qualis hæc quam ipsi vsurpant in peccatum *regnans*, & *non regnans*. In peccatum *Remissibile*, & *irremissibile*. Qualis hæc est: omne calidum est tale ex naturâ, vel accidente. Quænam & ista? Omne peccatum mortale, quod altero leuius est, tale est, vel ex naturâ, vel ex imperfectione operis? & : omne quod altero minus ex imperfectione operis, id tale est, vel ex subreptione, vel paruitate materiæ. Omnibus & Philosophis & Theologis, si stoam excipias peccata sunt inæqualia. at vnde alia aliis leuiora? Vel ipso genere, vel imperfectione operis.

Minima homicidii rationem præuertens cogitatio, leuior est cæde patratâ, & destinatâ. Leuior vero ex operis imperfectione, ex subreptione, & furtum oboli leuius furto mille talentum ex paruitate materiæ. Verbum ociosum leuius est contumeliâ, sed ipso genere. Quonam igitur hæc monstra referemus? Ad ea quæ distinguuntur vel κατὰ τὸ γένος, vel quæ sunt talia καθ' αὑτὸ, & quę κατὰ συμβεβηκός.

Pareus pag. 26.

1. *Si Venialia sunt ex genere, quod est illud genus?* 2. *Definitio iungit ἀσύστατα: versari circa rem malam, & caritati non repugnare.* 3. *De ocioso verbo reddenda est ratio, stultiloquium scurrilitas facessere debent, ergo caritati Dei & proximi repugnant.*

De-

Defensio.

Quodnam peccatum veniale ex genere?

Ad 1. Etiamne quærit: *Quodnam peccati ex genere Venialis, sit genus?* Facilis responsio. Genus est peccatum Veniale. Nam peccatum ex genere seu natura sua veniale, est veniale peccatum. Quodnam est genus eius rei, quæ natura, seu ex genere suo est calida? Nonne calidum? & peccati mortalis, quod est ex genere suo leue, quale est Caluinistis minima minimi peccati cogitatio, genus est peccatum mortale. Loquimur autem hic laxius de genere, vt illud omne quod generis in definitione locum obtinet, comprehendamus.

Ad 2. Non omne quod versatur circa rem malam, est contrarium caritati. Nec est contra præceptum necessarium saluti, cuius violatio tollat caritatem, & inimicitiam inter Deum & hominem pariat. De eo agam suo loco copiosius, Nunc argumentum de aduersario mutuabor. Si omne peccatum repugnat caritati, ideoque natura est mortale, ipsa etiam caritas cum sit natura sua, vt Caluinistis placet, peccatũ mortale, caritati contraria est. Et non erit in homine caritas, eo ipso quod in eo sit caritas, natura enim caritatis ita inimica erit sibi ipsi, vt odio sui pereat, quo profecto vt Scaligeri verbis vtar, dici *nihil potest portentosius*, vt à se dissideat illa virtus, quæ omnium est benignissima conciliatrix.

Ad 3. Exigimur rationem venialium omnium, non tamen ideo illa sunt mortalia: Rationem in paruis & magnis constare necesse est. Ad stultiloquia, scurrilitates, turpiloquia quod attinet, vt crebro solent esse mortalia, ita inconsideratis excidere possunt, vt sint Venialia.

Pareus pag. 28.

Ex surreptione Venialia nulla sunt. Nam lege. Non concupisces, motus isti damnantur, & Matth. 5. 22. Vllum vero inuidentiæ motum excusare velle inter bonos viros,

viros, nedum in Dei iudicio scelere, & impietate non vacat.

Defensio.

Augustinus de spir. & lit. cap. 36. *Ad vitam immortalem pertinet vt impleatur præceptum illud: non concupisces, ad præsentem vero pertinet illud, quod est Ecclesiastici* 18. Post concupiscentias tuas non eas. Itaq; negamus & nos motus illos, esse peccata in corpore, & sensibus non consentientis, quemadmodum recte negamus, omnem motum esse peccatum, ita neque concedimus, omnem motum ad peccatum esse peccatum mortale. Verum hac de re, in sequentibus libris agetur.

Pareus.

Primo. Venialia ex paruitate materiæ non sunt Venialia ex imperfectione operis, furtum oboli tam perfectum est, quam decem coronatorum. 2. Peccatum primorum parentum minus esset furto oboli, si paruitas materiæ faceret venialitatem. 3. Non paruitate rei, sed immensitate legislatoris offensionem sui æstimat Deus, sicut non magnitudine, aut paruitate Eleemosynæ, sed animo dantis æstimantur coram Deo. 4. Denique Augustinus furtum pomorum cum lachrymis deprecatur, l. 2. conf. c. 8. 9. 10.

Defensio.

Primum perquam puerile est. Furtum oboli in genere morali multo est imperfectius, quam decem coronatorum, non modo quia multo leuius, sed quia nullo modo tantum damni adfert, vt caritatem lædere, amicitiam dissoluere censeatur.

Venialia ex paruitate materia.

Alterum est insigne in Theologiâ erratum. Consequentiæ probationem exspectamus, quâ enim dialecticâ sequitur: Paruitas materiæ facit Venialitatem, ergo furtum primorum parentum minus fuit furto oboli. Vnde hoc probas? Quia pomum minus obolo. At non dixit Bellarminus: Vbicunque minor est

materia, minus eſſe peccatum, nam ex aliis circumſtantiis potoſt eſſe grauius. Etſi igitur paruitas materiæ per ſe ſemper minuat, aliunde tamen aggrauari poteſt. Furtum coronati vnius minus eſt, quam decem, ſpectatâ in ſe naturâ peccati, grauior tamen culpa eius qui pauperi in graui neceſsitate conſtituto vnum, quam qui opulento decem ſublegit. Sic primorum parentum peccatum etſi in ratione furti fuerit ob paruitatem materiæ non ita graue. aliis tamen ex cauſis fuit grauiſsimum. Quod hoc Syllogiſmo conuinco. & quæro ex aduerſario. An tantum nefas raptus pomi? Reſpondet ipſe Catecheſ. pagin. 43. Sane grauiſsimum: Quia in eo multa horrenda peccata concurrunt. Primo, ſuperbia, ambitio, admiratio ſui, quia homo non contentus ſuâ dignitate, voluit Deo eſſe æqualis. 2. incredulitas, arguebat eum Deum mendacii. Diabolo Adam plus credidit, quam Deo. Deo autem non credere, ſed contra credere diabolo, eſt Deum habere pro non Deo. Imo diabolum ſubſtituere in locum Dei. Hoc fuit ſupra modum horribile peccatum. 3. Contumacia & inobedientia contra Deum. 4. Ingratitudo. 5. ἀστοργία, & neglectus dilectionis erga poſteros. 6. ἀποστασία & defectio manifeſta à Deo. Et paulo poſt: *Non fuit peccatum paruum, ſed grauiſsimum & varium.* Non igitur ſequitur: Si paruitas materiæ facit venialitatem, peccatum primorum parentum fore minus furto oboli, quia aliis ex cauſis pluribus multo grauius eſt furto oboli. Neque enim pueruli dum pomum, aut obolum æqualibus auferunt, ſuperbia, contumacia, apoſtaſia, cæteriſque facinoribus delinquunt, à quibus habet prima culpa parentum vt maior ſit furto oboli, ſit peccatum grauiſsimum & varium.

Deinde peccatum Adami in paradiſo mortale erat, vt veritas docet, furtum oboli quod inconſulto puer com-

committit pariter est mortale, vt error aduersarii habet, Furtum talenti omnino etiam est mortale, & grauius. Ex his ratio in aduersarium ducitur inuicta: ex eius sententiâ, si paruitas materiæ facit paruitatem peccati mortalis, ergo minus est peccatum primorum parentum furto oboli, at paruitas materiæ facit paruitatem peccati mortalis, ergo peccatum primorum parentum est minus furto oboli. Maior est aduersario concedenda. Nam illius iudicio vera est illa consequentia: Si paruitas materiæ facit venialitatem peccati, minus erit primorum parentum peccatū furto oboli. Ergo & hæc vera sit eodem in iudicio, necesse est: si paruitas materiæ facit paruitatem peccati mortalis, minus erit peccatum primorum parentum furto oboli, Vtraque enim consequentia nititur propositione pseudographâ. *Eo minus esse peccatum furti, quo minor est materia*, quod non nisi cum restrictione est verum. Si cætera personarum, & circumstantiarum sint paria. Nihil igitur ratio aduersarii efficit. Nam paruitas materiæ interdum facit paruitatem peccati, vt si ex eodem aceruo auri, alter drachmam, alter talentum auferat. Interdum non facit. Nam si quis militi in Casilinensi, vel Perusinâ fame musculum subducat, grauius delinquet, quam si eiusdem patrimonium occupet, cum proximo tam paruum furtum sit nocentius.

Tertium de animo peccātis, & immensitate legislatoris ambiguum est. Animo sane vt eleemosyna, sic & noxa æstimatur. Inimica voluntas quantum nocere statuit, tantum Dei iudicio nocuit, & amica benignitas dedit, quod dare consensit. Facti enim crimen in malis, & laudem in bonis, habet ipsa voluntas. Sed tamen voluntatis tam crimen, quam laus ex obiecto. Si talenta mille, hic drachmam furari voluit, voluntas æstimatur ex magnitudine & paruitate concepti sceleris, nec ita immensitas legislatoris exæquat *Immensitas Dei non tollit discrimen peccati venialis & mortalis.*

reos, vt non minus mala voluntas sit, quæ denarium rapere voluit, illa quæ expilare ærarium nititur. Eadem in eleemosynis ratio. Laudabilior voluntas, quæ ex paribus opibus, pari conditione centum, quam quæ decem aureos largiri decreuit. Non igitur ex sola legislatoris immensitate crimen æstimatur, & virtus, sed in rationem veniunt animi & res ipsæ, malitia, infirmitas, ignorantia. Immensa illa maiestas, non semper immense offenditur.

Exemplum Augustini ad rem non pertinet, censet ille etiam leuia, non leuiter esse plangéda, non tamen suis lacrymis probat esse mortalia. Deinde Augustini furtum haud leue fuit. l. 2. conf. c. 4. *Nam ego furtum facere volui, & feci, nullâ compulsus egestate, nisi penuriâ, & fastidio iustitiæ, & saginâ iniquitatis*, insolens ergo animus erat, fastidiosus iustitiæ, vt merito grauior culpa censeri debeat. Secundo, nec adeo parua erat materia. *Ad hanc* (arborem inquit) *excutiendam, atque exportandam nequissimi adolescentuli perreximus, nocte intempestâ, & abstulimus inde onera ingentia, non ad nostras epulas, &c.* Tertio, *amauit etiam consortium pariter furantium* c. 8. & 9. & amicitiam in quâ dicitur: *Eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem.* Quarto, grauiter offendebant arboris dominos. *Risus erat titillato corde, quod fallebamus eos, qui hæc à nobis fieri non pu abant, & vehementer nolebant.* Sane hæc omnia coniuncta, merito lacrymas exigebant, vt grauia.

Pareus pag. 29.

Facessant igitur isti venialium patroni, peccatorum incrustatores, animarum venatores, puluinaria axillis consuentes, cœlum, terram, inferos, tartara venalia proponentes.

Defensio.

Qui peccatorum patroni.

Etiam declamas patrone flagitiorum, cuius opinione, scelera Christi sanguis non eluit, sed incrustat,

non

non lauacrum præſtat regenerationis, ſed tectorium eſt nequitiæ? Tu non puluinaria axillis conſuis modo, ſed teneris animulis, quo libentius pereant, plumeos montes, imputationis ſecuritatem ſubſternis, vt cœli, inferorumque ſecuri, & incertæ ſalutis certiſsimi, in profunda ſcelerum, pœnarumque ruant. Non agitur cauſa diuinæ maieſtatis, dum peccatorum, grauitas ſupra verum exaggeratur, deſperatio inducitur, dum omnia dicuntur mortalia non electis, licentia nutritur, dum cuncta venialia, credentibus. Haud neſciuit illud VVolffgangus Muſculus, locis communibus de peccato. *Sed dicet his quiſquam:* (ait) *Nullum igitur peccati genus, nullum etiam crimen, quod homini ſit mortale? Ergo fideles poſſunt, ſine vllo ſalutis detrimento viuere ſecundum carnem, & carnis indulgere affectibus: poſſunt ſecure ſcortari, adulteria committere, eſſe molles, maſculorū concubitores, fures, defraudatores, ebrioſi, conuitiatores, raptores, auari, idololatræ, venefici, ſectarii, æmulatores, inuidi, comeſſatores, percuſſores blaſphemi.* Poſt calumnias, & ambages non negat illos in hiſce ſecuros eſſe, ſed mira vafricie reſpondet. Non poſſe fieri, vt qui vera ſunt fide præditi, ad hunc modū enormiter, impie, ſceleratè, ac deploratè peccent. Nā etiamſi aliquando in graue aliquod peccatū incidant, ſit tamen illud longè diuerſo à carnalibus hominibus, animo, ſtudio, ac modo. Non negat fideles ſuos hæc omnia committere aliquando, & cæteri concedunt, ſed negat eo animo, ſtudio, modo, quo infideles, itaque in illis ſecuri ſunt. hæc eſt enim ratio, cur ſine detrimento ſalutis damnabilia perpetrent. Faciunt iſti illa, ſi Pareus neget, iam totum corpus Caluiniſmi reclamabit. Sed non faciunt enormiter, impiè, ſceleratè, deploratè. Raptores ſunt, ſed non ſceleratè, idololatræ ſunt, ſed non enormiter, blaſphemi ſunt, ſed non impie, percuſſores, ſed non deplorate. Vno verbo ſcelerati, non ſcelerate, impii

Puluini Caluiniſtarum.

incruſtratio ſcelerum.

non impie. Ideo in omnibus illis securi sunt, an non hoc est incrustare peccata? & aterrimis scelerum, gypsatissimæ adulationis tectorium inducere.

Minus tectè & verecundè aduersarius illa flagitia sententiarum euulgar. Commentario in Rom. 5. dub. 1. obiicit. *Vbi peccatum est, ibi condemnatio est, in credentibus peccatum, ergo condemnatio.* Respondet: *Legaliter verum est, omne enim peccatum lege damnatur, & omnes peccatores legaliter sunt rei, Euangelicè verò non item*, & in capit. 7. 3. *Nos legi mortui sumus, lex mortuos non vrget.* Hinc consequitur Euangelicorum legi mortuorum, & Euangelicè viuentium nulla scelera damnari, non modo non pœna æterna, sed ne ira quidem Dei; non enim sceleratè patrant scelera illa nefasque, & longe alio *animo, studio, modo*, quam faciant aliarum religionum peccatores. Explicuit hoc insigne priuilegium noster in Rom. 3. dubio 10 *Execratio legis* (inquit) *significat actiuè, & passiuè, & passiuè quidem significat execrationis pœnam à lege statutam, sed actiuè est vox, seu sententia legis execratione damnantis, seu ipsa lex execrans peccantes. Quid autem est vox legis, nisi vox Dei? & lex execrans nisi Deus execrans? & Deus execrans nisi Deus iratus? & ira Dei? nisi iustitia? execratio igitur actiuè significat iustitiam Dei. Etsi autem vtroque sensu nos redemptos ab execratione dicit Apostolus: tamen primario loquitur de execratione legis, vt est sententia legis, seu vox Dei execrans, secundario vt est execrationis pœna.* Deinde in illud 1. Thess. 1. 10. cum dicimur *liberati ab irâ venturâ, iram non modo metalepticè significare effectum iræ: sed etiam propriè ipsam indignationem Dei propter peccata.* Omnia ergo facientes quæ Musculus enumerat, non modo à pœna, sed à sentẽtia damnatoria à voce Dei, à Deo execrante, ab irato Deo, ab ira Dei, à iustitia Dei sunt liberati, nec in factis modo, sed in proposito faciendi,

endi, in contumaciâ permanendi. Quis Nicolaus, Carpocrates, Manes tantum suis indulsit? Hæc omnia cum fecerint, solum credunt remissa, & remissa sunt. cum aiunt hæc non imputari pœnitentibus, fucus est, puluinare mollissimè fultum, pœnitentia est fides remissionis, & propositum emendationis. Deinde falsum est, nam Belgicæ Ecclesiæ Doctores delicatiores sunt, quam vt pœnitentiam requirant. Lubbertus Sibrandus nuper tam ambitiosè laudatus à nostro: *Resipiscentia non est causa, sed effectus, neq; est antecedens, sed consequens, iustificationis*, ita error eius 44. & 45. *Humanum inquit commentum, Deum nobis decreuisse salutem cum hac conditione, si resipisceremus.* Si humanum est commentum *Deum decreuisse salutem cum hac conditione si resipisceremus*, ergo & humanum commentum est, *Deum conferre salutem si resipiscamus.* Quod enim ab æterno non decreuit, id in tempore non facit. Non decreuit hanc conditionem requirere ad salutem, non igitur requirit. Deindè salutem sine hac conditione absolutè decreuit, confert igitur sine conditione. Si enim absolutè decreuit sine conditione, *si resipisceremus*, nunc vero conferre non vult, nisi positâ conditione *resipiscendi*, non facit quod decretum est. itaque sequentia sunt eiusdem Sibrandi. *Deus seruauit nos non ex operibus nostris*, 2. *Ti.*1. *ergo non seruauit nos ob præcedentem resipiscentiã.* item, *Seruat nos ex suo proposito, Ergo non ob impletam pænitentiæ conditionem*, &c. *Resipiscentia nostra sequitur prædestinationẽ nostrã: Ergo salus nõ est nobis decreta cum conditione resipiscentiæ.* Quo verò tandem hæc euadent? Resp. Vt dicat errore 76. *Falsum est, nos eadẽ cum Christo virtutis & sanctitatis viâ incedere, aut debere, aut posse.* & errore 88. *Deus iustificat impiũ, nõ qui desinit impius esse, sed qui adhuc impi⁹ est.* & errore 89. *Homo nõ agit pœnitentiã antequã iustificatus sit, adeoq; ne potest quidem.* & errore 91. Ex loco Coloss. 2. 13. *Vos*

Mollissimum puluinar.

Caluinistæ sine pœnitentia saluantur.

mortuos in peccatis viuificauit, condonatis vobis peccatis vestris, & recte colligitur, *pœnitentiam non praeire iustificationi; sed impium iustificari, dum adhuc actu impius est*. & errore 92. *Impossibile est impium per pœnitentiam iustificari*. Denique Vorstium damnet dicentem. *Fides viua, & per caritatem operans, quatenus viua, & per caritatem operans fides est, reputatur pro iustitiâ*. Cum Sibrando sentiunt magna pars, & omnes, si erroribus suis consentaneè docere pergant, idē tenere oportebit. Carnalis ergo illa, & omniū scelerū illex, flagitiorum lena est doctrina: altera verò quæ omnes virtutes, & facta heroica in censum peccatorum naturâ mortalium reiicit, plusquam diabolica, cœlum in abyssum profundans, & inferos, supra omne cœlum extollens. Hæc est illa infelix securitas, quam πληροφορίαν cum vocant, nec rem intelligunt, & verbum profanant, cui persuadendæ etiam mendacia adhibenda docet Beza. colloq. Momp. pag. 482. Nam Beza hominem afflictum, & salutis ambiguum, sic consolatur. *Tu de gratia Dei non dubites*, & quomodo non dubitem? *Si sensisti aliquando pœnitentiæ motus*, &c. *hi sunt motus filiorum Dei*, &c. Sed instat Lutheranus. *Si quis autem non sentiat tales motus, quomodo se consolabitur?* Respondet Beza. *Tentato homini dicendum est, solem ortum esse, etiamsi nondum ortus sit*. Describit hominem impium, qui non meminerit bonū vnquam, motum sensisse, sed peccatis inhæsisse, ideo dubitat de salute. Quid huic Beza? *Dicendum illi solem ortum esse, etiamsi nondum ortus sit. Sensurum hunc hominem tales motus aliquando, etsi nunc non sentiat*. Quid verò ille? Bezæ credet, & cœli securus, ruet ad inferos. Tu lector iudica, vtri sint patroni peccatorum, & incrustatores, puluinaria axillis consuentes, cœlum, terram, inferos, tartara venalia proponentes.

πληροφορία. Calumnia nititur mendacio.

Ca-

CAPVT IV.

1. *De diſcrimine peccati venialis & mortalis varij errores.*
2. *Iouinianus ſtoicus.*
3. *Hæreſes Iouiniani.*
4. *ἀνιςορία Parei & mendacia demonſtrantur ex annalibus.*
5. *Nugacitas aduerſarij.*
6. *Caluino ſunt venialia peccata fidelium quia manent in fide.*
7. *Fidem interire poſſe.*
8. *Matth. 24. 24. ſurgent eum pſeudochriſti, &c. & Pſ. 36. 24. Iuſtus ſi ceciderit &c. & 1. Pet. 1. 6. Qui cuſtodimini. &c. & Ierem. 32. 40.*

Variæ ſententiæ de diſcrimine peccati venialis & mortalis.

Bellarminus.

IOuiniano ſunt omnia paria. *Variæ ſententiæ.*

Pelagio omnia mortalia.

VVicleffo omnia reproborum mortalia, electorum venialia.

Luthero omnia peccata, etiam bona opera, mortalia ex natura, venialia ex miſericordia Dei.

Philippo Melanchthoni omnia non renatorum mortalia. In renatis motus non volũtarij venialia, nec excutientia Spiritum ſanctum; voluntarij, mortalia, excutientia Spiritum S. Sic Heshuſius, Magdeburgenſes, Kemnitius.

Caluinus partim Iouinianum ſequitur: Hominem à fide

à fide non posse excidere. Partim VVicleffum; Electorum esse venialia. Partim Lutherum. Vera sententia est naturâ quædam esse Mortalia, quædam venialia.

Pareus pag. 30.

Omnes consentiunt; omnia naturâ esse mortalia, nulla venialia naturâ in iudicio Dei.

Defensio.

Turpis esset ille quidem tam dissentientium hæreticorum Syncretismus, nec ad auctoritatem erroris faceret iam olim damnatorum cum recentioribus conspiratio, verũ non cõuenire docebit Bellarminus.

Pareus pag. 30.

Primò. Etiamsi paria fecisset Iouinianus, non tamen idcirco venialia. Potuit enim omnia venialia dicere. Secundò, forte non dixit paria: cuius rei sunt rationes. 4. Ratio 1. Hunc errorem initio inter quatuor capita non obiicit illi Hieronymus. Ratio 2. Argumentum de paritate gloriæ saluandorum refellit Hieronymus quidem in refutatione capitis quarti, sed in enumeratione argumẽtorum non habet, irrepsit igitur in textum Hieronymi. Ratio 3. Quia Alphonsus à Castro Iouinianum excusat. Ratio 4. Hieronymo & Augustino id asserentibus non credimus. Hieronymus enim intemperanter agit, Augustinus ex rumore de eius erroribus scripsit.

Defensio.

Actio mihi est contra hominẽ in vetustis auctoribus peregrinum, instituẽdus igitur. Alias verbo Cardinalẽ defendere procliue erat: Eũ bonâ fide ex Hieronymo & Augustino retulisse, quod illorũ in monumentis legerat. Si innocens Iouinianus, id sibi quoq; placere. ad fidei articulos non pertinere; Stoicus ne, an Academicus fuerit? Defendẽdi tamẽ Hieronymus & Augustinus, quorum hunc fatuum; illũ calumniatorẽ facit.

Iouinianus Stoicus? Respondeo itaq; ad 1. Sequi ἀντιῤῥήτως. Iouinianus omnia peccata dixit esse paria, omnia igitur dixit esse mortalia. Ratio connexionis, Quædam enim dixit mor-

mortalia, quædam inferorum rea. ergo dixit omnia talia. Constat ex propositione secunda, l. 2. Hieronymi, totaq; eius sententiâ & tractatu. Potuit dicere omnia venialia, sed non dixit. Quid delirauerit, non quid delirare potuerit, quærimus.

Ad 2. Stolida dubitatio, & rationes de portentosâ, quam accusat Scaliger, ἀνισοῤῥίᾳ depromptæ. Quod enim Stoicismi illius inter quatuor capita non meminerit, causa nō fuit, quod eo immunem aduersarium iudicarit, sed quia ille error in alio, qui periculosus erat, & quē primario oppugnādum susceperat cōtinebatur. Nam ex paritate peccatorum & virtutum, meritorum, & retributionis paritatem conficiebat. Et vicissim cum retributionis paritatem ex scripturis asserere laborasset, inferebat hinc virtutū, ac deinde peccatorum paritatem. Clarescunt hæc ex Hier. l. 2. cōtra Iouinianū. *Simulq; miror* (inquit) *quomodo serpens lubricus, & Proteus in variarū se mutet portēta formarū, qui enim in coitu, & saturitate Epicureus est, subitò in retributione meritorū Stoicus efficitur, Hierosolymā Cytio Iudæā Cypro, Christū Zenone cōmutat. Si non licet à virtutib. paululum declinare, & omnia peccata sunt paria &c.* Deindè alię quoq; erant hominis spurcissimi hæreses, vt nostrā rabulā meritò pudere debeat tam flagitiosi clientis. Nam Aug. l. 1. contra Iulian. c. 2. *Hoc de Manichæorū nomine, & crimine faciebat etiā Iouinianus: Negās Mariæ S. etiam Virginitatē.* Nec hoc modo. Negauit etiam *filium Dei carnem suscepisse*, vt testatur de hęres. c. 82. idem Aug. Neq; tamen hæc inter quatuor capita recenset Hiero. Vt verò argumenti sui vanitatem aduersarius agnoscat, legat Synodum Mediolanensem sub Ambrosio collectā, quæ Epistola ad Syricium Pontificē, *in multis eum cum Manichæis conuenire testatur.* Augustino, Ambrosio, toti Concilio obijcit. non est Iouiniani in quatuor capitibus Hieronymi Manetismus, non igitur conueniebat cum Manichæis. *Hæreses Iouiniani.*

Altera

Altera ratio iam soluta est. Insigne verò quod adiungit: *Suspicio est ea verba aliunde irrepsisse.* Nimium tu quidem suspicionibus indulges, sed falsis; cur non potius initio in enumeratione omissa, quam in refutatione addita suspicaris? si fraudem interpolator facere voluit, certè non erat difficilius verba omittere pauca, quam paginas inserere, & paginas eodem stylo, connexu, spiritu. Sed id si suspicarere fallereres quidem, vt soles, sed non esset in rem tuam error. Sed vtcunque res illa tractetur, erroris te arguit Augustinus Epist. 29. ad Hieron. Cuius verba: *Et illud quidem de virtutibus & vitiis, si veraciter dicitur, non est consequens, vt propter hoc omnia peccata sint paria. Nam illud de inseparabilitate virtutum nisi forsitan fallor, tamen si verum memini, quod vix memini; omnibus philosophis, placuit, qui easdem virtutes agendæ vitæ necessarias esse dixerunt. Hoc autem de parilitate peccatorum. Soli Stoici ausi sunt disputare, contra omnem sensum generis humani: quam eorum vanitatem in Iouiniano illo, qui in hac sententia Stoicus erat, in aucupandis autem, & defensandis voluptatibus Epicureus, de scripturis sanctis dilucidissimè conuicisti, in qua tua suauissima & præclarissima disputatione satis euidenter apparuit, non placuisse auctoribus nostris, vel ipsi potius, quæ per eos, locuta est veritati, omnia paria esse peccata.*

ἀντιγραφία aduersarii.

Hinc planissime redarguitur suspicio aduersarij, in textum Hieronymi illa irrepsisse, cum Augustinus scripto suo ad Hieronymum testetur se illa legisse, & Hieronymus Augustini illi ipsi Epistolæ respondeat, neque neget ea à se conscripta. Epistola Hieronymi trigesimo loco ponitur inter Augustinianas. Sententia igitur Cardinalis certissimo testimonio, epistolari veritate nititur, nec sane arbitror vllum boni iudicii hominem, & Patrum lectioni assuetum, hac de re dubitasse.

Tertio.

Tertio. Quod Alphonſi à Caſtro lapſu μνημονικῷ abuteris, non recte facis, cum eo monitus ſententiam tuam corrige.

Quarto. Auguſtinum non vidiſſe libros Iouiniani vnde noſti? vnde conijcis eum de rumore incerto ſcripſiſſe? Auguſtinum illum, cognoſcendarum hæreſeon tam ſancte curioſum, confutandarum tam ſtrenuum? In Italia cum illo ipſo habitantem? *Fatetur*, inquis, *ita Eraſmus*. Grandis ſane auctoritas, cui cedere debeat veritas. *At fatetur*, inquis, *Auguſtinus Iouinianum ſe puero Romæ fuiſſe*. lib. de hæreſ. ca. 28. Ain' vero? Iouinianum ſe puero, ſe, inquam, puero Romæ fuiſſe? Quam cate? quam facili labore mendacium dicit? Verba Auguſtini ſunt: *Iouinianiſtas quoq; apud iſtum ſcriptorem reperi, quos iam noueram. à Iouiniano quodam monacho iſta hæreſis orta eſt, ætate noſtra, CVM ADHVC IVVENES ESSEMVS. Hic omnia peccata ſicut Stoici philoſophi paria eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lauacro regenerationis accepto; nec aliquid prodeſſe ieiunia, vel à cibis aliquibus abſtinentiam, Virginitatem Mariæ deſtruebat, dicens eam pariendo eſſe corruptam. Virginitatem etiam ſanctimonialium, & continentiam ſexus virilis in ſanctis agentibus cœlibem vitam, coniugiorum caſtorum atque fidelium meritis adæquabat.* Auguſtinus igitur Iouinianiſtas ex illo ſcriptore legerat, & iã ante nouerat, & deinde ex ſcriptis Hieronymi plenius, cognouit. Iuuenem Pareus in puerum mutauit, vt Auguſtinum accuſaret.

Hæreſin exorſus eſt Iouinianus anno Domini 382. poſt mortem Limenii Epiſcopi Vercellenſis, vt conſtat ex Epiſtola S. Ambroſij ad illam Eccleſiam.

Anno 384. Roma Mediolanum venit Rhetoricen docturus.

Auguſtinus. In idem ergo pene tempus incidunt initia Iouinianiſtarum & aduentus Auguſtini Romam

mam, & deprehensa est vanitas aduersarij dicentis apud August. esse: *se puero*, erat enim iuuenis, & celeberrimus eloquentiæ professor, non puer. Cum vero se iuuenem fuisse more Romano loquitur, quibus iuuentus ad virilem ætatem porrigebatur.

Anno 385. Augustinus orationem dixit Panegiricam Valentiniano, anno 386. & 387. mansit Mediolani, exagitante S. Ambrosium Iustinâ. August. l. 9. conf. cap. 6. 7. & de ciuitate Dei l. 22. cap. 8. & sermone 39. de diuersis. Item anno 388. ætatis 33. scripsit contra Academicos: l. 3. c. 20. contr. acad. erat tum Catechumenus, l. 1. retract. ca. 1. & 4. circa hoc tempus baptizatus est. Anno 389. mortuâ ad ostia Tiberina matre in Africam nauigauit. Anno 390. celebrata est Mediolani Synodus, quâ damnatus est Iouinianus, Synodum Mediolanensem præcessit Romana, quâ per Siricium à clero Romano idem anathemate percussus est, vt constat ex epistolâ Siricij ad Ecclesiam Mediolanensem. Fuit illa Synodus magna & celebris, vocatis ex Italiâ, Galliâq; Episcopis, præsentib. tribus Apostolicæ Sedis legatis. Damnatus etiam est lege Theodosij data iii non: Septembris: & iussi monachi in solitudine habitare, & sic quidem vrbe pulsus est, sed in hortulis suburbanis hæsit Iouinianus. Tandem anno 412. Honorij rescripto, quod etiam est in codice Theodosiano, contundi plumbo, & cum participibus & ministris in exilium deportari iubetur.

Hinc clarum est ab anno 383. vsq; ad annum 389. Augustinum & Iouinianum partim Romæ, partim Mediolani simul fuisse. Nō igitur hospes erat in rebus Iouiniani Augustinus, maxime cum Ambrosius, eiusque Ecclesia assidue ab homine improbo exagitaretur, quotidianas Augustinus apostasias monachorum, & sanctimonialiū ab impostore seductarū videret, cum cum Ambrosius concionibus oppugnaret, Episcopi quererétur, Imperator eum cōpesceret, anne tūc quidem

dem ei in mentem venit, quærere quid doceret Iouinianus, cum duo in Italia Concilia contra eum cogerentur? certe quid Romæ egerit Stoicus ille Epicurus, narrat Augustin. l.2.retract.c.22. & de nupt: & conc. l.2.c.5. & 23. memorat S. Ambrosium, & catholicos ab eo Manichææ hæreseos accusari. Vnde ergo aduersario ille error? lege Elenchos Scaligeri, inuenies. Forte & ex verbis Augustini non intellectis. *Huic monstro* (Iouiniano) inquit l.2. retr. ca. 22. Augustinus, *sancta Ecclesia, quæ ibi est, fidelissime ac fortissime restitit. Remanserunt autem istæ disputationes eius in quorundam sermunculis, ac susurris, quas palam suadere nullus audebat.* Hinc homines veritatis & historiæ rudes collegerunt Augustinum non nisi sermunculis & susurris de Iouiniano cognouisse. Ignari eum iam senem damnato, pulsoque Iouiniano, de eius reliquijs loqui. At cur tam tarde in eum Ecclesia gladium suum exeruit? Primo spe emendationis, deinde contemptu hominis sordidi, stupidi. Deniq; acerbitate persecutionis Ambrosius, & Ecclesia illa conflictabatur. Grauis hostis, & potens minori inducias præbebat. Hæc de Iouiniano prolixius, vt constet, qua fide, & cognitione historiam aduersarius tractet, & vt melius cognoscat, quis fuerit, quem præfatione in 1. Corinthiacam contra S. Hiero. defendit.

Altera hæresis est Pelagij, de qua eius calumnias suo loco refutabimus.

Tertia est VVicleffi de qua parum sollicitus est.

Quarta Lutheri, cuius opinione, omne bonum opus optime factum est veniale peccatum secundum misericordiam Dei, mortale secundum iustitiam Dei. Hanc ipse approbat, detortis in eam quatuor auctoritatibus, quas quia postea repetet, suo loco exponam.

Bellarminus.

Melanchthon dixit: Discrimen peccati mortalis, & venialis non habere locum in non renatis.

Hoc

Pareus pagina 35.

Hoc non dixit: ſed non neceſſe eſſe id diſcrimen in non renatis quærere.

Defenſio.

Nugacitas aduerſarii. Imo vero, & hoc dixit, & illud. Diſertis quidem verbis. Non eſſe neceſſe id diſcrimẽ in renatis quærere, quæ verba citat Bellarmin⁹. Sentẽtia vero & illud: non eſſe in non renatis hoc diſcrimen. Nam ideo non neceſſe eſt quærere, quia non eſt, & ideo fruſtra quæreretur, vt videtur Melanchthoni, ſi enim eſt hoc in non renatis diſcrimen, omnino quærendum eſt, vt in renatis. Nos enim etiam in non renatis eſſe affirmamus. Deinde quam indigna Theologo contentiuncula. Non dixit, non eſſe, & non eſſe neceſſe quærere? Iniquo etiam iudice conuincam, eas locutiones eadem valere, & aduerſarium quærere nodum in ſcirpo, quod non eſt neceſſe, quia e nodis eſt ſcirpus. Tertio. Negat dixiſſe Melanchthonem, Diſcrimen hoc locum non habere in non renatis. An ergo ſenſit locum habere in non renatis? nullo modo. Arbitratus eſt igitur non habere. Quarto: Melanchthon id diſertis verbis affirmat, quod eum dixiſſe aſſerit Bellarminus, licet non eiſdem. Verba eius: *Sunt igitur in non renatis peccata mortalia, ipſe morbus originis, & omnes vitioſi affectus, & omnes prauæ actiones*; cum omnes dicit, nulla excipit. Deinde, *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, inquit, & probat exemplo Catonis, & concludit: *Omnes eius actiones damnatas eſſe*, itaque omnia mala, bona, magna, parua acta Catonis erant peccata mortalia, iudice Philippo. Sincere igitur & ex fide Bellarminus eius opinionem retulit.

Bellarminus:

Secundo docet, in renatis venialia peccata eſſe motus prauos, qui rationem ita præueniunt, aut rapiunt, vt voluntarij dici non poſsint.

Pareus

Pareus pag. 35.

Calumnia est, non dixit hoc Melanchthon.

Defensio.

Veritas est; non calumnia. Verba Melanchthonis. *Et de iisdem loquitur Ioannes inquiens: Si dicimus nos nō habere peccatum, mēdaces sumus. Loquitur enim de vitiosis motibus in renatis, non de lapsibus eorum, qui contra consciētiam, id est, volentes indulgent prauis affectibus:* agit autem de venialibus, & in Rom. 8. vbi ait, ab Apostolo distingui eorum peccata, qui manent in gratiâ & eorum, qui effundunt gratiam, horum ipse discrimen sumit ex voluntario & inuoluntario. *Tunc ergo,* inquit, *repugnamus, quando cauemus, ne scientes ac volentes assentiamur vitiosis motibus, ac indulgeamus. Et sunt impetus* (in nobis) *multi vitiosi, ac præcurrentes voluntatem, vel simul aliquantisper eam rapiētes, hic si repugnas, nec contra conscientiam obtemperas, retines gratiam, & Spiritum S.* Et. *Poterat Dauid retinere Spiritum S. nisi volens eum excußisset, & volens aluisset incendium in animo ortum.* Et. *Dixi de veniali peccato. Sed cum hi qui fuerunt renati, scientes ac volentes violant legem Dei, vt cum amplectuntur impias opiniones,* &c. *Hæ actiones contra conscientiam, sunt peccata mortalia, quæ admittens, amittit gratiam, fidem, &c.* Cum ergo Philippo illa sola sint venialia, quæ non excutiunt fidem, Spiritum S. &c. & hæc sola sint inuoluntaria, secundum eundem Philippum, sequitur sola inuoluntaria secundum eum esse venialia. Maxime cum mortalia esse eorum qui scientes volentes violant legem Dei, quis nō videt in antithesi dicenda venialia, quæ à non scientibus volentibus admittuntur? Nunc vbi frons dicentis: *Calumnia est, non dixit hoc Philippus?* ibi scilicet, vbi & os dicentis: *Non dixit Philippus mortalia esse omnia, quæ excutiunt fidem, sed propositum peccandi non posse cum fiduciâ misericordiæ Dei consistere.* Falsum enim est. De proposito

Philippo motus inuoluntarii sunt venialia.

sito peccandi, & de peccatis loquitur Philippus. *Hæ actiones, inquit, excutiunt gratiam &c.*

Bellarminus.

Caluini opinione, fidelium electorum peccata sunt venialia, non tam quia electi sunt, quam quia manent in fide.

Pareus pag. 39.

Nusquam tale quid legit in Caluino, nec ex allegatis eius verbis sequitur, verum sensum tamen habere potest.

Defensio.

Verum sensum habere non potest, licet verum sit eam esse Caluini doctrinam. Quod ex aduersario & Caluino probo. Ex aduersario: *Vtiq;,* inquit, Caluinus docet, *peccata sanctorum ex mortalibus fieri venialia, quantum ad Deum, per eius misericordiam; quātum ad sanctos, per eorum resipiscentiā, quæ est ex fide, & cum fide.* Ergo quantum ad sanctos ideo sunt venialia, quia sunt cum fide, seu resipiscunt ex fide, non quia electi sunt, nam illi nondum sunt renati, cum fide carent, peccata habent mortalia. Secundo. Ideo peccata fidelium sunt venialia, quia iustificantur sola fide, vt docet Caluinus Rom. 3. *quia fides est instrumentum Christi recipiendi, quia fides eam, quam Euangelium largitur, iustitiam accipit.* Cal. l. 3. inst. c. 11. §. 18. Ergo quatenus iustificantur fide, quatenus instrumento Christum, & iustitiam recipiunt, eorum peccata sunt venialia, ergo quatenus fideles sunt. Clarissime Caluinus l. 3. inst. c. 4. §. 28. *Cæterum fidelium peccata venialia esse, non quia mortem non mereantur, sed quia Dei misericordia nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo Iesu; quia non imputantur, quia venia delentur.* At quare non imputantur? *Quia sunt in Christo.* Quid est esse in Christo secundum Pareum? *Est fide illi adhærere.* Sunt ergo peccata venialia, *quia fide adhærent Christo,* at fide adhærere Christo manere in fide,

de, venialia igitur sunt, quia manent in fide. Atq; hoc est fundamentum fidei Caluinianæ, quod in Caluino, & Caluinistis legit Bellarminus.

Pareus pag. 40.

Caluinus cum negat fidem interire, non Iouinianum, sed scripturam ducem sequitur. Matth. 24. 24. Psal. 36. 24. 1. Pet. 1. 6. Ierem. 32. 4.

Defensio.

Quid à fratribus vestris vobis responsum sit memoria tenetis. *Hoc neq; in scriptura sacra, neq; in vllo Ecclesiastico scriptore ab illis lectum*, hoc etiam cum verbis Pauli manifestè pugnare, cum inquit: *si secundum carnem vixeritis moriemini, si mori possunt, fidem etiam possunt amittere.* Verum loca scripturæ quæ in suas hæreses detorquent, explicemus.

Matth. 24. 24. *Surgent enim Pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Ergo fides amitti non potest.

Respondeo, non de quouis, sed errore finali loqui Christum, Christum relinquere, hæresin amplecti possunt ad tempus, in ea sine pœnitentia non morientur, nec mori possunt, non absolute, sed posita conditione prædestinationis. Rara tamen est illa electorum defectio, quæ ordinarie est argumentum reprobationis. Si enim absolute non possunt, frustra v. 4. moneret. *Videte ne quis vos seducat.* Promptum namque erat respondere: *seduci non possumus.* Suo tempore in viam redeunt, etiam si peccẽt, ad tempus, quotquot sunt electi, sicut Dauid. Tandem redeunt ad seipsos, & gratia Dei finaliter non excidunt. An vero tu has interpretationes negabis? vt tuorum etiam in te stylum conuertas? Secundo. Contra vtranq; tabulam peccare possunt electi, possunt igitur ad tempus in errorem induci. Et reuera possunt illi electi, sicut & Thomas electus resurrectionem non credebat, multa nõ credere,

Quomodo in errorem non inducantur electi?

quæ sunt credenda, redituri tamen vt Thomas ad Dominum suum, & Deum suum. Tertio. Expositionem tuam cedo. Fides tua duplex est actualis & habitualis, actualis euanescere potest: pag. 74. Habitualis non potest, vt eâdem paginâ persuadere nobis conaris.

An ergo sensus est verborum Christi, Electi actu in errorem induci possunt, credere diabolo, & antichristo, desperare de misericordiâ, idola colere, habitum tamen fidei retinebunt? & in errorem induci est habitum amittere ? Hic de actuali fide & perfidiâ agitur, nam seducent multos pseudoprophetæ, actu scilicet, deinde nolite credere, nolite exire, certe de actu loquitur, actu ergo electi Caluiniani seduci possunt, non enim actualis fides est indelebilis.

Alter locus est Psal. 36. 24. Iustus si ceciderit, non collidetur. Fides igitur amitti non potest. Respondeo nolle me adducere interpretum Caluinistarum verba, qui dicunt *Cum cadit, non deiicitur, ita vt deiectus maneat.* 2. Cor. 4. 9. *At improbi in perpetuum dicuntur deijci.* Ezech. 34. 4. nam à nostris illa acceperunt, & tam clara illis visa est interpretatio, vt corrumpi eam posse diffiderent. Verba Epistolæ Corinthiacæ citata sunt. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur, deijcimur, sed non perimus.

Verba Pauli de tribulationibus & ærumnis fidelium potius agunt, quam peccatis. Verba Dauidis sic etiam interpretatus est D. Augustinus. Contingat illi vt aliquam tribulationem patiatur, aliquam exhonorationem, aliquam contumeliam, aliquam afflictionem, aliqua damna, & cætera, quæcunque abundant in vitâ ista generi humano. Proponit sibi Dominum suum, quanta genera tentationum passus est, & non conturbabitur, cum ceciderit, quia Dominus confirmat manum eius, quia prior passus est.

Tertius locus Petri. Qui custodimini Dei virtute

per

per fidem; ergo electi fidem non amittunt. Respondeo si virtute Dei custodiantur per fidem vsque in vltimum diem, ergo quia in fide viuâ manent, peccata eorum sunt venialia, & si grauiora committant, fidem viuam quoq; amittent. Deinde custodimur non nostris viribus, sed Dei virtute, non per opes, scientiam, robur, sed per fidem, custodimur in diem vltimum, non semper, vt nunquam sauciemur, sed vt ante diem illum sanati, in æternum viuamus.

Quartus locus Ierem. 32.40. Dabo timorem meum in corda eorum, vt nunquam recedant à me. Hoc est: vt mihi perseueranter adhæreant, Augustino interprete, de bono perseuerantiæ cap. 2. Respondeo & Ieremiam & Augustinum à nobis stare. Per Ieremiam enim Dominus promittit, timorem se daturum ne recedant à se, per idololatriam, latrocinia, aliaque eiusmodi flagitia, nam à v. 28. exprobrat illis peccata illa ob quæ tradendi sunt Babylonijs. Deinde, pactum cum Ecclesiâ constituit, fore vt nunquã ita recedant, sed fidelius adhæreant. a v. 38. illa consolatio proponitur, & ad vniuersam Ecclesiam pertinet. Itaq; nunquam recedere, non dicitur de sola fide habituali, quæ sola manet in electis, secundum Pareũ. Euanescente actuali: sed de ecclesiâ gentilium, & Iudæorum futurâ quæ capiti suo arctiús iuncta fuit, quam Israëlitarum, verum hic quoq; Spiritus S. verba corrupit impostura Parei, quod enim est in Propheta *vt non recedant* לבלתי ברך *τοῦ μὴ ἀποστῆναι*, id malâ fide vertit. *Vt nunquam recedant*, cum non nisi finalis, & in damnationem desinens apostasia futura negetur, & posterioris Ecclesiæ tam grauis, quam prioris fuit, defectio. Quomodo perseuerantiam Augustinus accipiat, ipse clarissime scripsit, & nostram expositionem confirmat: *Asserimus enim* (inquit) *donum Dei esse perseuerantiam, quâ vsq; in finem perseueratur in Christo: finem autem dico, quo vita ista finitur, in*

qua tantummodo periculum est ne cadatur; itaque vtrũ quisq; hominum hoc munus acceperit, quandiu hanc vitam ducit, incertũ. & eodem lib. c. 8. ait, *Deum miscuisse electis non perseueraturos, vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi.* Cur *tantummodo in morte periculum est, ne cadatur,* nonne vitę licentia maiora habet, quam mortis necessitas pericula? habet, sed in morte casus est solus perseuerantiæ oppositus, quicquid in vitâ deliquimus, in morte remitti potest, si crimen est in morte, iam perseuerantiâ excidimus. Augustino itaq; perseuerare etiam ille dicitur, qui quamuis sæpè excidit in vitâ, in morte tamen fidei & caritatis constantiam retinet.

Capvt V.

1. *Non omnia peccata esse mortalia.*
2. *Pelagius nullum veniale agnouit.*
3. *Paradoxa Caluino stoica.*
4. *Vanitas aduersarii ad solam scripturam prouocantis.*
5. *Dordracenses negant ex sola scriptura controuersias posse decidi.*
6. *Eorum de norma fidei iudicium.*
7. *Concilia & Patres contra Pareum defenduntur.*

Refellitur sententia Iouiniani & Pelagii.

Bellarminus.

HÆresis eorum, qui penitus discrimen peccati mortalis, & venialis abolent, ex scripturâ refellitur, ex eâ enim constat, quædam peccata penitus tollere iustitiam, quædam minimè. prior pars ab omnibus conceditur, alteram probabo sequentibus.

Pareus

Pareus pag. 42.

1. *Refutat veteres hæreticos, atqui disputationes instituerat contra nouos.* 2. *Iungit* Iouinianum *&* Pelagium, *ante fecerat errores illorum diuersos.* 3. *Neuter illorum necessariò negauit venialia.*

Nō omnia mortalia esse peccata.

Defensio.

Gerræ, gerræ! Non vagatur extra oleas Cardinalis cum veteres hæreses occasione nouarum oppugnat. Prçterea affines veterum & nouorum sunt ex diuersis principijs errores, imò c.4. ipsius aduersarij hęc sunt verba. *Poterat verbo dicere: omnes istos quos perstringit, consentire in hoc: omnia peccata esse mortalia; nulla venialia suâ naturâ in Dei iudicio.* Si Iouinianus & Pelagius veteres cum nouis in eo consentiunt, intra oleas ergo suas illos Bellarminus oppugnat Deniq; quę nouarum hæreseon genimina, veterum soboles sint cognoscere Ecclesiæ interest. Maximè cum Iacobus Reineccius Lutheranus, Caluinistas cōferat Iouinianistis, & Anabaptistis, eâ parte, quâ illi sunt Pelagiani. De Iouiniano antè probaui, eũ quædã dixisse mortalia, ideò omnia talia putasse peccata. Idẽ sensit Pelagius. Omni enim peccato, in omnib. putauit tolli iustitiam, omne ergo mortale putauit. *Non necessariò* hoc dixit, sine peccato enim dixisset, sed dixit liberrimâ, ideò damnabili pertinaciâ.

Bellarminus.

Venialia probantur ex Ps. 31. 6. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus.* & Ps. 98. 8. *Tu propitius fuisti eis.* & prouerb. 24. 6. *Septies in die cadit iustus.* Matth. 6. 12. *dimitte nobis &c.* 1. Ioan. 1. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus.* Conc. Milenitanũ c. 6. 7. 8. Tridẽtinum sess. 6. c. 11. Deniq; ita sentiũt SS. Patres, Cyprianus, Basilius, Ambrosius, Greg. Nazian. Hieron. Aug. Cassianus. Ex his argumentum firmũ conficitur. *Quæ peccata in sanctis non tollunt sanctitatem, ea non sunt mortalia, sed multa sunt quæ in sanctis non tollunt sanctitatem.*

Quædam esse venialia.

ctitatem, ergo non sunt mortalia. Minor probatur his scripturæ testimonijs, & patrum auctoritatibus.

Pareus pag. 44.

Vel propositio falsa, vel fallacia ex accidenti. Nam venialia non tollunt sanctitatem ex accidenti, propter misericordiam Dei, ex se verò tollunt.

Defensio.

Duo peccat aduersarius; à scopo, statum quæstionis immutans, aberrat. Deinde ne sic quidem rectè respondet.

Primum euidenter ostendo. Contra Iouinianum & Pelagiū, disputatio instituta est. Iouinianus omnia faciebat paria, ideo omnibus gratiam tolli affirmabat. Pelagius in iustis peccata misericordiâ Dei venialia non agnoscebat, sed nulla esse contendebat. *Nam paruulum non baptizatum dicebat perire non posse*, vt constat ex Epistolâ 88. inter Augustinianas, quæ est Hilarij. Deinde *sanctos esse sine vllo peccato*. Importunus igitur patronus est Pelagianorum sic defendi nolentium. cum enim iustos dicant esse sine peccato, & hoc sine gratia Dei posse, nec misericordiâ egent, quâ remittantur, nec auxilio, quo nitantur. Contra tam graues gratiæ Dei inimicos sua tela ex scripturæ pharetrâ depromit, eisdem vsus quibus Augustinus, & Episcopi in Conc. Mileuitani Epist. 92. *Noua quippe, inquiunt, hæresis, & nimium perniciosa tentat surgere, inimicorum gratiæ Christi, qui nobis etiã Dominicam orationem impiis disputationib. conatur eripere. Cum enim Dominus docuerit, vt dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, isti dicunt, posse hominẽ in hac vitâ præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iustitiæ, sine gratiâ saluatoris peruenire, vt ei non sit necessarium dicere, dimitte nobis debita nostra.* Verissime igitur Pelagianos oppugnat Bellarminus, nec illud effugium de venialibus ex accidenti potest vtile esse illis, qui in iusto nullum agnoscunt peccatum.

Pelagius nullum veniale agnouit.

Illud

Illud porro ex accidenti esse tantum venialia valde sinceritatem fidei contaminat, adeo vt moderatioribus Caluinistarum etiam displiceat. Et merito, quis enim nescit Spiritum Sanctum, cognitorem incorruptum inter ociosum verbum, & Dauidis adulterium tanto interuallo ponere discrimen? Deinde sequuntur hinc illa paradoxa plane ὑπερστοῖχα. *Paradoxa Caluinastica.*

I. Hactenus omnia peccata paria esse, vt vel minima minimi peccati cogitatio æternam mortem millies mereatur Beza, Ioan. 1. 16. 2. Mirari oportere tantum esse Dei bonitatem, vt vel ob vnum, vnius peccatum, totum orbem terrarum funditus non perdiderit. 3. Omnia bona opera optime facta, spem, caritatem, ex suâ naturâ esse peccata mortalia. Ita Luth. & probat Pareus. itaq; mirari oporteret, ob vnius Abrahami fidem orbem funditus non esse deletum, ob Noe iustitiam arcam non esse mersam. omnis spes, fides, caritas, sinceritas, oratio millies mortem ęternam merita fuissent, quod executio non fuerit, ex accidenti factum esse dicendum est. Hæc sunt illa opinionum flagitia, quæ omnes in quibus aliqua est honestatis, & ingenuitatis indoles, à rigido Caluinismo deterrent.

Pareus pag. 45.

Quod nulla scripturæ auctoritate nititur, conciliis frustra probatur.

Defensio.

Ita superba se vanitas in confidentiæ illo regno iactat, ita ille, *qui misera oracula ex limpidissimis scripturis haurit, si credere fas est*, vt ait Scaliger. Sed quorsum euadat ostendam: Hoc vnice obtestatus lectorem, vt quotiescunque veteris Ecclesiæ, patrum & conciliorum auctoritatem rideri viderit, huius loci meminisse dignetur. Magna pompa, magnus strepitus: *Sola scriptura, facessant homines, loquatur Spiritus Sanctus.* Sed ad populum phaleræ, domi scruta; foris *Vana iactantia Caluinistarum.*

iactatio, domi fames. Quid igitur inter ſe, cum ſoli ſunt, loquantur, ſubauſcultemus. Inter varia Reformatorum, vt ſeſe indigitant, litigia, maxime quæ Adolpho Tectādro Venatori cum Dordracenſibus eſt controuerſia nunc temporis tumet. Dordracēſes Catechiſmum Haidelbergenſem, & confeſsionem Belgicam vrgent, Adolphus ſolam ſcripturam. Ex illis quædam conuerſa de Belgico, in medium adducere neceſſarium, tum in gratiam aduerſarii de ſcripturâ gloriantis, tum in conſolationem collocutorum Durlacenſium, qui ingenue profeſsi ſunt ſua axiomata, ſe ex ſcripturâ probare non poſſe: vt eſt in hiſtoriâ Gallice, & latine edita Muſsiponti. Sed Belgas audiamus. docent illi.

De ſola ſcriptura iudicium Caluinianorum in Belgio.

1. *Non poſſe Eccleſiam in puritate doctrinæ conſeruari, ſi confeſsio (Belgica) è medio tollatur.*

2. *Quorſum hoc (ſolius in controuerſiis ſcripturæ ratio) tendere poteſt, niſi ad confuſionem omnium religionum, inducendum in Chriſtianitatem Libertiniſmum, & permittendum vnicuique vt dicat, & faciat in religione quod libuerit?*

3. *Nunquam hæreſis tam abominata fuit vlla, quæ non ſcripturâ ſe defendere tentarit.*

4. *Quin ipſi libertini, alias ſcripturam funditus abdicantes, audent tamen ſcripturâ in rem ſuam abuti.*

5. *Vnde facilè eſt intelligere cum in tam diuerſos ſenſus, à variis ſectis ſcriptura trahatur, abſque eiuſmodi regulis, & formis, quibus doctores Eccleſiæ mentem ſuam de vero ſenſu ſcripturæ exponunt, in Eccleſiâ vnitatem non poſſe conſiſtere*; Hæc Collegium Miniſtrorum nobiliſsimi Dordraci. Adolphus verò.

Nobiles, præpotentes Domini (apud ordines cauſa agebatur) *Contriſtor, horreo, cum hæc ex ore prædicantium reformatorum audio. Et niſi ſubſcriptionem inſpexiſſem, aliud non crediliſſem, quam Patres de Societate, vel ipſum Bellarminum aduerſarium mihi factum.*

Nam

Nam iidem sunt sermones, imò penè eadem verba, quæ semper in ore ferunt Papistæ, & Iesuitæ. Hæc illorum sunt priuatim vota, hæc conscientia tecta, quorum supercilia Patres, Concilia, veterem Ecclesiam contemnunt, quorum aperta vox vnam atque vnicam normam, iudicemque scripturam toties inclamat. Ecce vel vnicum, atque vnum Rectorem, & Concionatorem Alcmarianum ex scripturâ vincant.

Summâ vanitate iactant illi solam scripturam, multis suorum persuadent vera se dicere. Orthodoxorum nonnulli, etsi sint certi errare eos dum fœda errorum suorum, scripturarum allegationibus fucare conantur, existimant tamen eos ex animi sui sententia ita loqui, omnemque auctoritatem præter eam quæ scripta est in libris Prophetarum & Apostolorum reiicere, verum nequaquam ita agunt, alia illis norma est, aliud sequuntur, aliud docent, pondus & pondus est in officinis eorum, stater & stater. Lege. 104. articulos Dordracensium prædicantium apud Adolphum Tectandrum, in quibus & hi.

1. Recta, optima, securißima, absoluta norma, regula proba, non modò doctrinæ Ecclesiarum in Belgio reformatarum, sed vniuersæ fidei Christianæ, est confeßio Belgica, & Catechismus Haidelbergensis. Quid igitur? an sicut concilia & Patres reiicit Pareus, non licebit idem in illa doctrina Belgarum? an illi libelli pluris quam omnia concilia & vetus Ecclesia? ita illi sentiunt. Nam clarè dicunt:

2. *Qui non intelligit scripturam imperfectam esse, præterque eam opus esse humanis institutis & formulis, paruiæstimat controuersias religionis.* Quorsum igitur nobis perpetuo insusurrãt illud: Ex sola scriptura? ex ea sola conuinci volunt, sola ea doceri: & qui hæc iactant eorum tamen, & illa sunt: 6. *Non puritas religionis cõseruari, nec sectis obsisti potest, nec hæreses sine humanis institutis, & formulis, refutari. 7. Verbum Dei, nec ad salutẽ, nec bonum Ecclesiæ statum sufficit.*

8. Scripturam solam, absque hominum institutis, & decretis seruare, est chaos ex omnibus religionibus, gymnasium omnium hæreseon, medium ad Libertinismum in Christianitate, si eo solo vtaris.

9. Scriptura obscura, varias interpretationes admittit, ideo opus habet decretis, & doctrinâ Ecclesiæ.

10. Confeßio, & Catechismus tantum clara sunt, non scriptura, nec hæ normæ diuersos sensus habere possunt.

Similia sunt vsque ad articulum 27. sed speciatim notandus est 26. *Confeßio & Catechismus debet esse norma intelligendi verbi Dei. Humanæ normæ modum præscribere debent, quomodo oporteat verbum Dei intelligere, non tamen verbum Dei norma est, humana scripta intelligendi.*

Hæc stentores illi: non ergo verbi Dei amore aut fiduciâ causæ ad verbum Dei appellant, sed vt in locum veterum Ecclesiæ decretorum somnia sua substituant.

Bellarminus.

Concilium Milenitanum Can. 7. Anathema dicit illis, qui negant sanctos orare pro suis peccatis, cum dicunt: Dimitte nobis, &c.

Pareus 47.

Concilium Milenitanum.

Hoc valet contra Pelagium, non pro distinctione Bellarmini. Quoniam sancti omnium præsentium, & præteritorum peccatorum, qualia, qualia sunt, remißionem credunt in Symbolo.

Defensio.

Si contra Pelagium valet, præstat igitur, quod titulus promittit, hoc enim capite Pelagius oppugnatur. Pro distinctione etiam Bellarmini facit. Nam Augustinus de naturâ, & gratiâ, c. 28. alia iustorum peccata, alia aliorum esse tradit, de iustis ait: *Verum quia sæpe in leuißimis, & aliquando incautis obrepit peccatum, & iusti fuerunt, & sine peccato non fuerunt,* sensit igitur

tur Concilium, & Augustinus, qui nomine Concilii Epistolam scripsit, Esse peccata talia, quæ tunc cum fierent, cum nondum pœnitentiâ vel oratione deleta, iustitiam non tollerent. Erant ergo venialia. Abel enim in ipso immoderatioris risus cachinno cum iocaretur, nondum pœniteret, cum adhuc præcordiorum titillatio imputaretur, iustus erat. Tunc enim *iustus erat, cum sine peccato non esset.*

Pareus 45.

Tridentinum non vocat venialia naturâ.

Conc. Tridentinum.

Defensio.

Leuia, quotidiana, Venialia intelligit quæ talia sunt natura. Nam 1. Imputationem nouitiam Sectariorum anathemate ferit; ergo natura Venialia dicit, non imputatione. 2. Aduersarius hanc distinctionem exagitat vt Papisticam, at Concilium Papisticum fuit. 3. Concilium quædam peccata talia esse docet, quæ commissa continuo inimicos Dei constituunt, alia quæ nunquam amicitiam illum abrumpant, itaque natura Venialia definit.

Postremò eadem distinctione auctoritates patrum conatur eludere, sed frustra.

Cyprian.

Nam S. Cyprianus serm. de eleemos. *cum dicit sanatis non deesse vulnera:* intelligit vulnera quæ sanitatem omnem non tollant, & distinguit à letalibus. Discrimen à natura sumptum, non ex misericordia Dei, nulla enim vulnera sanatis ex misericordia Dei, sunt letalia, tam cædes latronis, quam verbum ociosè iocosi Venialis est ex miseratione Dei condonantis.

Ambrosius.

S. Ambrosius Ps. 118. intelligit peccata, quæ præsentia cum sunt, cum iustitia non pugnant. Idem Ps. 43. *Quæ grauia sunt, & manifesta præcedunt, & sine vllâ dubitatione merguntur, quæ autem leuiora, bonis operibus sæpe releuantur. Et, vbi iniquitas propendet, nulla bonorum operum commutatione reuocatur.* Natura est ergo quorundam, vt releuentur, alia vt statim mergant,

gant, quibus verbis venialitatem & mortalitatem ille indicat.

Gregorius Nazianzenus. S.Greg.Nazianzenus penitus à peccatis liberos esse negat, at multos iustos esse concedit, non sola imputatione, ergo illa peccata sunt Venialia.

D.Hieronymus de naturâ venialibus agit l.2. contra Iouinianum. *Aut peccatorem te negabis, vt non sis reus gehennæ, aut si peccator fueris, etiam de leui crimine duceris ad tartarum.* Et. *non tibi habebunt tantas gratias, quos de humili in sublime; quantum irascentur, quos propter leue, quotidianumque peccatum in exteriores tenebras retrusisti.* Agnoscebat ergo illa Ecclesia, aliquod peccatum, de quo non ducerentur ad tartarum, leue & quotidianum, ob quod sine iniuria non retruderentur in tenebras exteriores. Nec ad imputationem refugere potest. Per illam enim fidelibus omnia sunt venialia, etiam maxima. De naturâ ergo peccatorum agitur.

S.Augustinus l. 1. contra 2. epist. Pelagianorum, ca. 14. lib.3.c.3. de naturâ & gratiâ c. 36. item D. Gregorius, Bernardus ita clare distinguunt, vt expositione nullâ opus censeam.

CAPVT VI.

1. *Triplex perfectio.*
2. *Aduersarii ignorantia, & incogitantia.*
3. *Perfectio graduum & partium.*
4. *Augustinus defensus.*
5. *Immaculati Caluiniani.*
6. *In Veniali qualis macula?*
7. *Defenditur B. Virginis innocentia.*
8. *Generales scripturæ locutiones quas exceptiones patiantar.*
9. *Pareus conscientiam B.Virginis iudicat.*

10. Calumniatur orthodoxos.
11 Caluinianorum in suos principes adulatio.
12, S. Bernardus & pium Carmen Caroli Scribani defenditur.

Diluuntur obiectiones Pelagianorum.

DVæ ſunt capitis partes; priore continentur 1. reſponſiones ad argumenta Pelagianorum, alterâ in Chriſto & B. Virgine docet, non fuiſſe peccatum.

Obiectio Pelagianorum. *Deut.18. Tu autem perfectus eris coram Domino Deo tuo. Matt.5. Eſtote perfecti, ſicut pater veſter, &c. poſſumus ergo eſſe ſine omni peccato.*

Bellarminus.

Triplex eſt perfectio. Prima, Deum ſemper actu diligentium, vt beatorum; hæc excludit omne peccatum. Secunda, Dei cauſâ omnia deſerentium, ſeq; illi deuouentium; hæc eſt conſilii, non præcepti perfectio. Tertia, omnia deſerere paratorum potius, quam Deum offendere, hæc præcepti eſt. Nec ſecunda, nec tertia excludit omne peccatum, ſed tantum crimen quod caritati ita aduerſatur, vt cum ea nequeat conſiſtere. *Triplex perfectio.*

Pareus pag. 48.

Quæſtionem hanc prorſus ἀμεθόδως admiſcet, vt liber excreſcat. Hic de ſtatu peccati diſputatur, quæſtio de perfectione ſanctorum alıorſum ſpectat.

Defenſio.

Ecce autem iterum nugas idioticas. An non ad ſtatum peccati pertinet quærere; an ſancti in vitâ ſint ſine omni, an ſine mortali peccato? Quam perfectionem admittat, quam excludat ſtatus peccati? Pelagius ſtatum hominis ſancti ſine omni pecca- *De perfectione recte hic quæri.*

peccato, Catholici sine mortali, sectarii cum omni *genere scelerum esse plene beatificatum docent.* Pareus in Rom.

Pareus pag. 48. & 49.

Pelagii argumentum primum.

Argumentum tale est. Perfectus est, cui nihil deest, proinde est sine peccato, sancti debent, & possunt esse perfecti in hac vitâ. Ergo sancti in hac vitâ possunt esse sine peccato. In solutione Bellarmini, obscura, rigida, diluta omnia. Tu dic esse fallaciam à secundum quid, ut simpliciter in argumento. Propositio loquitur de perfectis simpliciter & omni modo, quo Deus, angeli, &c. perfecti sunt. assumptio de perfectis secundum quid, qualis perfectio cadere potest in viatores, & dicitur perfectio imputationis, & inchoationis. & pag. 50. Eodem redit distinctio graduum, & partium. Maior est vera de perfectione graduum, minor de perfectione partium. Sunt igitur quatuor termini.

Defensio.

Laudo ingeniosam memoriam, reprehendit enim Bellarmini responsionem, deinde eam ipse contra Pelagianos vt suam adducit. secundo callidè totum dat, vt partem teneat.

Quæ perfectio sanctorum in hac vitâ.

Optimam clarissimamq; esse solutionem Bellarmini ipse probat.

Nam assumptioni: *Sancti debent esse perfecti in hac vitâ*, respondet. *Intelligendum de perfectione secundum quid, qualis cadere potest in viatores, non quomodo Deus, angeli sunt perfecti.* Hæc ille: Bellarminus. Qua in re perfectio illa consistat, ostendit; *Scilicet vt actu Deum semper diligant, omnia actu in ipsum* creaturæ *referant.* Adiungit deinde: *sed hæc perfectio propria beatorum est, neque nobis à domino in hac vitâ imperatur.* Itaque Apostolus de hoc perfectionis gradu loquens in Epistolâ ad Philippenses c. 3. ait: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem si comprehendam.*

Ite-

Interim aduersarius vt tenui vulnere stringere Cardinalem posit, letalem Caluinismo plagam infligit. Assumptio in obiectione Pelagii hæc est: *Sancti debent, & possunt esse perfecti in hac vitâ.* Probat: *id enim præcipit Deus. Quod vero præcipit Deus, id debent sancti præstare, & quia non frustra præcipit, possunt.* Responsio Parei. *Intelligendam assumptionem de perfectione secundum quid.* Deinde ait: *præcipitur quidem perfectio absoluta, ad quam velut ad scopum indies contendamus, sed non sequitur, quia præcipitur, quod in hac fragilitate obtineamus.* Argumentum hinc solidum in Caluinistas ducitur. Cum sancti in hac vitâ debere & posse perfecti esse dicuntur, intelligitur perfectio secundum quid, eaque præcipitur, non prima illa, quæ est angelorum & beatorum, solum enim præcipitur vt ad illam contendamus, non vt hic posideamus. Nisi dicat etiam multos eâ causâ damnari, quia non sint perfecti sicut angeli, & beati. Non igitur proprie præcipitur, ne sit vlla concupiscentia, ne vllus delicti motus inuitis obrepat, ne vnquam mens ab actuali Dei dilectione deflectat, sed illa vt scopus ostenduntur. Non ergo illæ sunt ἀνομίαι, quia non contra τὸν νόμον, aliud enim non exigit νόμος, quam perfectionem secundum quid. Aut igitur Pelagii argumentum non soluit, aut soluendo suam hæresin destruit.

Neque vero illud parum momenti habet, quod adiungit de perfectione graduum & partium. *Maior est, inquit, vera de perfectione graduum, Minor de perfectione partium.* Itaque hæc vera est. Sancti debent, & possunt esse perfecti, perfectione partium, non perfectione graduum. Quid vero est perfectio partium? quid perfectio graduum? Catechismus eius quæst. 117. *Perfectio graduum est perfectus obedientiæ gradus quem lex requirit. Perfectio partium est initium obedientiæ & opponitur hyprocrisi.* Quid igitur

Perfectio graduum & partium.

F

tur sanctis in hâc vitâ præcipitur? Perfectio partium, hoc est, fuga hypocriseos, & inchoatio obedientiæ. Quid non præcipitur? Perfectus obedientiæ gradus, quem lex requirit. Hæc sane cum illis consistere non possunt, quæ de minimis peccatis æternum damnandis, de impossibilitate legis, de omnibus operibus naturâ malis iactare consueuerunt.

Alterum argumentum Pelagii. Psal. 14. 2. Psal. 17. 20. Psal. 118. 1. *Sancti dicuntur immaculati*, &c. sunt ergo sine peccato.

Bellarminus.

Augustinus l. de perfectione iustitiæ c. 9. Dicuntur immaculati, quia studēt perfectioni, curantq; ne maculas contrahant. Deinde S. Thomas 1. 2. q. 82. art. 1. Venialia non propriè habere maculam.

Pareus pag. 51.

Augustini responsio vera, sed imperfecta est: quia aliud est esse, aliud desiderare esse immaculatum. Thomæ falsa est, & nulla: quia nullum peccatum sine maculâ. Nos respondemus esse eandem fallaciam à secundum quid. Sancti simpliciter vt cœlites sunt sine maculâ; Sancti immaculati in hac vitâ sunt secundum quid, tum imputatione, tum inchoatione.

Defensio.

Augustinus defenditur. Augustinum propria verba defendent, deinde ipse eius accusator. Verba sunt. *Ingredi autem sine maculâ, non absurdè etiam ille dicitur, non qui iam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.* Nec venialia facit ex non imputatione, quia mundantur eleemosynis. Deinde ipsa damnabilia etiam ad non imputationem pertinent, & fiunt venialia. Nec contra est, quod ait ibidem Augustinus. Ingressum quippe, hoc est, iter nostrum, quo tendimus ad perfectionem, munda mundat oratio. Munda est autem oratio, vbi vera-

veraciter dicitur, Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus; vt dum non reprehenditur, quod non imputatur, ſine reprehenſione, hoc eſt, ſine maculâ noſter ad perfectionem curſus habeatur; in quâ perfectione, cum ad eam peruenerimus; iam non ſit omnino; quod ignoſcendo mundetur. Nam Auguſtinus, non intelligit non imputationem eam, quâ manentis peccati fœditas obueletur, ſed quâ ignoſcendo mundetur, vt ex verbis eius conſtat.

Vera eſt (inquit.) Ergo & illa verba: *Ingredi, &c.* vera ſunt: ergo quædã venialia in ſanctis, & quidẽ naturâ.

At eſt aliud eſſe immaculatum, aliud deſiderare eſſe immaculatum. Lege verba Bellarmini, & Auguſtini, euaneſcet improba cauillatio. Non quodlibet deſiderium efficit immaculatas, ſed deſiderium irreprehenſibiliter currentium ſine damnabilibus, venialia mũdantium. Hoc conſtat ſanctitate ſecundum quid, ſeu partibus, non gradibus perfectâ, quæ eſt initium obedientiæ, quæ opponitur hypocriſi. Hoc tamen diſcrimine. Quod Auguſtiniani immaculati nullum damnabile habent peccatum, hoc eſt, cuius grauitatẽ damnari meritò poſsint, aut id ſi habeant, ſancti eſſe deſinant. Immaculati Caluiniani in horrendis lapſibus, adulteriis, homicidiis ſint non modò immaculati, ſed etiam *integrè beatificati*; nam ſunt immaculati imputatione, at imputatio (vt aduerſarius in Ro. 4. dub. 5.) *iuſtitiæ, teſtante Apoſtolo, ex Dauide, non eſt partialis, ſed integra beatificatio; at remiſsio peccatorũ eſt iuſtitiæ imputatio, vt patet ex æquipollentibus Pauli.* Sed porrò accuſatorem Bellarmini audiamus. *Inchoatione perfectos,* ait aduerſarius: *Quia ſtudent cauere omnem maculã, & incipiunt immaculatè viuere coram Deo: Qui habet hanc ſpem in eo, purificat ſe, ſicut ipſe purus eſt.* Hæc verba Parei; at verba Bellar. *Quia cupiunt, ac ſtudent nullas contrahere maculas, & ſi quas contrahunt, continuo eas per orationem tergunt.* Nonne ergo accuſando defendit Cardinalem?

Immaculati Caluiniani.

In veniali qualis sit macula?

Nec difficulter ex D. Augustino defenditur Diuus Thomas. Peccato est sua macula, etiam Veniali, verum non illa, quæ animam Deo faciat abominabilem, inducat deformitatem damnabilem, exstinguat gratiam. Næuus est, sed quo cum supercœlestis pulchritudinis fulgor perseuerat. Disertis enim verbis D. Thomas eam maculam negat, *quæ diminuat vel expellat habitum virtutum. Illam quæ nitorem ex actibus virtutum impediat, concedit.* Beza in adulterio dicit manere habitus virtutum, sicut ratio manet in ebrio, quod absurdum est. Sic aduersario nostro in omni facinorum atrocitate manet habitus fidei & caritatis, sed D. Thomæ solum in Venialibus manet caritas, infidelitatis actu excutitur fidei habitus.

Tertium argumentum Pelagii. 1. *Ioannis 3. 9. omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius manet in eo, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Ergo possunt esse sine peccato.*

Bellarminus.

Duæ solutiones Augustini, vna Bernardi. Prima Augustini l. 2. c. 7. De peccatorum meritis & remissione. Partim sanctos, esse filios Dei, partim filios seculi, vt filios Dei non peccare, sed vt filios seculi. Altera tract. 5. in Ioan. quæ & Hieronymi in l. 1. contra Pelagianos: Iustos dum iusti sunt, non posse peccare eo genere peccati, quod repugnet caritati, & iustitiæ, Tertia D. Bernardi; Non posse peccare, vt in peccato permaneant.

Pareus pag. 52.

Posterior parum solida, quia omne peccatum repugnat iustitiæ.

Defensio.

Iam supra ostensum, non eam esse repugnantiam, quæ tollat iustitiam. Ex hisce facile respōdetur ad illa quæ Pelagius ex Luc. 1. 6. similibusq; obiicit. ad alteram partem igitur capitis progrediamur.

Bel-

Bellarminus.

Chriſtus & Beata Virgo Maria excipiuntur, fuerunt enim ſine omni peccato De Chriſto non eſt controuerſum. De B. Virgine Maria, probatur auctoritate SS. Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, Anſelmi, Bernardi, Thomæ, Bonauenturæ, Concilii Tridentini. Nam in primâ ſanctificatione fuit vel à fomite liberata. vel ille gratiæ abundantiâ ita ligatus, & oppreſſus, vt triſtes peccati fructus nullos ediderit.

Chriſtus & eius mater ſine peccato.

Pareus pag. 56.

1. Scriptura ſolum Chriſtum excipit. Roman. 3. 10. Ioan. 3. 6. Iob. 14. 4. Rom. 5. 12. 2. Scriptura illam nominatim excepiſſet, ſi hoc credi voluiſſet. 3. Infirmitates peccati in illâ ſcriptura notauit: quod puerum duodecennem neglexit, amiſit, ambitionem in nuptiis Canæ.

Pareus peccata B. Virgini imputat.

Defenſio.

Cauſa hæc, ad alium locum pertinet, vbi etiam latius eam tractat Bellarminus, cuius non ſolius res agitur, ſed omnium veterum quos citat ille, quos Caniſius l. 2. de corruptelis verbi Dei. & Soarez Tom. 2. in 3. partem diſp. 4. ſect. 4. Neque rationes firmæ quas adfert, quas Bellarminus, auctoreſque citati diſſoluunt. Nam 1. Generalia illa Scripturæ elogia, non excludunt priuilegia particularium, cum negatur *eſſe iuſtus quiſquam*, de eo dicitur quod homines, ex naturâ, infirmitate, lege ſunt, non eximiæ gratiæ prærogatiuâ. Nec expreſsis verbis eam ſcriptura aſſerit, nec negat, tutius tamen auctoritatem ſecuti, tot patrum ſcripturis conuenienter loquentium, vetuſtis aſſentimur. Periculum certè, niſi caueat, idem Pareo imminet, quod eius fratri aliena eum pericula facient, ſpero cautum. Dixerat Vorſtius. *Humanum eſt falli, & errare, nec quiſquam mortalium omnibus horis ſapit: quoniam (vt ſcriptura loquitur) omnis homo mendax eſt, imo vanitate ipſa vanior, maximè in ſanctiſſimæ fidei cauſa. Quod nec ipſe Rex sereniſsimus, nec*

Defenditur beata virgo.
1. Auctoritate.
2. Exemplo regum

quisquam sanâ mente præditus verißimum esse negauerit. Quid verò Matthæus Sladus? *Equidem* (inquit) *non dubito, quin non solum rex Serenißimus, sed & vos Illustriß. Dom. hoc negaturi sitis: & Vorstium non modo non modestißimè, sed quam impudentissime mendacißimeq; hæc ita scripsisse, pronunciaturi, si quãdo ferre placebit sententiã. Quid cũ vult ne diuinus ille vates affirmare neminẽ mortalium, vere se loqui, &c. certum esse? Proh Deum immortalem? quis nouus furor? quæ amentia inde à Socraticorum temporibus inaudita? Et dixitne hoc Vorstius ipsis populi Dei iudicibus in os? Illis quos in sede sua collocauit, quibusque iudicium suum mandauit Deus, & præcepit, vt iuste inter virum & fratrem eius iudicarent? Illis qui in grauissimis causis, consultationibus, disceptationibus, quotidie versantur! apage scepticum prophetam, hæreticorum & maleficorum patronum.* Cum ergo Psalm. 61. Psalm. 118. 8. 9. Ierem. 17. 5. & Psalm. 116. (numerum illorum sequor) homo dicatur vanus, vanitas, caro, mendacium, mendax, tamen Sladus tanta contentione, tanto tumultu laborat, vt Rex excipiatur, licet mendacium in scriptura sit peccatum, teste Philippo de causa peccati, & omnis homo mendax, fallax, peccator, cur nos non & matrem Dei excipiamus?

Superbe B. Virginis conscientiam indicat.

At negligentiâ & ambitione deliquit. Respondeo, quæ verò scriptura negligentiæ, vel ambitionis eam damnat? an non filium amittere potuit sine negligentiâ? an non se Christus subducere matri innocenti? an non pro verecundiâ coniugum non diuitum, sine ambitione quod exigebat vsus, petere? Tu quis es, qui iudicas Domini tui matrem? Deo suo stat aut cadit; Sed Deo filio. Quid curiosus es illius conscientiæ, quam scrutator cordium & renum elegit in matrem?

Pareus pag. 57.

Hinc idolomania, cum dicitur mater misericordiæ, Regi-

Regina cœli, ſupra Chriſtum colitur. Meritum ſalutis inter Chriſti ſanguinem & mammas Mariæ diuidunt. Hinc orti Collyridiani, Epiphan. hæreſi 79. quod eam ſine peccato exiſtimarent, hos imitantur Papiſtæ, offerendo preces, aurum, &c. Deum ergo faciunt.

Calumniatur orthodoxos.

Defenſio.

Tandem per abrupta conuitiorum, & calumniarum, veri & honeſti lege ſolutus voluitur. Quid verò ſi Reginam Reginarum, & dominam dominantium diceremus, an maius illi quippiam tribueremus, quã veſter in reges veſtros affectus? An VVaſerus Tigurinus Profeſſor Sereniſsimum Iacobum facit Deum, cum ait in præfatione Craſerianâ, *In ipſo auctoritatem ſummam ac plane diuinam reſidere?* Cum Graſerus ad *ſacratiſsimi patrocinii, & celſiſsimi præſidii maieſtatis eius aram lucubrationes ſuas ſuſpendit, cum grauiſsimo & acerrimo eius iudicio omnia ſubiicit*, an ſacrificium ei offert, cui aram ſtatuit, cui anathema ſuſpendit? Ego verò nec idolomaniæ illum accuſo, nec eos, qui Elizabetham diuam vocarunt. Blanditiæ illæ ſunt, vel amantium, vel placere volentium.

Maiora ſuis regibus quam Marianos tribuimus.

Itaque non eſt Idolomania Mariam vocari *matrem miſericordiæ*, cum mater ſit Dei, at Deus eſt miſericordia, an maius *matrem eſſe miſericordiæ*, quam matrem omnipotentis, infinitiſsime miſericordiſsimi? An non vel ideo *mater miſericordiæ*, quia illũ genuit, per quem ſolum, atque vnicum miſericordiam conſequuntur miſeri. De ſanguine eius eſt, qui eſt ſalus noſtra, an & ipſa mater miſericordiæ, quia ſupra creaturas omnes vt magna, ita miſericors?

Maria mater miſericordiæ.

Secundò, nõ eſt idolomania vocari *Reginam cœli*, omnes beati reges ſunt cœlorum. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo; ſicut & ego vici & ſedi cũ patre meo in throno eius Apocal. 3. 21.* Et. *Dabo illi poteſtatẽ ſuper gentes.* Et. *Regnabũt in æternũ an illa vel*

Regina cœli.

ſola non vicit, vel victoriæ fructu priuabitur? Nec ſolo tamẽ illo modo *Reginam cœli* Mariã cantamus, verum excellentiſsimam in eâ, quia mater eſt maieſtatis, eminentiam prædicamus, quâ maior eſt cœlitibus omnibus, vno Deo minor, & Chriſto Ieſu filio ſuo, homine Deo. Ideo Regina cœli quia mater regis. An verò excellentius eſt *Reginam cœli* eſſe, an matrem Dei?

Minor eſt Chriſto.

Quod verò addit. Mariam à nobis ſupra Chriſtum coli. Reſpondeo. Anathema, quicunque matrem filio, ancillam humilem Domino, quo infinito interuallo minor eſt, vel anteponit, vel exæquat. Cauſæ ſuæ diffidit, qui id obiicit. Aut vnum inter tot non dico ſcriptores, ſed idiotas oſtende, qui id ſenſerit, & viceris.

Maior creaturis omnibus.

At eam creaturis omnibus præferimus. Ita ſane, nec noſtri nos iudicii pœnitet, cuius Deum habemus auctorem, qui præ omnibus eam eligendo præiudicium grande fecit. Et quid ringeris! Beza præfatione in nouum teſtamentum. In Elizabethâ Angliæ reginâ, *Regiam ait eſſe maieſtatem, puta Dei notitiâ, ac reuerentiâ exornatam; quarum rerum illa Reges ſupra mortales plurimos attollit, iſta verò etiam angelis pene exæquat.* Si illa penè par, certè non impar noſtra, imò maior, *Quam beatam dicunt omnes generationes, cui magna fecit, qui potens eſt.*

Merito Mariæ non ſumus redempti.

Tertio. *Meritum ſalutis inter Chriſti ſanguinem, & mammas Mariæ non diuidimus.* Multò minus inter Chriſti ſanguinem & inferorum cruciatus: non dicimus *Chriſti ſanguine nihil actum fuiſſe, niſi hominum deſperatorum ac Damnatorum tormenta ſupplemento darentur*, veſtra illa eſt blaſphemia. Solus ille ſanguis precium eſt redemptionis, ſufficiens & ſuperabundans, in ſubſidium non vocat tartara, non ſancitur fœdus noui teſtamenti dæmonum pœnis, ſed ſanguine teſtatoris, non dolore damnati, ſed paſsione dilecti. Credimus tamen Dei omni-

omnipotentis, ab vbere materno pendentis amabilissimam dignationem, & Iesu Christi in hac humiliatione sui, meritum immensum; & nisi maiorem in morte caritatem ostendere vellet, delendo chirographo, quod contra vniuersum mundum erat, sufficiens. Neque negamus caritatem matris filiolum lactantis, æternâ gloriâ coronatam, etiam nobis rogantibus adesse, & prodesse. Hominum sunt inter se mutua officia, & frater adiuuatur à fratre, nec tamen, siue id operâ, siue oratione fiat, ideò meritum salutis inter sanguinem Christi, & fraternas manus, preces ue diuiditur. Sed in his omnibus sanguis Christi operatur omnia, nam & beneficium adiuuantis de sanguine Christi habet efficaciam, & infirmitas indigentis auxilio, eodem sanguine roboratur.

Christi omnis actio redemptionis erat sufficiens.

Pareus pag. 57.

Meritum salutis humanæ inter Christi sanguinem, & mammas Mariæ blasphemè diuidunt, quod impurum quendam Iesuitam nuper in carmine, cui titulus positus in medio, quo me vertam nescio: scurriliter euomere non puduit in hunc modum:

Hæreo lac inter meditans. &c.

Defensio.

Quis cælum terræ non misceat, & mare cœlo, si aduersario displiceant versus impuri, carmina inuerecunda, Caluinianæ & Bezanæ libidines? si ille idem in accusationem vertitur doctissimi viri, acerrimi censoris prostitutionum Caluinisticarum? sed nunc quod in manu est, carmen integrum demus.

AD DIVAM HALLENSEM ET PVERVM IESVM.

HAEreo lac inter meditans, interq; cruorem,
Inter delitias vberis, & lateris.
Et dico, (si forte oculos super vbera tendo)
Diua parens, mammæ gaudia posco tuæ.
Sed dico, (si deinde oculos in vulnera verto)
O Iesu, lateris gaudia malo tui.
Rem scio. prensabo, si fas erit vbera dextra:
Læua prensabo vulnera, si dabitur.
Lac matris miscere volo cum sanguine nati;
Non possem antidoto nobiliore frui.
Vulnera restituent turpem vlceribus mendicum,
Testa cui saniem radere sola potest.
Vbera reficient Ismaelem sitientem,
Quem Sara non patitur, quem neq; nutrit Agar.
Illa mihi ad pestem procul & procul expungendam:
Ista mihi ad longas eualitura febres.
Ira vomit flammas, fumatq; libidinis Ethna?
Suffocare queo sanguine, lacte queo.
Liuor in expleta rubigine sauit in artus?
Detergere queo lacte, cruore queo.
Vanus honos me perpetua prurigine tentat?
Exsaturare queo sanguine, lacte queo.
Ergo parens, & nate, meis aduertite votis;
Lac peto, depereo sanguinem, vtrumque volo.
Paruule, maternis medius qui ludis in vndis,
Qui tua iam comples vbera, iam vacuas,
Quid me respectas obliqua tuentibus hisquis?
Roboris in Cœlum nil habet inuidia.
Sæpe quidem dixti, noxis offensus iniquis:
Tune meas mammas, improbe, tune meas?

Nolo tuas, ô nolo tuas, puer auree, mammas;
Non sum tam duri, tam grauis oris homo:
Sed tantum lateris pluat vnica, & vnica stilla,
Et saltem à dextra vulnere gutta pluat.
Si nihil è dextra vis impluere, implue læua:
Si nihil è læua, de pede sanguis eat.
Si tibi non placeo, vulnus mihi vulnera danto:
Mercedem danto vulnera, si placeo:
Sæpe mihi Babylon patera propinat & auro,
Ingeminatque meis auribus: euge bibe.
Non faciam, vel si Cœlum miscebitur Orco,
Non faciam, meretrix impia, non faciam.
O sitio tamen? ò vocem sitis intercludit?
Nate, cruore sitim comprime, lacte parens.
Dic matri: meus hic frater sitit, optima mater;
Vis de fonte tuo promere, deque meo?
Dic Nato: tuus hic frater mi mellee fili,
Captiuus monstrat vincula; lytron habes.
Ergo redemptorem monstra de iure vocari,
Nobilior reliquis si tibi sanguis inest.
Tuque parens, monstra matrem te iure vocari,
Vbera si reliquis diuitiora geris.
O quando lactabor ab vbere, vulnere pascar?
Delitiisque fruar, mamma, latusque, tuis?
Parce Deus, magno si te clamore fatigem,
Non potis imperio, non potis arte regi.
Exagitante siti patientia perdit habenas;
Clamores si vis tollere, tolle sitim.
Pluris ego clauis: saturasti sanguine clauos,
Lanceaque erubuit sanguine tincta tuo.
Pluris ego pannis: maduerunt vndique panni,
Nati à vulneribus, matris ab vberibus.

Carmē habes amice lector, nō ingeniosè modo, & elegáter, sed tam cautâ etiá pietatis dulcedine, tam tenero caritatis affectu cōpositū, vt totū in mella deuotionis eliquescat, nihil supersit, q araneus in sua vene-

na

na corrumpat: & tamen accuſat aduerſarius impurum Ieſuitam Clarum Bonarſeium, quaſi de ſanctiſsimo carmine erubeſcere debeat, cum ipſe, ſi non modo frontem, ſed vel locum frontis haberet, etiam recordationem eius viri reuereri deberet, à quo ſuorum Patriarcharum crimina peſsima, nouit in propatulum educta. Verum in ipsâ carminis meditatione hæreamus.

Hæreo lac inter, meditans myſterium lactis, & ſanguinis, vberis & lateris, myſterium incarnationis, natiuitatis, educationis, paſsionis, in omnibus mira dulcedo, caſtiſsimæ deliciæ. Quem non teneret lac Virginis, paruuli præſentia, omnipotens infantia? de mammis illis pendent maxima lacteoli numina filioli, ſanctimoniæ thalamus, diuinitatis ſacrarium erant illa vbera, quæ creatori nutrimenta præſtabant. Recte auctor de Cardinalibus operibus: *Paruulus ſugens vbera purâ alimoniâ vtebatur, & fons ſacri pectoris defæcatum edulium ori mundiſsimo infundebat. Sed & cor matris quædam dulcedines, quæ humanum ſuperant intellectum imbuebant, eratq; vtrinq; mira iucunditas, cum pia ſanctæ matris humilitas, & ſancti ſanctorum immenſa benignitas confœderatis affectibus mergerentur.* Quid igitur mirum, ſi Chriſtianus vates, cuius menti ſe paruulus infudit, cuius venam non fabuloſa de Pegaſi volatu Hippocrene, ſed de lacte Virginis puerperæ, & de vulnere Saluatoris, Spiritus rigauit, ſi is, inquam, inter hæc meditando hæret, alternâ dulcedine natiuitatem, infantiam lactantis, & dolores, caritatemque patientis animo reuoluens quo ſe vertat ambigit? Hæret, inquam, non æquando lac virginis matris, ſanguini filij Dei hominis, ſed quia paſsionis conſiderationi interuenit infirmitas vagientis, ſitis & fames vbera ſugentis, hæc enim futurorum erant præludia: Vagitus euangelizat, clamant panni, lac Mariæ nos conſolatur,

tur, nam dum sugitur, dum in sanguinem dominicum vertitur, dum in carnem coagulatur, verbo quoque iungitur, & diuinæ hypostasi, mirabiliter vnitur. Exclamemus igitur cum poeta:

Et dico, (si forte oculos super vbera tendo)
Diua parens, mammæ gaudia posco tuæ.

Gaudia in fidei confirmatione, ne carnem putatiuam, & natiuitatis phantasmata cum Marcione somniemus. Gaudia in tantâ Saluatoris dignatione, qui enim flumina suis alueis decurrere iussit, qui immensis spaciis maria diffudit, lacte tenui pascitur. Gaudia, de spe æternorum gaudiorum, terræ lacte, & melle manantis, cuius pignus & arrhabo est lac illud de virgineis vberibus creatorem reficiens. Magna hæc gaudia,

Sed dico (si deinde oculos in vulnera verto)
O Iesu lateris gaudia malo tui.

Quamuis paruulus Iesus non parum attulit, & infantia eius est nostra salus, tamen redemptionis opus est in passione, de sanguine lauamur, & dealbamur, malo id quod precij apex est. Dulcis puerulus vberibus inhians, at iam cum plenitudine Saluationis de vulnere pendens, stansq; super vulnera, immensos thesauros quinis fontibus scaturit.

Quid igitur faciam?
Rem scio: prensabo si fas erit vbera dextrâ,
Læuâ prensabo vulnera si dabitur.

Apprehendam fide, spe, caritate, meditatione, dextrâ infantiam Saluatoris, interiore verò manu, vnde proximus in pectus aditus, hoc est, penitissimo corde complectar vulnera. Natiuitatis tempus, locus infantilis corporis teneritudo, paruuli vagitus & lacrymæ, matris vbera, mea sunt, pro me faciunt, *sed ecce dum ista considero, dum* vt Sanctus ille Abbas, *loquor de mysteriis natiuitatis, ad scrutanda repente deuenio sacramenta Dominicæ passionis. Nec mirum tamen,*

men, si quæro in paßione, quid in natiuitate sua Christus attulerit. Tunc enim conscisso sacco, pecuniam quæ latebat, in precium nostræ redemptionis effudit. itaque.

Lac matris miscere volo cum sanguine nati
Non possum antidoto nobiliore frui.

Miscere volo, non poculo, non aheno, (absit mala mens bona verba sic interpretantis) sed alternante meditationis ardore, in pectoris mei secreto vicissim, nunc spiritus ingerit caritatem paruuli, nunc passionem morientis, in medio cor meum positum est, inter nascentem & morientem fluctuat amoris æstu, de mysterijs natiuitatis, & crucis perpetua cogitatio; siue autem rapiat dulcedo lactis, siue precium sanguinis animi intentionem, semper adhæret Iesu suo. Non venit in precium redemptionis lac maternum, ne mater quidem, quam & ipsam sanguis ille redemit. Sed sanguis tamen ille de lacte fuit, caro illa Saluatrix de sanguine purissimæ virginitatis coaluit, primitiæ cruoris de corpore Domini mei quas lex Mosaica de circũcisione libauit, lacteus erat sanguis, vix lac esse desierat, & de lacte materno inter vagitus est suppletus.

Nobile; sanguis est antidoton, solus sufficiens, solus precium, sed sanguis de lacte sanguis de castissimis Mariæ sanguinibus, ita cogito Saluatorem vt originẽ eius identidẽ respectem, in meditatione pueritiæ occurrit, memoria passionis, miscebat sanctissimus, ille Simeon *lac matris cum sanguine nati*, dum infantem complexus, ait, *eum positum in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Vulnera, & lac, vitiorum in quę humana corruptio nimium propendet remedia præstabunt, libidinis, irę, inuidiæ, superbię. Contemplare castitatem matris, dolorem nati pro te morientis, exhorrescens, quicquid in voluptatibus illecebrosum videbatur. Ecce paruulus omnipotens irasci non nouit, in cruce vero etiam

orat

orat pro inimicis, & indignari poteſt, qui tanto manſuetudinis exemplo mortem euaſit ęternam? *Quid vero magis indignum, quid deteſtãdum amplius, quid grauius puniendum, quam vt videns Deum cœli paruulum factum, vltra apponat homo magnificare ſe ſuper terrã? Intolerabilis impudẽtię eſt, vt vbi ſe exinaniuit maieſtas, vermiculus inſletur, & intumeſcat. Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei*, apparuit in cunis, in cruce, in lacte matris, in ſanguine ſuo, in voce vagientis, in clamore valido Spiritum emittentis, omnibus his peccatum meum violenter expugnatum eſt. Omnia ſi non ſimul; ſingula tamen meditor, ſequor; apprehendo.

O quando ergo *lactabor* ab vbere, vulnere paſcar?
Delicijs fruar mamma latusque tui.

Hæc mea verba ex cæteris ſelecta ô bone Ieſu, etiam profana hæreſis traduxit, & impietatis accerſiuit. Verum ingemino eadem, illo animo quem tu noſti, non quem ſuſpicionibus indulgens aliena nequitia mihi affingit. O quando ergo lactabor ab vbere vulnere paſcar? Quando pleno gaudio, nullâ curâ, nullo malo interrumpente, dilatato corde, in lumine gloriæ tuæ, vnico intuitu, conceptum, natiuitatem, vitam, mortẽ tuam contẽplabor, cum tu omnia eris in omnibus, cum omnes labores tuos, & dolores, omnia acta à primo ſuſceptæ carnis momento & inter hæc, ſingulas lactis guttulas, clariſsimè intuebor: Te ſitio mî Ieſu, ſiue inter vbera lacte matris ſitim pellis, ſiue inter clauos acetum guſtas. *Reueremur te nos in præſepio, reueremur in patibulo*, reueremur in vlnis virginis matris, *reueremur in ſepulchro. Deuotè ſuſcipimus tenerum propter nos, cruẽtum propter nos, pallidũ propter nos, ſepultũ propter nos reueremur. Deuotè adoramus cum Magis, deuotè amplectimur cũ Simeone ne ſantiã Saluatoris*, deuotè vngimus & velamus cũ nobili decurione. O quãdo de tuâ ſiti potabimur, ſed ab vbertate domus Dei? de

de præsepio pascemur? de patibulo viuemus? de vlnis gaudebimus, de sepulchro resurgemus? ô quando satiabimur de te tenero? dealbabimur de te cruento? sanabimur de tuo liuore? immortalitatem de tua morte induemur? Hæc sunt vota cordium nostrorum, quæ ridet infidelis, calumniatur hæreticus, sed ea tu Deus scrutator cordium, & renum, de miseratione tua, de merito filij tui, rata esse decernas.

Hæc sententia cum sit pij carminis, & eam esse, cum verba omnia quæ aduersarius omisit, conuincāt, cuius hominis est, hęc in sensum tam perniciosum trahere? *Sceleratum est* (vt vult Pareus pag. 187.) *cum noueris pium sensum esse alicuius, ex verbis incommodè dictis statuere, errorem.* Si sceleratum est ex verbis incommodè dictis statuere errorem, quem te dicam, qui ex verbis poetæ commodissimè sanctissimeq; dictis hæresin statuis?

Denique quod obijcit esse *nos Collyridianos, adorare Mariam offerre aurum &c.* Respondeo. Collyridiani Mariam Deam faciebant, vt constat ex Epiphanio, nos creaturam Dei. Nam si quis eam diuino honore afficit, anathema. *Verum adorando Deum facimus.* Nequaquam. Sic oramus: *Sancta Maria ora pro nobis*, illa prece profitemur Deum nobis non esse illam, sed nobiscum Deum deprecari.

Collyridiani sacrificium offerebant, qui cultus est latriæ, vni Deo debitus. Mariæ si quis sacrificium offert, anathema. Ad alium honorem pertinent ornamenta, & donaria. Non sunt illa sacrificia. Regum vestrorum non statuis modo, sed thronis & scabellis, imò phaleris equorum honorem habetis, statuas illorum auro includitis, & ligno precioso, positu ipso, & cura honoratis, an eos Deos facitis? hoc & vos negatis, & ipsi nolunt. Vocatis tutissimos portus, & vnicam ancoram omnium verè Christianorum, habent sacratissimum & celsissimum patrocinium,

cinium, habent aram. Hæc se offendunt, tollite, si placent, & nos, non maiora Dei matri tribuentes, tolerate.

CAPVT VII.

1. *Caluino omnia peccata prædestinatorum sunt venialia.*
2. *In hac causa calumniatur Pareus, & Caluino contradicit.*
3. *Lutherani eandem hæresin Caluino tribuunt.*
4. *Noua hæresis Parei: Adamum cum laberetur non fuisse prædestinatum.*
5. *Aduersarius diuinorum consiliorum, & executionis ordinem confundit.*
6. *De fide Adami dissensiones Caluinistarum.*
7. *Dauid prædestinatus peccauit letaliter.*
8. *Quæ Dauidis in peccatis fides secundum Caluinistas.*
9. *Fides iustificans Caluinistarum, & cum ea quæ scelera?*
10. *Eorundem licentiosa libertas, & ægra fides.*
11. *Distinctio fidei actualis & habitualis euertit Caluinismum.*
12. *Absurda de fide Caluinistarum.*
13. *Soli saluantur quorum vita vltima actio est est fiduciatio, iuxta Pareum.*

Refellitur Ioannis VViclefi, & Ioannis Caluini errror.

TAndem indoluit Pareus, vitalia tetigit Bellarminus: itaque maiorem exorsus furorem, titu-

titulum facit. *Calumniæ Bellarmini in VVicleffum & Caluinum redarguuntur.* Deinceps pergit. *Hoc capite Bellarminus verè Iesuitam agit, hoc est, Sophistam & calumniatorem. Sophistam, quod statum controuersiæ non attingit. Calumniatorem, quod Caluino alienam, falsam sententiam affingit.* Vestigia legamus, Bellarmini docentis, & aduersarij furentis exorbitantem præcipitantiam intra girum retrahamus.

Bellarminus.

Nunc refutandi VVicleffus & Caluinus, qui peccata venialia dici volunt, omnia peccata prædestinatorum, mortalia verò peccata omnium reproborum.

Pareus pag. 61.

Prius nusquam dixit, scripsit, sensit Caluinus, pura puta calumnia.

Defensio.

Effugia aduersarij. Age ergo Caluini patrone: dic, quod contrarium est illi dicto. *Non omnia prædestinatorum sunt venialia*, aut, *Nulla prædestinatorum peccata sunt venialia.* Non *naturâ venialia*; scimus hoc eum negare, & clare docuit Bellarminus; sed hoc opto, vt cum diuidit peccata in venialia & mortalia Caluinus, vt reuera facit, vt dicat, *Nulla prædestinatorum esse venialia, more suo.* Verba eius sunt l. 2. c. 8. §. 59. *Sanctorum delicta venialia esse, non ex suaptè naturâ, sed quia ex Dei misericordia veniam consequuntur. Hinc Bellarminus; illa peccata venialia sunt, quorum veniam consequuntur, qui ea patrarunt, at prædestinati omnium suorum veniam consequuntur, ergo omnia illorum sunt venialia.*

Non ergo fraude suppofuit Bellarminus pro *Sanctorum*, Verbum aliud, *Prædestinatorum*, Nam l. 3. cap. 4. *Venialia vocat, quæ non imputantur, quæ venia delentur.* Verum Caluini sententiam Bellarminus

nus exposuit cap. 4. §. *atque hæc. Caluinus vult esse venialia, quæ fiunt ab electis post fidem semel adeptam, non autem quæ ante fidem.* ita ibi. *atque hac in re ait differre à VVicleffo.* Hoc modo, & hic intelligi debet. Ideò exempla Adami, Dauidis, & Petri, sunt sanctorum. Ita prædestinatorum omnium secundum VVicleffum, prædestinatorum sanctorum secundum Caluinum sunt venialia.

In quantâ autem inconstantiâ & ignoratione versetur exemplo disce lector.

C. 4. dixit Bellarminus, In eo diuersas esse sententias VVicleffi & Caluini, quod VVicleffus *omnia prædestinatorum, Caluinus omnia post fidem adeptam, non ante fidem commissa dicat esse venialia.* Respondet Pareus pag. 39. *Nec caret calumnia quod VVicleffi & Caluini sententiam in hoc diuellit, quasi ille omnia electorum peccata fecerit absolutè venialia: iste autem post fidem adeptam, non ante fidem admissa. Nam nec illud sensit VVicleffus, nec istud Caluinus. Sanctos enim per fidem, & misericordiam Dei omnium suorum peccatorum, tam ante, quam post fidem commissorum consequi veniam docet.* Conficitur ex eâ ratione, omnia prædestinatorum esse venialia. Nam prædestinatorum post fidem omnia sunt venialia, seu sanctorum fidelium. Hæc enim errore Caluiniano reciproca sunt. Omnes sancti fideles sunt prædestinati, & omnes prædestinati post fidem adeptam, sunt sancti fideles. At prædestinatorum fidelium omnia sunt venialia, teste Caluino, quia remittuntur; ergo & prædestinatorum absolutè omnia sunt venialia, quia & illa remittuntur. Hæc ergo Caluinus, & quidem ἀσύςατα, vt necesse est, in homine Sectæ nouæ autore. Mirum verò Pareo displicere moderationem Bellarminianam, non attendere fratrum Lutheranorum zelum. Reineccius

Caluinus Caluino & Pareo Pareus contradicit.

Lutherani eandem Caluino hæresin tribuunt.

de ortu Caluinistarum c. 4. *Eos comparat prædestinatis seu prædestinariis, qui docent, impiis mala opera seu peccata non obesse, nec esse damnabilia, si ad vitam æternam sint prædestinati.* Et Philipp. Nicolai in summá relig: Caluinisticæ pag. 49. & 50. ex multis concludit, *Prædestinationem Caluinianorum nihil aliud esse, quam imaginarias insulas beatorum, vbi non exorbitari, vbi non male agi, nihil perdi, nihil corrumpi potest. Sedere Caluinistas tam profundè, tam profunde inquam, in sinu Dei, vt perire non poßint, si scortatione, homicidio, adulterio, similibusque flagitiis inquinentur, nihil nocere.* An & illi Iesuitas agunt? an alii Lutheranorum, qui hanc Caluino sententiam tribuunt, & impugnant? an ita loquitur, & aliud sentit? an vero aduersarius verba captat, sententiarum ignarus? Nam calumniæ nouem quas Bellarmino imponit, ex his omnes concidunt.

Idem sentit Pareus.

Deinde cur hanc sententiam iam ipse defendit, si non est Caluini, nec ipsius? Videbimus in responsionibus eum dicere, quod Caluino per calumniam impingi queritur.

Bellarminus.

Adam, Dauid, Petrus peccarunt lethaliter; fuerunt autem prædestinati, aliqui igitur prædestinati peccarunt letaliter. Fuisse prædestinatos, variè docetur, sed concedunt aduersarij. At Adami peccatum fuisse mortale constat ex eo, quod fidem, gratiamq; amisit.

Pareus pag. 12.

Noua Parei hæresis.

Conclusio datur, sed non ex præmißis. Quia primò assumptio falsa est. Adam enim lapsus est, non vt prædestinatus, sed vt prædestinandus. Et deinceps: Adam igitur cum laberetur, nondum erat prædestinatus, sed prædestinandus: non quod prædestinatio sit lapsu hominis posterior tempore, sed quod posterior ordine in æterno Dei consilio.

Defensio.

Defensio.

Suspicari non libet senem consulto hæc dictasse, occulto tamen Dei permissu factum, vt Bellarmini causam ex se optimam, faceret etiam auditoribus suis speciosam, totiq; mundo ostenderet tam bonis argumentis, sine grandi impietate non posse contradici.

Primo conclusio datur: ait: Nos vtraque manu datam accipimus. Prædestinati igitur peccant letaliter, non modo, quod eorum peccata naturâ sint mortalia, sed ita mortalia, vt fidem, & iustitiam tollant, quod negant Caluinistæ, fidem enim Adamus perdidit. Vidit hunc nodum aduersarius, ideo laborat, sed ita vt nouam hæresin condat, aut veterum Epicureorum de prouidentiâ immane sacrilegium, nostro sæculo, politicorum tam fœcundo, ipse postlimio reducat. Assumptionem negat, illa est: *Adam erat prædestinatus.* Respondet, *peccasse non vt prædestinatum, sed vt prædestinandum.* Verũ hoc monstrũ est. Nec vt prædestinatus, nec vt prędestinandus, peccauit, sed vt creatura non summè bona, vt creatura suo libero relicta arbitrio, vt creatura non immutabiliter adhærẽs suo creatori, cui data erat gratia, qua stare posset, non firmitudo, quâ labi non posset. Nihil igitur ad rem Bellarmini verba: Adam prædestinatus peccauit letaliter. Parei: Non vt prædestinatus peccauit letaliter. An non pueri docebamur horum discrepantiam, Callias sutor disputat, Callias vt sutor disputat? Nec tamen quia posterius falsum, ideo prius non verum. Dauid rex adulterat, non tamen vt rex, sed vt luxuriosus alienum thorum incestat. Et hæc quidem hæresis est philosophica, vel risu adolescentulorum, vel magistri ferulis corrigenda.

Adam peccans an prædestinatus?

Aduersarius dialecti ces ignarus.

At illa: *Adam cum laberetur nondum erat prædestinatus, sed prædestinandus:* horrenda est contra Dei prouidentiam blasphemia. Prædestinatio

Blasphemia aduersarii.

Dei fuit ab æterno, Adam non fuit in dubios euentus creatus, itaq; ante mundi constitutionem electus, & prædestinatus est. Audiat saltem Caluinum l.3.inst. c.21. *Prædestinatio est æternum Dei decretum, quo apud se constitutum habet, quod de vnoquoq; homine fieri vellet.* An Deus vel æternum hoc de Adamo non decretum habuit, aut Adamus antè hoc æternum est lapsus? Et l.3. inst. c.23.

Christus redemptor fuit ante lapsum prædestinatus, ergo & Adam; cui enim lapsuro efficaciter Saluator fuit prædestinatus, is quoque fuit prædestinatus in salutem. Christi verò prædestinationem lapsu priorem esse docet prior ratio, quia fuit ab æterno, tum scriptura, quia in sopore illo graui fuit reuelatus Adamo.

Adam cũ laberetur, erat & non erat prædestinatus, Secundum Pareum.

Quod addit. *Non quod prædestinatio sit lapsu hominis posterior tempore*, est de pudore mendacij inutilis excusatio. Si iam erat prædestinatio, ergo iam erat prædestinatus. Itaque perinde est, ac si dicat. Adam cum laberetur, non erat prædestinatus, sed tamen cum laberetur, erat prædestinatus.

Sed fortè excusare poterunt illa. *Sed posterior ordine in æterno Dei consilio.* Nihilo minus. Primò sunt contra Caluinum & Bezam, deinde nihil ad rem præsentem.

Primò. Quia prædestinatio seu decretum æternũ, vt illi aiunt, antegreditur omnes causas, vt & reprobatio, non ergo in ordine illo est posterior, præuisione, vel ordinatione lapsus, vt illi loqui solent. Secundum probo. Ratio aduersarij hoc argumento nititur. Prædestinatio hominis ordine posterior est in æterno Dei consilio, quam præuisio, & decretum lapsus, ergo cum homo labitur in tempore nondum est prędestinatus in æterno Dei consilio. Nisi enim sic argumentetur, nhil efficit. At argumentum illud est hominis cum ratione insanientis. Hoc enim solum sequitur:

Mira aduersarii hallucinatio.

quitur: Ergò cum Deus decreuit lapſum permittere, & lapſum præuidit, nondum erat eo momento prædeſtinatus in æterno Dei conſilio. Loquor de momento non temporis, ſed ordinis. Nec tamen hinc ſequitur: cum laberetur, non fuiſſe prædeſtinatum. Exemplo rem manifeſtam efficiam. Pœnitentia Adami ordine in æterno Dei conſilio poſterior eſt lapſu illius, ſicut prædeſtinatio eſt poſterior peccato. Nec tamen ſequitur, ergo pœnituit non lapſus, ſeu ante peccatum.

Quin blaſphemam etiam nugatorio commento ſtabilire adnititur. L. 2. de grâ cap. 9. dixit Cardinalis: *prædeſtinatio eſt ſecuta præuiſionem peccati originalis.* Hoc ipſe ad nouam hæreſin detorſit. *Prædeſtinatio ſecuta eſt præuiſionem peccati originalis; ergo ſecuta eſt peccatum originale.* Ergò Adam non erat prædeſtinatus cum laberetur. Pergamus: Prædeſtinatio ſecuta eſt præuiſionem originalis peccati, quod contraxit Apoſtolus Paulus, ergo, ille contrahens peccatum originale, non erat prædeſtinatus. Pœna peccati Dauidici in æterno Dei conſilio fuit poſterior adulterio, nec tamen punitus non adulter.

Alterum eſt ex ca. 2. de gratiâ & libero ca. 9. *Prædeſtinatio* (inquit) *eſt prouidentia Dei, qua certi homines ex maſſa perditionis, miſericorditer ſelecti, per infallibilia media in vitam diriguntur æternam.* At Adam ante lapſum non erat de maſſâ perditionis, ergo *nec prædeſtinatus*; ſubijcit aduerſarius. Verum reſpõdeo. Solum ſequi ex Bellarmino. Ergo ante lapſum præuiſum, non erat præuiſa maſſa perditionis, non autem cum laberetur non erat prædeſtinatus. Mira peruerſitas, conſiliorum diuinorum inter ſe ordinem cum executione temporariâ conferre. Adam ante lapſum non erat de maſſâ perditionis exiſtentiâ reali, primo enim non erat vel ille, vel illa. Et cum eſſet

Conſiliorum diuinorum & executionis ordinem aduerſarius confundit

 ille,

ille, nondum fuit illa. Erat tamen de maſsâ perditionis in præuiſione Dei, imo maſſæ illius caput, qui damnabile fermentum intriuerat, ſeque ipſe totum immerſerat, talem præuiſum, de maſsâ infelice Deus in ſalutem prædeſtinauit, ante quam crearet, Deus, cuius miſericordia ſuper omnia opera eius.

Operæ precium eſt etiam huius rationis conſectarium tradere.

Ex aduerſarii argumento, nemo prædeſtinatus peccaret.

Argumentum Parei eſt in formâ. *Adam ante lapſum non erat in maſsâ perditionis, ergò non fuit ante lapſum ſelectus ex maſsâ perditionis.* Hoc aut ſic intelligendum eſt: Adam ante lapſum prȩuiſum, non erat in maſsâ damnationis præuisâ, aut; ante lapſum actualem, non erat in maſsâ perditionis actuali. Sed neutro modo ſequitur, ergo non erat prædeſtinatus cum laberetur. Nam omnibus Adami poſteris hoc eodem tenore accommodo. Ante lapſum Adami præuiſum, nullus homo erat in maſsâ perditionis præuisâ, vel; ante lapſum Adami actualem, nullus homo erat in maſsâ perditionis actuali. Ergò nullus homo prædeſtinatus peccat, ſed vt prædeſtinandus. Quod eſt contra omnes, nō orthodoxos modo & Lutheranos, ſed Caluiniſtas quoq; & infelicem diſputatorem, Bellarmini, & veritatis hoſtem.

Necdum errandi finis. *Nec diuerſum* (inquit) *volunt auctoritates Patrum.* Neq; enim dicunt; *Adam fuiſſe prædeſtinatum, ſed eſſe ſaluum. Rectè, quia post lapſum fide Chriſti ſaluatus eſt.*

Reſpondeo. Inuictum eſſe Bellarmini argumentum. Saluus eſt ergò ab æternitate prædeſtinatus, in tempore per fidem deſtinatus in ſalutem, ergo cum peccaret in tempore, iam prædeſtinatus erat, vt docēt rectè Patres contra Tatianos, qui ideò hæreſeos damnati ſunt, quod Adamum ſaluum eſſe negarent. An obſecro non eſt bona conſequentia; Saluus eſt, ergo prædeſtinatus?

Pareus

Pareus pag. 64.

Propositio vera quidem est, sed amplificatio falsa, excidit Adam gratiâ creationis quam habuit: non excidit gratia iustificationis, quam nondum habuit. Amisit fidem mandati, non fidem promißionis, quam nondum habuit.

Defensio.

Ludimur ab homine non tam vrbano, quam futili. *Non excidit gratiâ iustificationis.* Non ergo fuit iustus? planè fuit. *At non habuit fidem promißionis.* An non ergo credidit Deum in promissis fideliter veracem? Non credidit se prædestinatum, ex tuâ & tuorum mente loquor? an laborauit ἐποχῇ, non sciuit, quomodo Deus erga se fuerit affectus? Verum de hoc actum est controuersiâ priore. Caluinus l. 2. inst. c. 2. §. 12. non distinguit inter fidem mandati & fidem promissionis. *sed spiritualibus donis, & supernaturalibus ait exinanitum fuisse.* Deindè illam amisit teste Caluino quam per regenerationis gratiam recuperat, at fidem promissionis recuperat, amisit igitur. Tertiò, Caritatem Dei, & proximi amisit, possunt ergo & illa amittere Caluiniani fideles. Quartò, Alii Caluinistæ contra sentiunt. Daniel Tilenus Professor Sedanensis in consideratione sententiæ Iacobi Arminii, de prædestin. &c. c. 14. Titulum facit. *Argutia Arminii de Adamo quod fidem in Christum non habuerit, nec amiserit redarguitur.* Eum deindè toto capite refutat. Intelligit autem fidem promissionis. *Certè* (inquit) *non frustra est potentia naturalis, qui singulare & certum quodpiam obiectum, ad illius potentiæ ambitum pertinens non offertur, ita nec fides, siue potentia in genere credendi defuit, aut frustra data fuit Adamo.* Fuit ergo illi data fides habitualis, quæ nunc datur Caluinistis, vt ipsi putant. ea in illo fuit delebilis, ergo & nunc, si vrgeant dona Dei esse ἀμεταμέλητα, quæram an non fides Adami fuerit data sine pœnitentiâ?

An fidem habuerit Adamus.

Dissentiunt Caluinistæ.

Bellarminus.

Dauid peccauit adulterio,& homicidio letaliter,& fuit prædestinatus,ergo prædestinati peccare possunt letaliter. Assumptio probatur ex Luc. 13.28. Act.13. 22. Psalm. 50. petit in se creari cor mundum, &c. Sic Ambrosius,Augustinus,Gregorius.

Pareus 66.

Totum datur. Amisit multa dona non omnia. amisit mundiciem cordis,rectitudinem,nouitatem Spiritus,& bonitatem conscientiæ.mansit fidei lumen,probatur tribus rationibus.Primo Psal.37.Iustus si ceciderit. Secundò.1.Ioan.3.9. qui natus est ex Deo, &c. Tertio,quia conuersus est.

Defensio.

Dauid prædestinatus peccauit letaliter.

Totum dat. Sed mox retrahit, partem amisisse, partim retinuisse vult,atque adeo nouit, quid amiserit, vt in pectore quasi Sosia in cirneâ delituisse videatur. Verum hæc impia sunt. Nam amissa mundicie cordis, rectitudine, nouitate Spiritus, lætitiâ salutis, solatio gratiæ, bonitate conscientiæ, &c. etiam gratia Dei,fides[iuxta eorum errores]Spiritus Sanctus perditur,posteriora negat Dauidem perdidisse: nec ergo priora.Propositionem probo,primo Auctoritate Caluinistarum, neque enim omnes in omnibus æq; absurde sentiunt.Nam Vorstius, & Venator ex instituto hoc docent. Zanchius negat in renatos cadere peccatum regnans, seu conscientiam vastans, non ergo bonitatem conscientiæ amittere possunt, nam bonitate amissâ,conscientia vastatur.Idem docet VVolffgangus Musculus locis Theologicis de peccato.

nec retinuit Spiritum Sanctum.

Qua fides Dauidis in peccatis? iuxta Caluinistas.

Secundò. *Dauid in flagitiis illis retinuit fidem.* at quam fidem? Quâ credit illa non imputari, iustitiam imputari.Pareus enim comm.in Rom.8. 1. sic disputat. *Tu peccatores, ideo damnatus.* constituamus ita loqui Nathanem. Respondebit Dauid verbis Parei: *Fide sum in Christo Iesu,in quo nihil nisi iustitia, & salus,*

lus, ſum igitur iuſtificatus, damnationis liber. Nulla (condemnatio) vniuerſalis omnem partitionem exclu-dit. Quid ſi quis Dauidi, cum doloſis literis ſincerum ſubditum neci deſtinaret, ingereret, hoc propoſitum eſſe damnabile, riſu ille hominem exciperet. *Nulla (condemnatio) vniuerſalis omnem partitionem exclu-dit: nec à prioribus, nec à præſentibus, aut futuris pecca-tis metuenda piis condemnatio: quoniam à prioribus ſunt iuſtificati fide, præſentia ſunt remiſſa, futura non impu-tabuntur propter Chriſtum, modo in domandâ carne ſe-rium ſtudium adhibeant, vt fides eluceat.* Imò ſi hoc non faciant, ſol tamen ortus mihi eſt, etſi ortus non-dum ſit. Hæc Dauid rex, ex Dauide Pareo. Ab adulte-rio iuſtificatus ſum, ſigno literas cruentas, remiſſum eſt, occidam Vriam, non imputabitur. Salua res eſt, mea eſt Bethſabea coniux. Interim credo Deum mihi eſſe propitium, etſi nondum propitius ſit.

Tertiò. Si nouitatem Spiritus, &c. amiſit, ergò & fidem. Nam Pareus in Rom. 8. *fidem*, ait, *nunquam eſſe ſine dilectione aliquali*, ſed dilectionem Dauid nullam habuit, cum Vriam occideret. & in c. 3. *Hæc enim fides* (ſine operibus exiſtens) *eſſet fides mortua, non viua.* At Dauidis fides erat ſine operibus.

Quartò, Duo argumenta aduerſarii iam ſupra ſo-luta ſunt. Tertium eſt ridiculum. *Pœnituit, ergo fidem retinuit.* Nã & Adam pœnituit, & tamẽ fidem amiſit.

Quintò, *orat, ne Spiritum Dominus auferat, ergò re-tinuit.* Reſpondeo. Amittere ergo poterat, & in peri-culo ſe conſtitutum videbat. orat ne in eadem reci-dat, deſtitutus Spiritu Dei, quẽ iam ex parte receperat.

Bellarminus.

Petrus ter negando, peierando mortaliter pecca-uit, erat autem prædeſtinatus, igitur prædeſtinati poſ-ſunt peccare mortaliter.

Pareus pag. 69.

Hoc datur totum. Et. *Aut Petrus negando, eiurando peni-*

penitus fidem excußit, & excidit gratiâ, aut non. Si penitus hæc amisit, sequitur irritam fuisse Christi pro Petro precationem. Luc. 22. 32. Si non amisit, fallitur Bellarminus.

Defensio.

Petrus fidem Catholicam retinuit in negatione.

Non amisit Petrus fidem penitus, imo ne fidei quidem partem. Negauit scire quid ancilla loqueretur, negauit nouisse se hominem, peierauit, nec tamen quod metus infirmo expresſit, etiam animo sensit, contraria menti vox erat, Intelligebat quid diceretur, Dominum quem negauit repetito periurio, nouerat; non igitur fidem perdidit, nec inanis fuit Domini oratio Luc. 22. 32. Impetrauit namque ne fides eius deficeret. Caritatem tamen, iustitiamque perdidit, fide enim informi, nec iam dilectionis influxu viuente iustus esse non poterat, licet fidelis esse non desineret. Verum præstat argumentationem in aduersarium conuertere. Aut Petrus negando, eiurando, penitus fidem, quâ crederet sibi remissa peccata omnia (quæ Caluinistis est fides iustificans) excusſit, & excidit gratiâ, aut non. Si excusſit, & excidit gratiâ, fides & gratia amitti possunt. Si non; Ergo & Caluinistæ mentiendo, peierando, dicendo non nosse se Christum, asserendo Deum esse diabolum, & econtrario hunc esse Deum, fidem iustificantem, gratiam Spiritum Sanctum retinent. Quod si annuant, nullâ fide digni sunt.

Bellarminus.

Peccata in Adamo, Dauide, Petro aut potuerunt consistere cum fide iustificante, aut non. Si non: excusserunt fidem iustificantem, & per hoc fuerunt letalia. Si potuerunt: Sequitur homines iustificatos liberè præuaricari Dei mandata, &c. omnia enim sunt à Deo condonata, atque remissa.

Pareus pag. 73.

1. Quod Caluinus dicat, adulteria, homicidia, periuria,

ria, &c. posse consistere cum fide iustificante, vel fidem veram, viuam, & iustificantem, manere in homine cum grauissimis lapsibus, est pura puta calumnia. 2. Etiamsi consisteret, non tamen haberent licentiam peccandi, quia Deus grauissimis flagellis lapsus sanctorum vindicat, quibus ad resipiscentiam eos compellit. 3. Fides ægra non iustificat, sed sana. libera. 4. Deus ante resipiscentiam imputat peccata infligendo pœnas temporales, & imputaret etiam infligendi æternas, nisi resipiscerent. 5. Fides est habitus, sed eius actus proprius est remissionem peccatorum accipere. Iustificat fides non quà habitus habitualiter, sed qua actus, actualiter remissionem peccatorum recipiens. Fides habitualiter manens, iustificans dici non potest. *Quæ fides iustificans?*

Defensio.

Egregia Bellarmini ratio, adeo solida, vt hic dum vellitur ab aduersario, totidem verbis confirmetur.

Nam, vt ad primum respondeam, luculentum est in re clara mendacium, causæ desperatæ indicium. Dicit enim non modo Caluinus, quod affirmare eum dicere, puram putam calumniam clamat Pareus: Sed ipse etiam Pareus idem dicit. Flagitia illa cum fide iustificante posse consistere. Nam l.3.inst.ca.1.§.21. *Ita pia mens, vtcumque miris modis exagitetur, ac diuexetur, supra omnes tamen difficultates tandem emergit, nec sibi misericordiæ diuinæ fiduciam excuti vnquam patitur. Quin potius quæcunque eam disceptationes exercent, & fatigant, in istius fiduciæ certitudinem exeunt.* §.20. duo quæ fidem oppugnãt proponit. *ipsa* (inquit) *præcipuè conscientia, incumbente peccatorum mole oppressa, gemit, &c. Siue ergo res aduersæ iram Dei præseferant, siue eius argumentum & materiam conscientia in se reperit, indè tela & machinas, ad profligendam fidem incredulitas arripit.* Hinc graue in aduersarium promo telum. Cum illa fide adulteria, homicidia consistere possunt, quæ *quantumuis conscien-* *Caluinus docet flagitia cum fide iustificante posse consistere.*

tia mole peccatorum oppressa gemat, arguat, fremat, tumultuetur, quantumuis argumentum & materiam iræ diuinæ in se reperiat, tamen eam pia mens nunquam excuti patitur, sed emergit, &c. at tales est fides Caluini, ergo cum ea possunt illa flagitia in eâdem sede morari: Idem paulo post: *Ergo quod iam superius dictum est, rursum asserimus, fidei radicem nunquam è pio pectore auelli, quin imâ in parte defixa hæreat*. Et. *non intus in cordibus piorum regnat incredulitas, sed foris oppugnat, nec lætaliter vulnerat suis telis, sed infestat, aut certe sic lædit suis telis, vt vulnus sit sanabile*. Inde rursum explorata ratio, ad id quod Cardinalis dixit, probandum: semper hæret in Caluinistis fides, aliquando sunt in eisdem scelera, simul ergo fides & scelera. Dilucidius etiam §.24. cõtra semipapistas, qui dicebant: *Si Christum consideras certa salus, si ad teipsum reuerteris, certa damnatio. Qualis autem* (inquit Caluinus) *illa fiducia, quæ subinde, desperationi cedit?* deinde argumentum retorquet. *Si teipsum consideras certa damnatio: Sed quoniam Christus cum omnibus suis bonis sic communicatus, vt omnia eius tua fiant, vt fias eius membrum, adeoq; vnum cum ipso: iustitia eius tua peccata obruit, &c. Christum sane à nobis separare, aut nos ab ipso minime conuenit: sed vtraque manu fortiter retinere oportet, qua se nobis agglutinauit societatem*. Et. *nec solum indiuiduo societatis nexu nobis adhæret, sed mirabili quadam communione in vnum corpus nobiscum coalescit in dies magis ac magis, donec vnũ penitus nobiscum fiat*. Sic ille contra Semipapistas Ex quo cõtra Semicaluinianũ Pareum Papistæ. Fiducia illa nunquam cedit desperationi, Christus cum omnibus suis bonis communicatus est nexu indiuiduo Caluinistis, omnia Christi facta sunt Caluinistarum, iustitia eius, eorum peccata obruit. ergo cum sceleribus illis manet Christus cum omnibus suis bonis, nec auelli potest, nexu indiuiduo agglutinatus, inter bona illa & fides,

ma-

manet ergò fides. & §. 30. *Quorsum autem fides saluifica nisi quatenus nos in Christi corpus inserit?* manet ergo & fides saluifica inserens eos in corpus Christi, & scelera inserentia in corpus dæmoniorum.

At §. 31 Etiam exemplo nostrum Caluinastrum refutat Caluinus, *Rebecca oraculo certior facta, de electione filii sui Iacob, eius benedictionem malo artificio procurat: maritũ suum gratiæ Dei testem ac ministrum decipit: filium suum cogit mentiri: variis fraudibus & imposturis corrumpit Dei veritatem, deniq; ludibrio exponens eius promissionem, quantum in se est, eam abolet. Neq; tamen hoc opus quamlibet reprehensione dignum fide vacuum fuit.* Et paulo post: *Docent certe hæc exempla errores sæpe fidei esse permistos: sic tamen, vt primatum semper illa teneat, vbi vera est. Sicuti enim Rebeccæ particularis error, non irritum benedictionis effectũ reddidit, sic nec fidem, quæ generaliter dominata est in eius animo, principiumq; & causa fuit illius actionis.*

Dixerat ante: *Posset hic tamen moueri quæstio, quid de Sarâ & Rebeccâ sentiendum sit, quarum vtraque fidei zelo, vt videtur, impulsa extra fines egressa est.* Fides verò quæ mansit in his vera, & viua fuit. Forma argumenti nostri hæc est. Peccata Saræ, censore Caluino in Gen. 16. sunt. *obrepens desperatio sobolis. lecti coniugalis pollutio, coniugii corruptio, mariti ad impatientiam incitatio, denique adulterii rea est, & marito eiusdem criminis causa.* Rebeccæ peccata hic enumerat. *Malo artificio procurare benedictionem, maritum decipere, filium ad mendacium cogere, corrumpere Dei veritatem, ludibrio exponere promissionem, eam quantum in se est abolere.* Sed cum his manet fides, imò fides causa est, principium harum actionum. Etsi enim Abrahæ & Saræ, vt ait Caluinus, *claudicauit fides, non tamen in substantia, sed medio, vel agendi ratione.* pari ergò ratione si idem faciant Caluinistæ, illa adulteria non tollent fidem. Errores illi cum fide permanent.

Eadem sententia Bezæ. *Fides* (inquit) in 1. Tim. c. 4. 1. *est certa nostræ in Christo electionis persuasio, si autem certa est electio, fidem etiam perseuerantiæ donum semper comitetur necesse est.* Agit vero de fide iustificante, fide electorum, quam à temporaria fide multis distinguit: Parem facit infirmitate electionem & fidem, electio Caluinistarum in horrendis lapsibus manet immota, ergò & fides inquam vera, viua. Postremo ipse aduersarius comm. in Rom. 11. dub. 17. verbosissimè de fide indelebili disputat; professus se, de vera, viua fide, quæ est πληροφορία agere. Hæc est eius sententia indelebilis simpliciter, ergo cum horrendis lapsibus consistit.

Quæro etiam quid sibi velit illa in Coll. Mompelgartensi disputatio, vbi Beza affirmat. Simonem magum non habuisse veram fidem, si enim veram fidem habuisset, eam nunquam amisisset, pag. 463. Et: Dauid nequaquam amisit, sed retinuit, in adulterio fidem. Ergo hæc de vera fide dicuntur, alias illis cum Lutheranis non est controuersia.

Libertas Caluinistarum licentiosa.

Ad 2. *An verò Deus lapsus sanctorum vindicat?* Aliter Caluinus l. 2. c. 4. §. 29. *Certè si punit Deus peccata imputat, si vindicat recordatur.* Secundò. Secum confligit: supra erat alia eius oratio. *Peccata non damnare, non præterita, quia iustificatus est, non præsentia, quia remissa, non futura, quia non imputabuntur.* Tertiò. Etiam illæ pœnæ, seu vltiones licentiam non coercent. Nam mox ab adulterio, homicidio credere possunt sibi remissa, atque ita flagella auertent. Quartò, ab æterna pœna sunt liberrimi, at multi eorum in hac vita grauissima illa flagella non sentiunt.

Fides ægra.

Ad 3. *Fides ægra non iustificat?* tu quidem hoc fingis, at damnat te Caluinus l. 3. inst. c. 2. §. 19. *Summa hoc sit, vbi primum vel minima fidei gutta mentibus nostris instillata est, iam faciem Dei placidam, & serenam, nobisque propitiam, contemplari incipimus.* Ergò

tum

tiim iustificamur, quia apprehendimus iustitiam, & Deum contemplamur propitium. Secundò Caluinus l.3.inst.c. 2.§.21: *Quum ergo concutitur fides, perinde est, ac si violento ictu iaculi, miles alioqui firmus pedem mouere cogatur, & paulum cedere: cum autem sauciatur fides ipsa, perinde est, ac si Cl peus fractionem aliquã ex impressione recipiat, sic tamen vt non perforetur.* Tertiò ibidem §.12. *Hoc interim tenendum est, quantumuis exigua sit, ac debilis in electis fides, quia tamen spiritus Dei certa illis arrha est ac sigiliũ suæ adoptionis, nunquã ex illorum cordibus deleri posse eius sculpturam.* Graue & solidum hinc argumentum: Ea fides quæ certa est arrha Spiritus Sancti, & sigillum adoptionis, est fides iustificans, sed exigua etiam & debilis est arrha & sigillum, ergo iustificans. Ergo fides iustificans non deletur ex cordibus electorum. ergo & fides debilis, est fides iustificatrix. At verum esto: Fidem ægram non iustificare, nulla ergo iustificat, omnis enim fides imperfecta est, ideoque peccatum ex naturâ mortale, nulla ergo iustificat. Omne enim peccatum mortale ægrum, nullum est sanum.

Ad 4 Temporales non semper infligit pœnas, æternas ob electionem non potest infligere, nec aduersarii philosophia permittit illas conditionatas: Nisi resipiscerent. hoc enim est dicere: *Si non essent electi.*

Ad 5. Subtile videtur homini crasso effugium in distinctione fidei actualis & habitualis. Verum omnem Caluinistarum fidem iustitiamque euertit. Rem paucis examinemus. *Fides actualis & habitualis.*

1. Fides iustificans, seu certa persuasio salutis, est simpliciter indebilis, Actus fidei est fides iustificans, seu certa persuasio salutis, est igitur simpliciter indelebilis. Maior est aduersarii, & Minor, debet ergo & esse conclusio.

2. Actus fidei non est indelebilis, non igitur persuasio certa salutis.

3. *Illa sola est persuasio certa salutis, quæ est indelebilis fides, at solus habitus est indelebilis, solus ergo habitus est persuasio salutis, solus ergo habitus fides iustificans.*

4. *Minima stilla fidei, fides exigua & debilis est arrha, &c. facit vt Deum propitium contemplemur, si illa fides est habitus, ergo iustificat fides habitualis. si actus, ergo falsum, quod ait Caluinus, eam non posse deleri. Actus enim facile euanescit.*

5. Quærit pag. 461. Lutheranus ex Beza. *An Simon magus crediderit?* Negat ille: *quia si veram fidem habuisset, eam nunquam amisisset.* Agiturne de habitu, an actu? Non de actu, amitti enim ille, & redire potest. Nec de habitu, ille enim non est fides iustificans, vt Pareus vult: at Beza & alii agunt de fide iustificante. Deinde Beza, illa verba: *Credidit,* interpretatur, *simulauit se credere,* at non simulauit habere se habitum, sed actum. Nam *simulauit* (inquit) *se credere. sed reuera non credidit.* De actu igitur disputatio. Ita credidit Abraham Deo, actu scilicet. Actus ergo fides iustificans, & quidem solus. Ergo fides iustificans tolli, amitti, euanescere potest. Ergo non sunt ἀσύστατα esse certam persuasionem, & delebilem esse. Hoc ergo quod iustificat in fide amittitur, remanet languidus, & inefficax habitus, qui non est fides iustificans, si aduersario creditur.

Perabsurdum est, & ridiculum, quod ex aduersarii insanissimâ ratiocinatione consequitur, non omittendum tamen, vt videant miseri adolescentes, quam nullo fundamento, anticipatâ quadam pertinaciâ euanidam certitudinem imaginentur.

Absurda Caluinistica. 1. Fides habitualis non iustificat nisi cum actum exercet. 2. Omnia opera naturâ sunt mortalia. 3. Eadem imputantur, donec actus fidei exerceatur. Hęc fundamenta: at consectaria illa. 1. Omnes Caluinistas iniustos esse, & illis imputari peccata, omni eo tempore,

quo actum fidei non exercent. Ideoque maximâ temporis parte viuere inimicos Dei, quia peccant, & non iustificantur, nisi actu fidei. Secundò, Etiam si actu apprehendant iustitiam, continuo tamen surgente quocunque concupiscentiæ motu, iustitiam amittant necesse est. Est enim mortale peccatum, & imputatur, quia actus fidei abest. Tertiò, Aut nemo, aut paucissimi per fidem illam consequuntur æternam salutem.

Vix potest aliquis eorum fiduciando saluari.

Ratio. Illi soli salutem consequuntur, quibus morientibus peccata non imputantur, sed tales aut nulli, aut paucissimi sunt. assumptio probatur, Illis solis non imputantur, qui per actum fidei iustificantur ante mortem, vt nullum sequatur peccatum post illum actum. Quod si vel minima minimi peccati cogitatio, si motus vllus cuiuscunq; delicti, si mentis auocatio, si caritatis imperfectio sequatur, actũ est de salute, nam actu fidei præeunte, non iustificantur à peccatis subsequentibus, nec actus vllus peccata illa subsequitur, moriuntur ergo in illis, aut sine actu fidei liberantur. Exemplum. E gymnasio Parei egreditur auditor πληροφορίᾳ suâ plenissimus, qua omnia præterita, præsentia, facinora penitus delet: interim pomum vicino aufert, vel minima minimi pomuli auferendi cupiditate pulsatur, ante verò quàm fiduciari iterum possit, in ipsa furti meditatione subita miserum mors occupat, aut mentis defectus, vt de salute cogitare nequeat. Misero illi nulla spes salutis in æternum. Nam hoc peccatum imputatur non modo ad temporarias, sed æternas pœnas, quia fide & pœnitentiâ non expiatur. Eâdem in causâ periculoque omnium Caluinistarum mortes sunt. Adeo vt soli illi salui sint, quorum vltimus actus vitæ, est actus fidei. Si enim illum in multiplici naturæ luctantis agone alius quicunque excipiat, cum naturâ sit peccatum mortale, imputabitur, & quia fides iustificans abest, in æternũ non remittetur.

Soli saluantur quorum vitæ actio vltima est fiduciatio iuxta Pareum.

Amplius hoc ostendo. Negaturos non existimo, quin multi sint, quorum vltima vitæ actio, non sit illa fiduciatio, seu persuasio salutis. Si alio ergo quocunq; actu terminatur vita, necesse est illum, quicunque proxime mortē antecedit, actus, peccatum esse mortale, certo constat non remitti, non enim actu fidei, qui nullus in hâc vitâ posterior esse statuitur, cum alius vltimus esse dicitur. Sine actu autem fidei suæ negant illi peccata remitti. Si igitur ex subsequente nulla est remissio, vel ex præterito actu sit, oportet, vel omnino nulla. nisi & purgatorium concedunt illi. At persuasio præcedens peccata, non potest esse instrumentum sequentium remittendorum. Nam si actum fidei in omnia annorum futurorum crimina delenda extendunt, quis non videat omnium scelerum dari licentiam, cum atrocissima quoque eo quo committuntur momento efficaciâ præteritæ fidei sunt expiata?

CAPVT VIII.

1. *Dissensiones Lutheranorum & Caluinistarum de peccato Veniali.*
2. *Inuoluntaria sunt Venialia Philippo.*
3. *Ex solâ non-imputatione non sunt Venialia.*
4. *Pro remissione peccatorum orant sancti.*
5. *Psal. 98.6 & 98.6. exponuntur.*
6. *Caluinistas maximam vitæ partem in desperatione versari.*
8. *Proposito peccandi non recedi à Deo ex opinione Melanchthonis, & Caluinistarum.*
9. *Iidem cum peccant, fiunt hæretici.*

10. Bel-

10. *Bellarminus Calumniâ liberatus.*
11. *Lutheranorum de Caluinistis opinio.*

Refellitur error Lutheranorum.

Bellarminus.

TRes errores sunt Lutheranorum. Primus, Peccata illa esse venialia, quæ non imputantur. Secundus. Non imputari quæ cum fide possunt consistere. Tertius, hæc esse sola inuoluntaria.

Pareus pag. 76.

1. *Astu Lutheranorum, & Caluini sententiam diuidit. 2. Aliam ante Luthero ascripsit opinionem. 3. Dari posse duo priora, Tertium se nusquam legisse.*

Defensio.

1. Non diuidit, sed toto orbe diuisos ostendit, clamant id Lutherani, & portentosæ vel inscitiæ, vel impudentiæ est id vel negare. Audi Collocutorem Lutheranũ in Colloq. Momp. paginâ 465. *Distingue inter infirmitatis humanæ labes, & manifesta scelera contra legem Dei. Illæ enim peccata venialia sunt. Hoc est, quæ credentibus & electis non imputantur, quibus Spiritus S. non amittitur.* *Lutheri & Caluini opiniones contraria.*

2. Eodem locutiones illæ Lutheranorum saltem illorum opinione recidunt. Dicunt *venialia, quæ teguntur, quæ non imputantur,* sed speciatim illa, *quæ cum fide consistere possunt.* Nam hac in parte nobiscum conueniunt Lutherani, vt dicant, quibusdam peccatis excuti spiritum, & iustitiam amitti, aliis verò minime.

3. *Tertium* (inquit) *nusquam reperio. Quod omnia, vel sola, quæ cum fide consistunt, dicat Philippus inuoluntaria, vel sola inuoluntaria dicat venialia, mendacium est aduersarii.* At iam supra Philippum legendum exhibui, qui ita clarè hoc docet, vt de mente eius ambigere sit hominis latine non intelligentis. Núc alium

librum offero, in quo legis in hunc modum sententiam Lutheranorum, vt cognoscas te mendaciter insimulasse mendacii Cardinalem. Coll. Momp. pag 465. & 466. Beza. *Nullum peccatum est veniale: sed omnia sunt mortalia, hoc est, morte digna. Ideo hæc distinctio tanquam Papistica hic locum habere non potest.* Responsio Lutherani est. *Verum quidem est omnia peccata esse æternâ morte digna: sed nihilominus Spiritus Sanctus discernit infirmitates. quæ non expellunt Spiritum Sanctum ab illis manifestis flagitiis: quibus fides, & gratia Spiritus Sancti, post acceptum baptismum amittitur. Nam quædam sunt peccata quæ Spiritum Sanctum excutiunt, alterum genus est peccatorum, quæ etiam electi deponere non possunt, donec moriantur; Sed contra illa vsque ad supremum spiritum vitæ pugnant, adeoque non ex proposito, sed contra voluntatem suam peccant. Cuius rei Paulus Ecclesiæ suum exemplum proponit: Si autem quod nolo illud facio, &c. Et: Cum ergo contra voluntatem irascitur, non tamen propterea fidem & Spiritum Sanctum amittit, quamuis ira peccatum sit mortale.* Deinde aliam, ait, esse rationem Dauidis. Tertio, Nullam condemnationem esse eis qui sunt in Christo, qui non secundum carnem ambulant; Nam *si secundum carnem ambulent, gratiâ Dei excidere & damnari. Demum, quãdo irascor, tum quod nolo, facio. Sed quãdo quis scortatur, tum quod vult, facit, & Spiritum Sanctum expellit. Ideoque cum Dauid non nolens, sed volens adulterium perpetrauerit; certe damnatus permansisset, si in hoc peccato, ante actam pœnitentiam mortuus fuisset.*

Lutheranis inuoluntaria sunt venialia.

Ecce ratio cur non amittatur fides, & Spiritus sanctus, est, quia peccatum non est voluntarium. Sunt in his, fateor, errores, quos refutabit Bellarminus: meum institutum, est ostendere opinionem Lutheranorum. Qui non loquuntur de amissione fidei actualis, vt Philippum interpretatur aduersarius, sed de omni fide,

fide,etiam habituali,nam hac in controuersiâ à Caluinistis dissident,hi verò cum actualem concedant; aliam negent amitti,necesse est Lutheranos omnis fidei amissionem statuere.

Bellarminus.

Non sunt ideo Venialia, quia non imputantur.Iusti enim orant,vt condonentur, Matth.6. *dimitte nobis,*&c. 1.Ioh. 1.Psal.32.*pro hac orabit ad de omnis sanctus.*Psal.98. *Tu propitius fuisti eis.*Ioan. 13.*qui lotus est,non indiget nisi vt pedes lauet.*

Pareus pag. 78.

Conclusio seipsam elidit.Quia peccatum esse veniale, est venia donari, imputari est puniri.

Defensio.

Non est illa nostra definitio,sed calumnia aduersarii. Veniale est, cui venia facile tribuitur, quod amicitiam cum Deo non dissoluit, nec pœnas meretur æternas.2.Nec imputari & puniri eadem sunt, sanctorum peccata ex opinione aduersarii ante pœnitentiam Deus semper imputat, at non semper punit, non semper armata est in vltionem manus omnipotentis.

Non sunt Venialia quia non imputantur.

Pareus pag. 79.

1. *Cum dicimus:Dimitte nobis,&c. etiam mortalium petimus remissionem.*2. *Nec Lutherani hoc sentiunt.Brentius enim debita vocat spitualia,peccata, & supplicia,quæ Deo propter peccata debentur.*

Defensio.

Nec posuit Cardinalis exclusiuam, nec ea est necessaria.Satis illi est,à sanctis orari pro venialibus, vndè concludit contra Lutheranos, non esse illa iam remissa. Et cum Augustino, Concilioque Mileuitano, in sanctis illa esse, & quamuis deleta non sint pœnitentia,non tamen inimicos Dei constituere.

Sancti orant pro remissione peccatorum: habent ergo peccata.

Nec sine stupore Brentius citatur, tum quia etiam

venialia sunt peccata, debita, & Deo debent supplicia; sed temporalia: tum quia ex vno loco hominis fanatici, & ἀσύςατος dicentis, non euincitur mendacii, qui Lutheranos aliter docere asseuerat. ἀσύςατα autem sunt ex imaginatione aduersarii. Debita *spiritualia & peccata*. Nam hoc est dicere, *peccata non peccata*: vt supra contra Apostolum nugabatur. Eadem ad Lutheri dicta responsio: Certe! Lutherani collocutores. Verba Pauli Rom. 7. *Quod nolo illud facio.* & Ro. 8. 1. *Nulla igitur nunc est condemnatio.* & illa Psal. 32. *Beati quorum tecta sunt peccata*, ad involuntaria, hoc est, venialia referunt. pag. 466.

Pareus pag. 80.

Psal. 98. 6. Moses, &c. & v. 8. Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum. Peccata Mosis, Aaronis, Samuelis Deus illis imputauit: quia est vltus. Et fuerunt Venialia. Venialia ergo imputantur.

Defensio.

Impostura est, non ita argumentatur Bellarminus. Sed alio modo. *Si peccata* (inquit) *iustorum, quia persona grata est, non imputantur, quid opus remissione?* itaque testimonio scripturæ docet. Non ideo, quia Moses, Aaron, Samuel Deo cari, acceptique erant, non fuisse imputata, cum punierit,

Pareus 80.

Agitur de peccatis totius populi.

Defensio.

Primo quidem, id non probat, sine periculo igitur asseritur contrarium. Secundò falsum est: *Moses &*
Psal. 98. 6. Exponitur. *Aaron in sacerdotibus eius: & Samuel inter eos, qui inuocat nomen eius: Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia eius, & præceptũ quod dedit illis. Domine Deus noster, tu exaudiebas eos. Deus tu propitius fuisti eis, &c.* De populo irritatore, & exasperante, nõ

sunt

ſunt verba præcedentia, nec illa ergo quæ in teſtimonium Cardinalis producit. Tertiò. Quanquam exercitus ille errans in ſolitudine, & infeliciùs corde, exauditus diceretur, & peccata eius condonata, non tamen ſoluitur ratio Bellarmini. Nam quorum peccatis fuit propitius, eadem vltus eſt. Ideo verſio Caluiniſtica habet. *Deus fortis condonans fuiſti eis, etiam cum vltionem ſumeres, de actionibus eorum.* Et notæ: *Oſtendit Deum populi miſertum eſſe pro veritate fœderis ſui, mera ſua gratia: ac proinde porro in Chriſto miſerturum eſſe ex Euangelio.* At hi fuerunt ſoli electi, quorum grata perſona, ergo talibus imputantur.

Electorum peccata Deus punit.

De lotione pedum Auguſtini eſt clara ſententia: nec aduerſarius negare poteſt, eum de venialibus intelligendum. Verba citat Bellarminus.

Bellarminus.

Si omnia ſunt venialia, quæ cum fide conſiſtere poſſunt, ergo nulla præter infidelitatem ſunt mortalia. Sola enim infidelitas excludit fidem. Nam vel fidei nomine intelligitur certus aſſenſus, omnibus, quæ Deus reuelauit adhibitus, vel ſpecialis fiducia miſericordiæ Dei, & vitæ æternæ. Si priore modo, experientia multos hanc fidem, etſi multis ſceleribus ſint obnoxij, tenere teſtatur: ſi poſteriore. Eadem experientia innumeros fiduciantes, vitâ turpiſsimos exhibet. Deinde certiores etiam Caluiniani ſunt, & tamen illi Lutheranis blaſphemi ſunt, & ſacrilegi: cum fiduciatione igitur, quam certam certiſsimo errore iactitant, conſiſtunt ingentia flagitia; nec in his modo ſectis palmaribus, Lutheri & Caluini ſobole, verum etiam in Trinitarijs, & Anabaptiſtis, quorum fidentia ad ſtuporem eſt obſtinata.

Non ſunt venialia quæ cum fide conſiſtunt omnia.

Pareus pag. 82.

1. *Non ſequitur: datur enim mortale præter infidelitatem.* 2. *Eſt luſus in* ὁμωνυμίᾳ *fidei: Philippus intelligit fiduciam qua creditur, Bellarminus doctrinam &*

professionem fidei. 3. fidei non sola infidelitas, sed etiam hæresis, error opponitur. 4. Flagitiosi se falsò iactant habere fiduciam, factis enim negant. Qui verè eam habent, flagitiis abstinent. Vbi igitur regnat in corde propositum peccandi, ibi fiducia misericordiæ exulat.

Defensio.

Cum fide Lutherana omnia consistunt, præter infidelitatem.

Ad 1. Ex Lutheranâ hæresi sequitur. Venialia peccata sunt peccata condonata, omnia verò talia sunt, quæ cum fide consistunt, at cum illâ consistunt omnia præter infidelitatem, quod nunc probaturus est.

Ad 2. Lusus est in nudo mendacio Parei. Bellarminus non doctrinam & professionem vocat fidem hoc loco, *sed assensum certum & indubitatum, omnibus rebus adhibitum, quas ecclesia ex verbo Dei scripto, vel tradito credendas esse docet.* ὁμωνυμίαν distinguit, siue hoc modo, siue altero illo, pro vanissimâ confidentiâ fides accipiatur, possunt cum illâ peccata consistere.

Ad 3. Ludibrium est pœdotribarum. Cardinalis nomine infidelitatis, accipit hæreses, errores, seu priuatiuè, seu positiuè fidei oppositos, sic intemperantiam non solius temperantiæ defectu, sed multo magis cupiditatis in cibos, & libidines excessu definim⁹. Probabile est generatim accipi hoc verbum, vt ἀπιςίας græcis est perfidia, diffidentia, proditio, & ἄπιςος, infidelis, perfidus, captiosus, fraudator, hæreticus. Verũ ludos mittamus, Theologum audiamus, & penè Pontificium.

Caluinistæ maxima vitæ parte in desperatione versari.

Ad 5. *Nemo fiduciam habet qui factis negat, atqui factis negat, quicunq; peccat, probatur ex 1. Ioan. 3. 3. & v. 9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit. Vbi ergo regnat in corde propositũ peccandi, exulat fiducia.* At in corde Caluinistarum interdum regnat hoc propositum, fiducia ergo exulat. Ergo dum in corde est

ἐποχὴ,

ἐποχὴ, dubitatio, *deſperationis officina, & barathrum inferni, peſtilentiſsima res, argumentum antichriſti, veſtibulum inferni.* Sic enim ἐποχὴν definit Pareus. Nam ſi abeſt fiducia, adeſt dubitatio. Nam ἐποχὴ *non poteſt cum fide conſiſtere,* vt docet in c. 11. v. 1. Rom. *Qui enim dubitat an ſit ſaluandus, non credit vitam æternã. Qui hanc credit, de ſalute non dubitat.* Propoſitum ergo peccandi hæc omnia mala inducit. In quo & illud quæro, an propoſitum etiam minimi peccati fiduciam excludat? Reſponſio neceſſe eſt, ſit affirmatiua, quia eſt mortale. Iterum quæro, an non modo propoſitum peccandi, ſed & peccatum ipſum fiduciam excludat? affirmẽt oportet, etenim & illud quamuis leue, mortale tamen eſt. Fiduciâ ergo ſuâ ſemper penè carent, quia quotidiè peccant, nec ſemper actibus ſe fidei purgant, maxima igitur temporis parte in barathro inferni verſantur, dum vel peccato, vel peccandi propoſito implicantur.

Interim diſcet prudens lector, quam in futili glacie, quam inſanam confidentiæ molem, ruinis exſtruant. Qui fiduciam habent flagitijs abſtinent. Quicunque ergo flagitiũ cõmittit, in dubitatione verſatur ἐν ἐποχῇ. Deinde, qui mente, verbo, nutu, facto minimũ delictum patrat, fiduciam non habet, nam cur aliqua fiduciam peccata excutiant, alia non, cum omnia ſint mortalia? Dicendum ergo, *qui eam habent, omni ſe peccato abſtinent,* nam ſi non omni, fiducia ergo excidunt.

Bellarminus.

Non rectè dictum à Philippo; eum qui habet propoſitum peccandi, non accedere ad Deum, ſed contemnere Deũ & fugere. Quia qui ſibi perſuadere potuit, peccata in ſe remanentia ſibi à Deo non imputari, eadem facilitate credere poterit, propoſitum peccandi ſibi à Deo non imputari, dummodo Chriſti merita faciat ſua per fidem. *In propoſito peccandi à Deo non receditur ſecundum Philippum.*

Pareus

Pareus pag. 84.

Diabolicus iste sarcasmus variè seipsum elidit. Quia scriptura tales excludit à regno Dei. 1. cor. 6. 12. deinde flagitiosos habentes peccandi propositum non posse sibi bi persuadere nisi mendaciter, id sibi à Deo non imputari.

Defensio.

Idem dicere oportet, Caluinistas.

Scriptura non excludit tantum flagitiosos habentes propositum peccandi, sed etiam flagitiosos qui non egerunt pœnitentiam de præteritis, licet non habeant actu propositum peccandi; dicitur enim Luc. 13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, & 1. Cor. 6. non dicit Apostolus, auaros, ebriosos, fornicarios, qui habent propositum peccandi, non possessuros Regnum Dei, sed simpliciter, auaros, ebriosos, & fornicarios. Auari autem, ebriosi, fornicarij, dicuntur homines, donec eijciant ista vitia, etiamsi non semper habent actu propositum peccandi.

Secundò. Ante aliter edoctus rex Dauid: *futura non imputabuntur.* Cur verò fides de non imputatione præsentium est efficax, & de proposito mendax? Dauid adulter credit remissum peccatum, nec imputatur, deinde propositum habet occidendi, atque ita argumentatur, Electus sum, Vriam trucidabo, hoc ad damnationem non imputabitur, quia indiuiduo nexu colligatus sum cũ Messiâ, ab eius corpore auelli non possum. An hæc est mendax in Dauide præsumptio? Planè est mendacissima, sed ex nouâ hæresi spes certissima.

At nondum sentit bonos motus. Quid tum? *Sol ortus est; etsi nondum ortus.* Iam orietur, iam Deus erit propitius, etsi propitius non erit. Denique Dauid proposito cædis etsi fixo, & certo, non tamen toto animo, nec enormiter peccat, alio planè animo, studio, modo, quam reprobi, sentit luctam internam, ideo

ideo certus eſt peccatum non imputatum iri ad mortem. Aut ſi ille certus non eſt, nemo certus, & reuera ita eſt, nemo certus eſt.

Bellarminus.

Si peccata mortalia non poſſunt conſiſtere cum fide, ſequeretur hominem Chriſtianum non poſſe labi in fornicationem, furtum, &c. quin eodem momento fieret hæreticus. Hoc repugnat toti antiquitati, ergo.

Pareus pag. 85.

Rurſus ludit in ὁμωνυμίᾳ fidei, quæ creditur, & qua creditur. Hæretici amittunt fidem quæ creditur non non qua creditur.

Defenſio.

Tanquam mus intra parietem verſatur, inquit Scaliger, verum & hæc ὁμωνυμίας rima occludenda eſt. Omnis fides verſatur circa rem à Deo reuelatam, & ad credendum propoſitam, fiducia illa eſt fides, ergo verſatur circa rem à Deo reuelatam, & ad credendum propoſitam. At quicunque amittit fidem circa rem à Deo reuelatam, & ad credendum à Deo propoſitam, fidem, inquam illam, quâ ante crediderunt rei reuelatæ, & propoſitæ, ſunt hæretici. Ergo cum deſinunt fiduciari Caluiniſtæ fiunt hæretici, niſi negent, eſſe à Deo reuelatam ſibi ſuam ſalutem. Exemplum eſt in eo, quo de agimus, Dauide: credidit ille ſe electum, actus eſt fidei quâ creditur, doctrina quam credidit, eſt Deum elegiſſe Dauidem, hæc illi reuelata eſt, vt crederet, ergo cum fidem illam amittit, dubitat, contrarium credit, non aſſentitur veritati à Deo reuelatæ, & ad credendum propoſitæ, hæreticus eſt igitur.

Caluiniſtæ cum peccant fiunt hæretici, atque etiam Lutherani.

Verum nihil opus ambagibus: ſi fiduciam amiſit, ergo & fidem in ceteris, ita Muſculus *locis cõmunibus, de philanthropia Dei.* Quartò (inquit) *omnem fidei erga Deum, & veræ dilectionis ſinceritatem extinguit,*

guit, dubitatio, ſcilicet de ſalute. At cui omnis fidei ſinceritas eſt exſtincta, hæreticus eſt.

Amiſſa fiducia fides quæ creditur pariter amittitur.

Ratio etiam firma. 1. Dicere neſcire electum, an electus ſit, hæreſis eſt. At qui fiduciam ſpecialem amiſit, dicit, neſcire electum, an ſit electus, hæreticus igitur.

2. Qui non credit promiſsionibus Dei; vel non credit illas factas eſſe, vel Deum non eſſe veracem: qui fiduciam amiſit, non credit promiſsionibus, aut dubitat: ergo vel de ipſis promiſsionibus, vel de Dei veritate dubitat: hæreticus igitur. Sunt igitur hæc perpetuo connexa, ſi aduerſariorum rationes veræ ſunt, ἐποχὴ ſeu dubitatio de ſalute propria, & fidei quæ creditur amiſsio, deprauatio, oppugnatio.

3. Nonne nos ideo hæreſeos damnant, quia incertos nos ſalutis eſſe dicimus, nec alios certos? at Dauid in propoſito cædis iniquiſsimæ fiduciam etiam amiſit, incertus ſalutis, nec niſi mendaciter ſibi perſuadere poteſt, ſibi non imputari, nec verè non poteſt credere contrarium, hæreticus igitur, & Dauid, cum ait: certum ſe eſſe non poſſe, nec ſibi niſi mendaciter perſuadere.

Calumnia detegitur.

Quod pag. 86. 87. 88. Inuehitur in Bellarminum dicentem. *Omnia peccata præter infidelitatem cum fide catholica conſiſtere poſſe:* calumnia imperitiæ & malitiæ. Bellarminus nomine fidei Catholicæ intelligit eam, quam paulo ante definiuit; qua credimus quicquid Deus reuelauit; & ad credendum propoſuit, cum ea fide conſiſtere poſſunt peccata alia. Neque enim dum orthodoxi, obliti profeſsionis ſuæ, ebrietati, vel auaritiæ ſtudent, continuo etiam, aut Chriſtum negant, aut Deum, aut in hæreſin incidunt. Non tamen fides illa quamuis magna, quamuis certa, eos iuſtos facit, quia abeſt caritas, ſine qua, etſi fides montes tranſferat,

ferat, Deo tamen caros, & ex iniuſtis non poteſt iuſtos facere. At Pareus in his ſceleribus fidem iuſtificantem manere, interdum cum Caluino aſſerit, aliquando ſui immemor inficiatur. Finem capitis facere conſtitueram, dum ecce quod ante neglexeram, oculis ſe offert. Caluiniſtas (inquit) pro ſua modeſtia criminatur blaſphemos, ſacrilegos.

Bellarminus cenſuras Lutheranorum de Caluiniſtis.

Bellarminus Lutheranos, ait, nec ignorare, nec tacere tales eſſe Caluiniſtas, non ſunt hæc iudicia Cardinalis, ſed alienæ cenſuræ relatio. Legerat Lutheranos à Caluiniſtis haberi, & dici fratres, ideo nec ignorare præſumpſit; quis enim fratri contra fratrem teſtanti non crederet? nonne ſui quiſque ſanguinis, & famæ parcus eſt? Cauſa cur non ita crederet nulla erat, cum poſt illa teſtimonia Caluiniſtæ Lutheranos adhuc appellent fratres. Non ergo eſt hic criminatio Bellarmini, ſed fraterna iudicia: quorum nonnulla defendendo Cardinali, & pacando aduerſario producam. Scio enim fraterna eum modeſtia delectari, cui modeſtia Bellarminiana eſt criminatio.

Fratres Lutherani de Caluiniſtis.

Lutherus *in ſympoſiacis, de fanaticis, ſeu Schvvermeris. Muntzerus, Carolſtadius, Campanus, & iis ſimiles hæretici & ſectarii ſunt meri incorporati dæmones.* Relinquo vetera. Philippus Nicolai *compendioſa inſtructione de Caluiniſtarum Deo,* & *religione,* pag. 27. Quæſtio: *Serione exiſtimas Caluiniſtas loco Dei viuentis & veri execrabilem diabolum colere, & inuocare? Ex animi mei ſententia ſic habere rem affirmo, certamque veritatem refero, neque D. Luthero huius rei cauſa in minimo repugnabo, verum pro indubitato teſtimonio accipio, quicquid ipſe de his erroris ſpiritibus, in compendioſa de cœna confeſſione ſcribit:* nimirum habere indiabolificata, perdiabolificata, hyperdiabolificata pecto-

pectora. & pag. 32. *Quid est Caluinistarum religio (Est abominatio desolationis, quæ stat in loco sancto.* pag. 150. etiam grauiora. Ad hæc talia alludere videtur Cardinalis.

CAPVT IX.

1. *Venialia sine misericordia Dei non remittuntur.*
2. *Quomodo angeli & cæli in conspectu Dei non sint mundi.*
3. *Matth. 5. 22. exponitur. omnis qui irascitur, &c.*
4. *Deus sæpe more humano loquitur.*
5. *Matth. 23. 24. exponitur. &.*
6. *Lucas 6. 11. &*
7. *Lucas 12. 59. &*
8. *1. Cor. 3. 12.*
9. *Iacob. 1. 14.*
10. *Tres concupiscentiæ motus.*
11. *Manichæus est Pareus.*
12. *Augustinus defendit Bellarminum.*
13. *Occisum verbum non est inferis dignum.*
14. *Ephes. 5. 3. exponitur.*
15. *Suum iudicium auctoritati Patrum & Ecclesiæ substituunt.*
16. *Concilium Milenitanum, Augustinus.*
17. *Venialia lacrymis & eleemosynis delentur.*

Peccatum veniale natura sua distingui à mortali, ostenditur ex scripturis.

Bellarminus

Bellarminus.

Peccatum veniale ex natura suâ distinguitur à mortali, ac sine vllâ relatione, vel ad prædestinationem, vel ad misericordiam Dei, vel ad statum renatorum, vt pœnam quidem mereatur, sed non æternam, Deum offendat, sed non ad amicitiæ vsque dissolutionem. *Natura peccati venialis.*

Pareus pag. 89.

Nec relatione ad misericordiam Dei? Hoc blasphemum est, quia tollit misericordiam Dei, absque qua ne cœli quidem, vel angeli satis mundi. Nedum hominis peccatū veniale. Nec relatione ad statum renatorum? Et hoc falsum: Extra regenerationem nulla fides. Sine fide quicquid sit, peccatum est, mortale est; sine fide impossibile est placere Deo. Peccatum veniam cōsequi.

Defensio.

Enthymema igitur aduersarij hoc conficitur. *Si peccata essent venialia sine relatione ad misericordiam Dei, Deus non esset misericors.* Secundò. *Sine misericordia Dei nec cœli, nec angeli satis mundi sunt; ergo nullum peccatum hominum est sine relatione ad misericordiam Dei veniale.* *Exigua delicta non sine misericordia remittuntur.*

9. *Nec cœli, nec angeli mundi.*

Responsione opus non est aliâ, quam negatione consequentiæ, nam sequentibus satis prob[illegible]arminus naturâ suâ esse venialia. Deinde quomodo Dei misericordia tolleretur, si quædam naturâ suâ absque eâ essent venialia? An non manet diuinæ misericordię ingens ignoscendi materies, cumulus maximus, quæ indies committuntur mortalium? Tertiò, Non agnoscis misericordiam præseruantem à Mortalibus & venialibus? Quarto, An non in ipsis venialib. natura suâ elucet misericordia condonantis; etsi enim natura sua venialia sunt, vt pœnam æternam non mereantur, sine misericordiâ tamen non remittuntur, Cœlestis enim pater non modo cum enormium delictorum æterna supplicia condonat, verum etiam cum

 minu-

minuſculis filiorum erratis clementer indulget, miſericors eſt.

At abſque miſericordia Dei, nec cœli, nec angeli mundi ſunt.

An hinc ſequitur nullum hominum peccatum eſſe natura veniale? Quid cœlorum & angelorum maculę, ad hominum peccata vel Venialia, vel Mortalia? An hoc vis dicere cœlorum & angelorum omnia peccata ſunt mortalia, igitur & hominum? ſint ſane dœmonũ mortalia, (nam cœlorum nulla ſunt peccata) an ideo non poſſunt hominum eſſe aliqua venialia? ſed nõ loquitur de peccatis dæmonũ ſcriptura, ſed angelos negat eſſe mundos in conſpectu eius, angelos, inquam Sanctos. An ergo angeli peccata habent mortalia, ne miſeris hominib. vllum ſit veniale? an dicemus beatorum angelorum peccata ſecundum iuſtitiá mortalia; ſecundum miſericordiam venialia? Alia in his connexio fingi non poteſt. Quę igitur mens ſcripturę eſt? Nullam vel cœlorum, vel angelorum eſſe mundiciem, ſi ad immenſam puriſsimæ diuinitatis puritatem conferatur, multo minus humanæ naturæ, etiá in primæuæ iuſtitiæ innocentia degentis, nec tamẽ cœli, angeli, primi parentes, egebant miſericordia peccata nõ imte. I[illegible]a dicuntur non munda, vt dicuntur nõ eſſe. Ad id enim collata, quod eſt ens per eſſentiam, ens infinitæ perfectionis, ſunt omnia, quaſi nõ ſint: & omnia mundiſsima, quaſi nõ munda, nec tamẽ ideo naturarũ iſtarũ immunditia, vel culpa arguitur, ſed immenſum, quo à mũditie creatrice diſtant, interuallũ oſtenditur.

Extra regenerationem nulla fides, at ſine fide impoſſibile eſt placere Deo; rectè ſanè. Quid tum? ergo ſine regeneratione non condonantur peccata. Eſto. Ergo nulla ſunt natura venialia. Negatur conſequentia. Natura venialia, nec tamen natura, ſed Dei miſericordia, & pœnitentia regeniti remittuntur. Expendamus ilud: ſine fide eſt impoſsibile placere Deo.

An

An ſine actuali, an habituali? ſine fide actuali impoſſibile eſt placere, ergo ſemper opus actuali fide, diſplices, quocunque momento deſieris actualiter fiduciari. An ſine habituali? ergo ex antitheſi habitualis fides ſufficit, vt placeas Deo, ergo eſt fides iuſtificans.

Sine fide impoßibile placere Deo, an actuali, an habituali?

Deinde quicquid ſine fide eſt, peccatum eſt. An ſine actuali? Vt ſi quis egeno largitione pecuniæ ſubueniat, nec actualem fidentiam habeat, peccet mortaliter. At hoc abſurdum eſt. Si quicquid ſine fide habituali peccatum eſt, ergo quod cum ea ſit, ſi ex ſè opus bonum ſit, non eſt peccatum? ergo fides habitualis imputatur ad iuſtitiam. Nullo ergo effugio euadere poſſunt, vt illæ ipſæ ſcripturæ, & tabulæ, quas in ſubſidium proferunt, non ſint ſuis auctoribus aduerſæ.

Bellarminus.

Matth. 5. 22. Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio; qui dixit: Raca, reus erit conſilio; qui dixerit: fatue, reus erit gehennæ ignis. Manifeſtum conuitium facit reum gehennæ ignis, ac per hoc peccatum mortale. Iracundia ſono vocis expreſſa, ſed ad malum cõuitij, non pertingens, facit reum Concilij, id eſt, non conſtat, an mereatur gehennam. Quorſum enim cogeretur Concilium ad diſcernendum, num aliqua culpa, gehennâ ignis punienda eſſet, niſi quædam peccata leuiora eſſent, quam vt talem pœnam mereátur? Rurſus iracundia, quæ nullo ſigno externo foras erumpit, non facit reum Concilio, ſed iudicio, hoc eſt, non conſtat an mereatur aliquam pœnam, an nullam. Leuiores autem illæ pœnæ cum non ſint gehennæ ignis, conſequitur temporarias eſſe.

Primus locus Matt. 5. 22.

Pareus pag. 90.

1. Deprauatâ verſione vtitur, addendum ex græco εἰκῆ temerè.

2. Barbarum eſt, reus iudicio, concilio, gehennâ.

3. *Anima quæ peccauerit morietur. Ezech. 18. 4. omne ergo mortale.*

4. *Matth. 5. v. 25. Homicida reus est iudicii, id est, mortalis, ergo iudicium indicat grauem pœnam.*

5. *Ob omne iracundiæ genus reconciliationem ab aduersario quærere iubemur. secus æterno carcere multandi. ergo omnes illi gradus mortales.*

Defensio.

Bona est latina nostra versio.

Ad 1. D. Hieronymus illud: *sine causa*, εἰκῇ ex margine irrepsisse iudicat, quia ad omnia cætera pariter potest accommodari. Olim à latinis, & multis græcis exemplaribus abfuit.

Ad 2. De barbarismo legat Valentinum Gentilem, de latinitate veteris versionis, tam facilè interpretem nostrum more græco loquentem, ἔνοχος τῇ Κρίσει, excusabit, quam suam inertiam accusabit.

Ad 3. Ezechiel de grauibus peccatis agit, quæ v. 6. 7. 8. & seq. enumerat. Sensus ergo, anima quæ morte dignum crimen admiserit morietur.

Ad 4. Non eodem modo accipi iudicium in scripturâ constat, aliquando mortis pœnam, aliquando iuridicialem disceptationem, cuius finis tam absolutio, quam damnatio rei. v. 22. ita accipiendum docent cætera duo membra, diuersissimas pœnas habentia.

Ad 5. Non omne genus iracundiæ reconciliationẽ cum aduersario requirit. Verba v. 25. sunt. *Esto consentiens aduersario tuo*, εὐνοῶν, *vel* συννοῶν, vt noster legisse videtur, & probat Beza, qui interpretatur; *redi in gratiam, & fac vt sis amicus. Nec monet*, (inquit) *tantum, vt animo bene velimus aduersario, sed vt cum eo transigamus: quod fiet si cum ipso collocuti reconciliemur.* Ex quo loco sic aduersarium conuinco.

V. 25. Mat. non intelligitur omne genus iracundiæ.

Versu 25. aduersarius comprehẽdi vult omne genus iracundiæ, & ideo dignum esse carcere, hoc est, damnatione æternâ. At Christus quoddam iracundiæ

genus

genus excludit, ergo illud non pertinet necessariò ad carcerem æternum. Assumptum probatur. Tantum intelligitur illud iracundiæ genus, quod requirit amicitiæ per collocutionem, & transactioné, cum aduersario redintegrationem. At non omne genus iracundiæ talem reconciliationem exigit. Quis enim si subitâ efferuescentiâ exarserit, si minimâ iræ cogitatione pulsatus fuerit, si leuissimo verbulo quasi offenderit, ad transactionem sub æternæ damnationis pœna tenetur? Non omnis igitur huc pertinet iracundia. Superat de רשע רעה רקא dicere, sed monitus à suis errorem Beza correxit, correctum exemplar, defuit Bellarmino, priore enim vsus est, & quod inuenit vitij non tacuit.

Pareus pag. 93.

Reum esse Concilii, græcè συνεδρίῳ Synedrii, seu consessus diuini, non potest esse pœnam ambiguam mereri. Quid enim absurdius, quam Deo iudici ambiguum esse, quod peccatum, quam pœnam mereatur?

Defensio.

Ambigua profectò non est calumnia aduersarij, quamuis absurda. Non dixit Bellarminus. *Ambiguã pœnam mœreri*, non dixit Deo iudici ambiguum esse. Et tamẽ hoc si diceret, culpari non posset. Cum toties scriptura ἀνθρωποπαθῶς Deum quærentem, disputãtem, consultanté inducat. Non quod omniscia natura, cui rerum ordinatissima series ad motum vsq; puluisculi præsens est, dubia hæsitatione de iure, vel euentu deliberet, sed vt nostra nos peccata æstimare, & discernere valeamus. Attentos ergo nos esse iubet illa ciuilium iudiciorum à Christo proposita imitatio. Cõuitium docet esse mortale: si verbo leuiore insonuit iracundia, iam omnino quidem peccatum est, sed nõ continuò mortale. quale verò, Concilium æternæ sapientię discutit. Si tacita fuit ira, iudicium Dei vel leue, vel grauem, vel etiam nullam esse culpam decernit.

Nihil Deo ambiguũ, etsi humano more, quasi consultans loquatur.

Hoc ergo iudicio ſtat, caditq; reus. Si rationem occupans motus, nullum crimen erit, alias maius minuſue pro deliberationis maturitate, & vindictæ, quæ appetitur grauitate.

Pareus defendit Bellarminum. Aduerſarius idem ſentit, & dicit, ſed furore cœcus, qui omnia Bellarminiana carpere obſtinauit, dictæ à ſe aliquando veritatis eum pœnitet. Pag. 94. *Eſſe varios gehennæ cruciatus, de quibus fruſtrà concilium non habetur. Humanitus loquitur Dominus de Dei iudicio.* Cur non retorqueat Bellarminus: *Quid abſurdius quam Deo iudici ambiguum eſſe quod peccatum mortale, quos gehennæ cruciatus mereatur.* Quod reſponderet Bellarmino, ſibi reſponſum putet.

Conſtat ergo iudicio Dei, ſed diuinitus loquendo, non conſtat humanitus loquendo. Conſtat Deo, ſed quaſi non conſtet, loquitur; vt conſtet & nobis. Quorſum tandem hæc? vt ſic verba Domini ex gloſsâ Caluinianâ explicemus. Reus erit iudicij, id eſt, gehennæ, reus erit Concilij, id eſt, gehennæ, reus erit gehennæ ignis, id eſt, gehennæ grauiſsimæ. Quaſi verò cum graui peccato attribuit gehennam, in leuioribus, aliam pœnam nominando, non eam negauerit, quæ ſoli grauiori decernitur.

Bellarminus.

Secundus locus Mat. 23. 24. Matth. 23. 24. *Duces cœci excolantes culicem, camelum glutientes. Quædam peccata culicibus, quædam camelis comparantur, inter quæ nulla fere eſt comparatio.*

Pareus pag. 97.

Quis culicem hunc non videat? Tot vitia conſecutionis ſunt, quot penè vocabula. Allegoria, ὁμωνυμία, aſſumptio falſa eſt. Neq; enim Dominus prouerbiali dicto proportionem inſtituit peccatorum, ſed phariſæorum taxat hypocriſin, quòd in cærimonialibus legis minoribus, omnem religionem ponerent, moralia grauiora ſecurè negligerent.

Defen-

Defensio.

Ne ride lector culicem, non est dignus tuo cachinno, maior ridendi in aduersario materia, qui nobis ex græco Κάμηλος, & Syro גמלא fecit elephantem, ita enim textum allegat. Ne eum in Hecubam μεταμορφωθέντα miremur. Collatio est peccatorum: *in minutis anxii, præcipua ex professo negligunt, comparatur ergo minutorum peccatorum fuga anxia, cum præcipuorum neglectu*, itaque proportio peccatorum instituitur. Aug. l. 1. q. Euang. c. 35. *Minima obseruatis, maxima contemnitis.* Eodem modo D. Hieronymus, ex illo Iunius & Tremellius. Similitudo ab iis, qui si in vinum fortè culex inciderit, colāt potum, ne haustu minimi insecti strangulentur, cum interim solidum camelum certo exitio interclusâ gulâ glutiant. Culex naturâ suâ cum vino haustus, etsi nauseam pariat, non tamen vitæ perniciem adfert, camelum sine certâ morte nemo vorarit. Culex igitur venialia, camelus mortalia significat.

Proportio peccatorū instituta à Christo.

Ita Aug. Hier Iunius. Tremell.

Iunius & Tremellius *prouerbialem volunt esse sententiam, qua pulchrè exprimatur putida in rebus minutis hypocritarum anxietas.* Verum non est putida illa cura seruandi minora mandata, cauendi delicta leuiora, minimè Caluinistis, quibus & illa minuta sunt mortalia. Non igitur reprehenditur sollicitudo minorum, sed exprobratur neglectus maiorum. *Hæc oportebat facere, & illa non omittere.*

Bellarminus.

Luc. 6. 11. Quid vides festucā in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo tuo, non consideras? Certè inter festucam & trabem tanta est ex naturâ rei differentia, vt festuca leuiter portari queat, trabs autem sit importabilis, & non solum oculum destituat, sed etiam totum corpus hominis opprimat, si illi imponatur. Si autem omnia æternâ morte digna essent, quis credat quædam ita extenuari?

Tertius locus Luc. 6. 11.

Pareus pag. 97.

Non extenuat peccata, sed hypocritas perstringit, qui cum sint mortali crimine obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt. Culicem liquantes, & camelum glutientes.

Defensio.

Mortalia non sunt festuca. Non est hoc soluere nodum, sed stringere. Nam 1. mortalia hypocrytarum opponit minoribus fratrum, quæ concedere fratribus debent hypocrytæ, non autem rectè mortalia op[illegible]nuntur concedendis, si & hæc morte digna, nec [illegible]stuca est, sed trabs ferrea ob quam millies, millies ignes debentur æterni, ob quam meritò, mundum funditus Deus euerterit. 2. Hic saltem quod ante negabat proportio instituitur peccatorum, mortalium in hypocrytis minorum in fratribus, ergo vt in priori simili, quocirca aduersarius illud etiam huc retulit. *Liquantes culicem, camelum glutientes.* 3. Mortalium & Venialium ex natura discrimen apparet, dum festuca leuis, molestans, non excœcans trabi opprimenti, occidentique confertur. *Expositio Augustini.* Argumentum autem Cardinalis est ab Augustino Hom. 16. de verbis Domini. *Multum interest inter turbatum oculum, & exstinctum. Festuca turbat, trabs exstinguit.* Et *sermone 202. de tempore. Quid tamen festuca significet videamus? subita enim iracundia festuca est, ira verò quæ in longum tempus protrahitur, dum per odium falsis suspicionibus nutritur, trabes efficitur.* Et paulo post: *Nam cordis oculum festuca turbat, trabes excœcat.* Et. *Secundum hæc ergo per subitaneam iram cordis oculus turbatur, per odium lumen caritatis exstinguitur.* Nunc dic Augustino, non extenuat, non comparat peccata, omnia sunt mortalia.

Neque Dei gloriam quærit tanta peccatorum exaggeratione aduersarius, quantum in se est, illam cum animarum salute penitus pessundat. Non enim modo peccata, sed ipsũ lumẽ cordis, ipsa caritas ex eius mẽte festuca, imo trabs est, oculũ excœcãs, corp⁹ opprimẽs,

Bellarminus.

Luc. 12. 59. Dico tibi non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas. hæc de Venialibus dici constat ex Tert. l. de animâ cap. 17. Orig. hom. 35. in Lucam. Hieronym. in 5. Matth. Cypr. lib. 4. Epist. 2. vel minuta peccata interpretantur, vel ea quæ in purgatorio pianda. *Quartus locus Luc. 12. 59.*

Pareus pag. 98.

Tertullianus, Origenes fuere platonici. Deinde Origenes minutum vocat in collatione, Tertullianus Carcerem dicit infernum, Hieronymus solum negat egressum, donec omnia peccata soluantur. Augustinus locum eum aliter exponit.

Defensio.

Diuersas esse verborum Domini expositiones, nec Bellarminus ignorauit, secutus vero illam est, quam textui consentaneam, & plurium patrum auctoritate firmatam nouerat. In vnum consentiunt, qui peccata purgatorio mundari docent, esse venialia, alii vt Augustinus, nec Ambrosium, nec alium quempiam reprehendit, hæc de Venialibus, & purgatorio exponentes. Tertullianum & Originem quos Platonicos vocat, nemo de his rebus, præter nostri temporis sectarios, & eorum prosatores VVicleffum, Pelagium, Iouinianum accusauit. fuit ergo concors eorum, & in ipsa re sententia, quam omnes Ecclesiæ secutæ, & in probatione ex hoc loco, quam plurimę, à cæteris semper irreprehensæ, sunt amplexæ. Verba Ambrosii audire libet. *Nam sicut, qui pecuniam soluunt debitum reddunt, nec prius euacuatur fœnoris nomen, quam totius sortis, ad minimum vsque, quocunque solutionis genere, quantitas vniuersa soluatur: sic compensatione caritatis, actuumque reliquorum, vel satisfactione quacunque, peccati pœna dissoluitur. Non ociosum etiam, quia non æra, vt alibi duo, non assem, non denarium, sed quadrantem hoc posuit loco. Quadrantaria enim per-*

mutatio, velut quædam est permutatio, cum aliud redditur, & aliud significatur esse solutum ita vt hic aut precio caritatis, redimitur iniuria, aut iniuriæ æstimatione pœna laxatur. Quadrantem autem in balneas dari solere, reminiscimur, cuius oblatione vt illic vnusquisque lauandi accipit facultatem, ita & hic accipit eluendi. Quia vniuscuiusque peccatum supradictæ genere conditionis eluitur, cum tam diu exercetur noxius pœnis, vt commissi supplicia erroris expendat. Ecce quam multa pro Bellarmino. 1. Quadrans minimum est peccatum. 2. Verè soluitur. 3. Compensatione. 4. precio caritatis soluitur. 5. Compensatione aliorum actuum. 6. æstimatione pœnæ. 7. Eluitur vere. 8. Eluitur in carcere, de illo enim egerat. Hæc totidem fulmina sunt nouitios errores dissipantia.

Bellarminus.

Quintus locus 1. Cor. 3, 12.

1. Cor. 3. 12. *Si quis superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, &c.* Ambrosius, Augustinus, Gregorius, *ligna, fænum, stipulam* interpretantur opera inutilia, & reprehensione digna, sed Venialia, quæ detrimentum quidem adferunt, & purgatione indigent, non tamen à salute excidere faciunt. Mortalia enim potius ferro comparanda ait D. Gregorius.

Pareus pag. 100.

Ligna, fenum, stipulæ sunt vana dogmata, ita Bell. l. 1. de purgatorio c. 5. 2. Si reprehensione digna, non ergo Venialia.

Defensio.

Primò, Eodem gradu occurram, si dogmata inutilia, sunt venialia, & mundatorio igne purgantur, ergo & opera in eodem censu. Ita dogmata Bellarminus agnoscit, vt non excludat opera inutilia, dogmatis conuenientia.

Veniale reprehensione dignum.

Secundò. Multa reprehensione stringuntur, quæ tamen veniâ etiam indigna non sunt. Retorsio conuitiorum

tiorum Parei in Scaligerum veniâ digna visa est, visa enim iusta, & in choleræ tumentis æstu effusa, non meditata; nec reprehensione tamen caruit, insaniæ, &c. arguere. Stephani protomartyris oratio: *Ne statuas illis hoc peccatum, reprehensione digna erat*, iudice Pareo, vt pote, vltricibus inferorum flammis millies, millies dignissima, nedum reprehensione; cum naturâ esset mortale peccatum. Erat tamen illa Venialis. Interim argumentum ex scripturæ contextu, & expositione Patrum est firmissimum.

Qui lignum, fenum, stipulas superstruxit saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Pœna quæpiam peccatis illis irrogatur, quâ auri gemmarumque structores sunt immunes, *detrimentum* hi faciunt, quo alii liberi sunt. Pœnam verò ad purgatorium pertinere, facile probatur. Detrimentum faciunt ignobilis materiæ structores eo tempore, quo auri, argenti, gemmarum ædificatores nobilium operum mercedem accipiunt. Merces illa mortem sequitur, igitur & damnum. Dies enim Domini manifestat, & mercedem & damnum.

Bellarminus. *Sextus locus. Iacob. 1. 14.*

Iacobi. 1. 14. *Vnusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus, & illectus, concupiscentia verò cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.*

Argumentum est. Peccatum non generans mortem naturâ veniale est, sed concupiscentia, & partus eius primi, non generant mortem, sed tantum peccatum consummatũ gignit mortẽ; ergo, primi partus nõ sunt mortalia. Distinguit verò tres motus Iacobus. Primus est omnino volũtarius, alter imperfecte volũtarius, Tertius deliberatus, seu perfectè voluntarius.

Pareus pag. 102.

1. *Duos facit tantum motus, concupiscentiæ vnum, alterum peccati consummati, vel duos concupiscentiæ illicientis, & parientis, tertium peccati consummati.*

2. Pri-

2. Prima concupiſcentia non eſt ſimpliciter inuoluntaria, alias voluntaria non pareret peccatum.

3. Concupiſcentia mater peccati, parit peccatum, igitur & ipſa peccatum.

4. Peccatum à concupiſcentia genitum non eſt imperfectè voluntarium, Sic enim perfectè voluntarium, non gigneretur â concupiſcentiâ. & veniale etiam eſt perfectè voluntarium.

5. Non ſolum peccatum conſummatum gignit mortem, facit enim mortis cauſam proximam, tanquam notoriam, concupiſcentia verò cauſam remotam. Quod enim eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa effectus. Si igitur concupiſcentia eſt cauſa peccati actualis, & hoc cauſa mortis, vtique concupiſcentia etiam erit cauſa mortis.

6. Omne peccatum conſummatum generat mortem, Veniale eſt conſummatum, ergo generat mortem.

Defenſio.

Hæc ſunt argumentorum oſſa, quæ abrodit, & iacit in Apoſtolum Iacobum : ad ſingula reſpondeamus.

Triplex motus concupiſcẽtiæ.

Ad 1. Tres numerat motus Apoſtolus. Primus tentatio hominis, à concupiſcentiâ illecti, & abſtracti, qui eſt quaſi conceptus concupiſcentiæ, ſubrepens clam ratione, & voluntate, cuiuſcunq; cupiditatis impulſus, qui cum nec deliberationem, nec aſſenſum habeat ab intellectu, & voluntate, peccatum non eſt, ſicut nec in dormientibus, amentibus, infantibus ? Alter motus eſt partus peccati, cum nondum plenâ libertate, nec tamen ſine omni voluntate, paruum peccatum, cuius venenum in mortem nondum ſit efficax, editur. Tertium eſt peccati per liberum conſenſum, conſummatio, cuius peccati filia, mors eſt, quæ non eſt motus concupiſcentiæ, ſed vltio peccatoris poſt concupiſcentias ſuas euntis.

Ad 2. Duo pariter errata aduerſarii. Nam prima concupiſcentia, ſeu motus eius, eſt omnino involuntarius,

tarius, nec vllo modo in nostrâ potestate: cum rationem & voluntatem præuertat. Secundò. Ratio illa, si prima concupiscentia est inuoluntaria, ergo voluntaria non parit peccatum: omnem rationem præuertit. *Vis concupiscendi, & subitus eius motus non sunt voluntaria, vt in dormientibus, amentibus, ergo si excusso somno, receptâ intelligentia sponte concupiscentiæ frena laxent, consulto incendia alant, non parient peccatum.* Nam isti tales motus sunt ipsissima peccata, & sæpe aliorum peccatorum occasio. Itaq; inuoluntaria & voluntaria à concupiscentiâ sunt.

Ad 3. Ad Manichæos Flacianos pertinere iam supra ostendi. c. 2.

Ad 4. A concupiscentiâ oritur peccatum perfectum, & imperfectum, ipsa de veneno suo fœtum inchoat, qui imperfecto assensu voluntatis, viuificatur, vt sit peccatum, sed nondum perfectum, nam pleno & perfecto consensu consummatur. Idem architectus opus ἡμυτελὲς & absolutum conficit.

Iterum Manichæus est parens.

Ad 5. Iterum Manichæus est. Nam liberum arbitrium, & Deus est causa causæ, ergo causa effectus, hoc est peccatum, ergo arbitrium, & Deus peccatum. Verissimè dicitur *concupiscentia est causa mortis remota*, sed non ideo ipsa peccatum. Verba sua redarguunt aduersarium, *si enim concupiscentia causa est remota mortis, quia est causa peccati actualis, quod est causa propinqua*, non ergo ipsa per se est propinqua causa mortis, non ergo ipsa est peccatum, nam peccatum ex se, & propriâ suâ malitiâ est causa mortis, non per aliud solum. Contradicit ergo sibi falsitas, & vincit euidenter veritas. Verum prodi tu Augustine Episcope, ad quem paulo ante appellauit, doce de concupiscentiâ Caluinistam. l. 1. de ciuit. Dei c. 25. *Quod si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ volũtatis legem, quasi lege suâ mouetur: quanto magis absque culpa est in corpore*

Augustinus pro Bellarmino.

pore non consentientis, si absque culpâ est in corpore dormientis? Hæc idem c. 27. & 28. peccatum omnino consensui tribuit. & concludit: *Habetis magnam, veramq; consolationem, si fidā conscientiam retinetis, vos non cōsensisse peccatis eorum, qui in vos peccare permißi sunt.*

Non omne consummatum generat mortem.

Ad 6. Peccatum consummatum generat mortem, non tamen omne peccatum consummatum, cuiusdam pœna est citra mortem, non dixit vel Bellarminus vel Apostolus Iacobus, *omne peccatum consummatum*, sed hoc sensit, peccatum vt generet mortem opus esse, vt sit consummatum, itaq; nec conceptus, nec partus est letifer, nisi peccatum consummetur. Vt damnetur reus, opus est conuictum esse, nec tamen omnis qui conuincitur damnatur morte. *Concludat controuersiam in locis communibus VVolffgangus Musculus de peccato. q. 2. Peccatum igitur tribus istis veluti gradibus exurgit, & absoluitur: suggestione, delectatione, & consensione. Voco autem consensionem, non quamvis voluntatis nutationem, & acclinationem: sed eam quâ plene, & absolute tentationi assentitur animus, & nihil iam quærit aliud, quam quomodo delectatione, quâ deceptus est, ac victus fruatur, atque ita in opus ipsum perficiendum totus perpendet, & anhelat. Leuius ac momentanea inclinatio voluntatis, quæ confestim spiritu timoris Dei corrigitur, etsi animi imbecillitatem arguit, loco tamen plenæ, & absolutæ consensionis haberi non potest. Huius ob id admoneo, ne imbecillibus conscientiis sine ratione peccati scrupulus iniiciatur.* Supra diximus, *qui delectationem respuit, peccati imparitate non infici.*

Bellarminus.

Septimus locus Matt. 12.

De quibusdam peccatis mitius scriptura loquitur, quam de aliis, vt Matth. 12. *de omni verbo ocioso rationem reddent*: de aliis, *ibunt in ignem æternum*, si verbum ociosum millies, millies ignem æternum meretur, si vnius verbi ociosi minima cogitatio tantum est

faci-

facinus, & mirum sit propter eam totum mundum non funditus euersum. Cur non etiam dixit Dominus, *ob omne verbum ociosum homines proiicientur in tenebras exteriores?*

Pareus pag. 105.

Causa est, cur mitius loquatur scriptura, non venialitas, sed ad alia inæqualitas. Quia non poterunt de vno rationem reddere, ibunt ergo in ignem æternum.

Defensio.

Iam Beza istam causationem præcidit, si enim tam grauia; scriptura mitius loquens decipit. Rationẽ reddere, & damnari, immani distant interuallo. Si ociosum verbum (inquit Hieronymus) quod nequaquam ædificat audientes, non est absque periculo eius qui loquitur & in die iudicii redditurus est, vnusquisq; rationem sermonũ suorũ, quantò magis vos qui opera Spiritus S. calumniamini? Neque si rationem reddere non poterunt ibunt, in ignẽ æternum, sed pro ratione delicti punientur, non omnis in ratione error inimicum Deo facit, nec ita sæuit Deus, vt alioqui amicum, & veræ caritati immorientem ob verbulum ociosum æternum abdicet, & inferorũ cruciatibus mancipet. *Ociosum verbum nõ est dignum inferis.*

Bellarminus.

Ephes. 5. v. 3. 4. *Formicatio & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolarum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.* Apostolus sex nominauit, de tribus ait, non habere eos locum in regno cœlorum, qui talia agunt, ostendens alia non ex genere esse mortalia. *Octauus locus Eph. 5 3.* Pareus pag. 106.

1. *Quædam non excludunt non per se, sed ex misericordiâ Dei.* 2. *Tria nominat, omnia tamen intelligit. nam versu 6. dicit:* Ne quisquam vos seducat inanibus sermonibus, propter hæc enim venit ira Dei

in filios diffidentiæ. Vbi per *hæc*, omnia opera carnis, etiam reliqua tria intelliguntur.

Defensio.

Iterum eâdem chordâ oberrat, & vehementer aberrat. Si enim illa tria non nominata ideo omittuntur, quia ex Dei misericordiâ non excludunt, nec ergo alia nominari debuerunt, nam & illa ex misericordiâ non excludunt. Hac enim parte paria sunt, grãdia scelera, & paruula delicta, imò bona opera optimè facta, vt ex misericordiâ non excludunt, sine illa excludant, si Pareo credimus. 2. *Tria nominat, omnia intelligit:* Iam putidum glossema pro scriptura obtruditur, verum eâdem facilitate reiicitur particula, *Hæc*, ad tria illa refertur, quæ à regno Dei excludunt, nam cun excludant causam dat, quia propter hæc tria scilicet venit ira Dei in filios diffidentiæ. Ad reliqua tria quod attinet dubium non est, posse illa etiam quandoque esse mortalia ex accidente sed non ex genere, verum periculo audientis, vle affectu dicentis, æquari possunt illis quæ ex naturâ suâ sunt mortalia.

CAPVT X.

1. *Ecclesiæ & patrum auctoritati suam substituunt.*
2. *Concil. Milenitanum mortalia naturâ agnoscit.*
3. *Peccata quæ cum iustis consistunt etiam cum iustitia consistunt.*
4. *Nullæ peccata parua sunt, quorum pœnæ sunt inferi.*
5. *Augustinus defensus.*
6. *Mendacium illustre aduersarii.*
7. *Eiusdem hallucinatio.*

Idem

Idem ostenditur ex traditione Ecclesiæ, & Patrum.

Pareus pag. 107.

G*Eneratim duo respondentur, 1. Auctoritatibus Patrum nos non teneri. 2. Patres intelligi de veniali non naturâ sed imputatione.*

Defensio.

Didicit & inde Vorstius, *in pleniore responso, vt moneret, ne simpliciter, & per omnia, sed tantum vsque ad aras Catechismo fidem haberent.* Cuius monitionis causam adiungit. *Si fratres* (inquit) *hoc discrimen norunt, benè est. Sed multi tamen idipsum ignorant, qui de eo fructuosè moneri possunt. Immo non desunt, qui idolum ex Catechismo faciant: dum pure diuinum scriptum esse putant, aut pari cum sacris literis fide dignum. Si fratres existimant nullos tales reperiri; sciant nobis haud paucos eiusmodi notas esse. Academiarum porro, & Ecclesiarum approbatio, quam fratres hic prædicãt, nil nisi humanum iudicium est: quod proinde naturam huius scripti mutare non potest. Et tamen hac in parte pontificii longè nobis superiores sunt: quorum Catechismus Romanus, vel Tridentinus, vel decies hac in re nostrum superat, adeoq; hâc ipsâ viâ pridem canonisatus fuit. Quos vt nos Euangelici imitemur absit.* Hæc de Caluinianis Pareo adhærentibus Caluinista dissentiens. Quomodo sint intelligendi Patres, dicam in ipsis testimoniis, quorum duo ex Conciliis, quinque ex Patribus.

Tollunt Ecclesiæ & pp. auctoritatem & suam substituunt.

1. Concilium Mileuitanum c. 6 7. 8. docet: *Sanctos & iustos habere quædam peccata, quæ tametsi sanctitati, & iustitiæ non repugnent, tamen verè peccata sint, & remissione indigeant.* Ne verò dicant: Non esse naturâ venialia, obstat canonum compositor Augustinus de naturâ & gratiâ. cap. 35. 36. 37. & 38. Nam Augusti-

Auctoritas 1. Concil. Milenit. cã 6 7. 8.

gustinus non modo inuoluntaria enumerat, sed etiam voluntaria, quæ tamen à Deo imputantur, & fidem tollunt.

Pareus pag. 109.

1. Concilium non dicit naturâ Venialia. 2. Augustinus non fuit auctor Canonum, nam Cornelius Carthaginensis Concilio præfuit. 3. Concilium & Augustinus non ait consistere cum iustitiâ, sed cum iustis.

Defensio.

Conc. Milenit. natura Venialia dicit.

Ad 1. Illa naturâ suâ sunt Venialia, quæ naturâ suâ non expellunt iustitiam, & sanctitatem, sed quædam naturâ suâ non expellunt. Venialia igitur naturâ sunt. Assumptio probatur. si naturâ suâ non habent, ne Venialia pellant, ergo id est solum respectu misericordiæ Dei, hoc dici non potest, nam sola inuolũtaria ex sententia Lutheranorum talia sunt, vt ex misericordiâ Dei non imputentur, non voluntaria: hæc enim ita imputantur, vt qui illis sunt obnoxii fidem, & Spiritũ amittant. Concilium verò & Augustinus etiã voluntaria comprehendunt, vt constat cap. 36. de naturâ, & gratiâ. Ea ergo ex naturâ habent, vt de de ipsis dicamus cum Augustino. *Quantâvis fuerint excellentiâ sanctitatis, non fuisse sine peccato.* atq; illud de quibusdam necessario dicendum est. Nam imperfectio fidei, caritatis, operum bonorum optime factorum, sunt peccata ex natura secundum aduersarios, sed natura sua non tollunt fidem, caritatem, opera bona: quomodo defectus aliquot graduum, tolleret gradus inferiores? Nam sic fides fidem, caritatem caritas ex natura tolleret è medio.

Canonum compositor Augustinus.

Ad 2. Nullo modo præfuit Concilio Milenitano Cornelius Carthaginensis, sed Aurelius Carthaginensis, qui primo loco subscriptus est, secundo loco Donatianus Telepiensis primæ sedis, Tibulensem alii, nõnulli Tebestensem appellant. Tertio loco Augustinus Hipponæ Regiensis subscripsit, & omnia Concilii,

stylo

stylo Augustini scripta, Augustinus locis à Bellarmino citatis, easdem scripturas, eodem modo citat, patet idem ex Epistola 89. ad Hilarium. Nemo dubitat Epi. 92. ad Innocentium Concilii nomine ab Augustino scriptam, eadem itaque Concilii & Augustini sententia, an vero aliud scripsisse, & aliud subscripsisse eodem pene tempore dicemus Augustinum?

Ad 3. Sophisma est, sed rude. *peccata illa cum iustis consistunt, non cum iustitiâ. Nam si iusti fuerunt & sine peccato non fuerunt,* Si cum iustis erant illa peccata, nonne cum iustitia ipsa? nam si iustitia aderat, consistebant cum iustitia, si aberat, iusti non erant; etsi iusti fuerant, forte etiam futuri erant iusti, sed cum Abel immoderatius risit (exemplum est Augustini à Cardinale citati) manebatne in ipsa remissione iocãdi cum peccato, quod cum iusto consistebat, etiam iustitia iusti Abel, & cum iusto, & cum peccato? aut si aberat à iusto iustitia, qua re erat tandem iustus? Est hoc contrarium vt veritati, ita menti Augustini, qui cum illis peccatis ait Abelem *habuisse caritatem quâ iustus est, quicunque est iustus*: Si caritate iustus, & cum illis peccatis erat caritas, igitur & iustitia. *Si peccata cum iustis consistunt, ergo & cum iustitia.*

Pareus pag. 110.

Insignis c. 35. habetur sententia contra purgatorium, & Venialia aduersarii: Etiamsi (inquit) *non hic viuitur sine peccato, tamen licet mori sine peccato: dum subinde venia deletur, quod subinde ignorantia, vel infirmitate committitur. si licet mori sine peccato, non relinquuntur in pie morientibus peccata purgatorio expianda, si delentur venia, non sunt venialia natura.*

Defensio.

Possunt sancti *mori sine peccato*, non ideo tamen semper moriuntur sine peccato. Fieri posse, & fieri valde sunt diuersa. Fieri potest vt qui leuissime delinquit, morte ante pœnitentiam occupetur, ideo non morietur sine vllo delicto. *Possumus mori sine peccato, non semper fit quod fieri potest.*

Verum verba Augustini adferamus, & veritatem etiam reluctanti proponamus. *Si enim dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis pater vester peccata vestra. Per hoc enim quotidianum spiritale quodammodo incensum, quod ante Deum in altari cordis, quod sursum habere admonemur, infertur, etiamsi, &c.* itaque per ignoscentiam alieni delicti, vt per incensum remittitur peccatum, quod est contra solifideanos.

Confirmat hoc Epistola 89. ad Hilarium, *sed planè qui misericordiâ Dei adiutus, & gratiâ se ab eis peccatis abstinuerit, quæ etiam crimina vocantur, atque illa peccata sine quibus non hic viuitur, mundare operibus misericordiæ, & piis orationibus non neglexerit, merebitur hinc exire sine peccato, quamuis cum hic viueret, habuerit nõnulla peccata: quia sicut ista non defuerunt, ita etiam remedia quibus purgarentur adfuerunt. Quisquis hac velut occasione compertâ, cum audierit, nemi nem hic arbitrio suo sine peccato viuere, dederit se libidinibus, & criminibus nefariis obligauerit, atq; in his criminosis, consceleratisq; moribus, vsque in diem suum vltimum perdurauerit, quaslibet inter hæc eleemosynas faciat, & infeliciter ducit vitam, & infelicius finit.* Primò distinguit hic peccata sanctorum & crimina impiorum, hæc negat mundari operibus misericordiæ, de illis concedit. 2. merebitur exire sine peccato. 3. remedia adfuerunt. Itaq; naturam horum peccatorum distinguit, ex quâ est, vt aliis remedia sint efficacia, aliis irrita. hoc ex eo, quia alia sunt in iustis, alia sunt inimicorum.

Bellarminus.

1. Auctoritas Patrũ. Patres peccata *leuissima, minuta, quotidiana, paruula, & peccata sanctorum appellant*: non facerêt illud, si natura essent mortalia. nec talia ex misericordia Dei, quia omnia sic parua, nam grandia misericordiæ illi sunt exigua, auctoritates à Cardinale citantur.

Pa-

Pareus pag, 12.

1. *Quidam patrum fuere Platonici. 2. minuta dicunt collatione ad maiora. 3. Origeni carcer non est purgatorium hom. in 5. Matth.*

Defensio.

1. Non sunt hæc platonica, nec veterum vllus, tanquam Platonis scitis contradixit. 2. Minuta non vocarent, nec culpas leuissimas, si tam atrocium tormentorum reos constituerent, vt argumentatur Cardinalis. 3. Purgatorium in eorum verbis cognoscitur. *Si qui parum debet non egreditur nisi soluat minutum quadrantem: vtique qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum sæcula numerabuntur.* Cum ergo locum nominet carcerem, ex quo datur exitus, dubium non est, quin venialia delicta, & pœnam temporariam esse iudicet, cum innumera illi sæcula non tribuat in pœnam. *Non sunt parua quæ delegantur inferis.*

Aduersarius de sententiâ Hieronymi, de furto Adami, mendacia quæ deuorare coactus est regurgitat. Verum & Hieronymi, & hic Augustini verba sine ambiguitate continent Bellarmini sententiam.

Bellarminus.

S. Augustinus de spiritu & litera c. 36. *Vocat leuiora & peccata hominis ex fide viuentis.* Et Enchir. cap. 71. *quotidiana, breuia, leuia.* Sermone 41. de sanctis, *transitorio igne mundari, illis non occidi animam, esse pustulas, seu scabiem.*

Pareus 116.

1. Non dicit naturâ venialia. 2. Delentur misericordia Dei, nō sunt ergo natura venialia, alias non egerent misericordiâ, & deprecatione. Imo iniustus esset Deus, si quæ in se veniam merentur, in censum minimum vocaret, vel temporaliter puniret. 3. Sermo ille non videtur Augustini. Causa prima, quia ignem purgatorium hic asserit, alibi dubitat. Secunda, quia phrasis etsi in multis est similis, in aliis est dissimilis. Tertia,

quia ibi docet peccata redimi bonis operibus, alibi docet oratione id fieri. Quarta, Capitalia peccata docet redimi lacrymis, rugitu, gemitu, ieiuniis, quæ neque sacræ scripturæ, neque doctrinæ Augustini satis conueniunt. Quinta, etsi fuerit Augustini, non tamen sensit, quod sensisse eum vult aduersarius; Nam non vocat venialia, minima vero dicit in collatione, scabiem appellat mortalem. Motus verò subitos à nobis haberi pro venialibus mentitur Bellarminus.

Defensio.

O peruersâ tortuositas, quanto labore te magis intricas? rem videamus.

Augustinus natura dixit Venialia. Ad 1. Imò verò natura Venialia sunt illa dicta ab Augustino, quia breuia, leuia, minima, non occidentia, si enim millies, millies inferos merentur, imò totius mundi interitum, cur leuia, breuia, minima? 2 Iustitiam iusti non tollunt, nec vitam spiritalem, non sunt ergo mortalia. 3. Eleemosynis delentur, & bonis operibus, quibus mortalia non expiantur. 4. Transitorio igne purgantur, ergo venialia. 5. quia aduersarius, post ambages tandē in Augustini accusationem vertitur, dicitque *esse stipulam*. Sensit ergo hæc Augustinus stipulam.n. vocat in eo errorē quē putat.

Ad 2. Contra tuam calumniam, non Bellarminum argumentaris. Non dixit ille peccatum *mereri veniam, sed pœnam*, & pœnam temporalem, an pro pœna temporali auertenda non opus est misericordia Dei, & oratione nostra?

Sermo 41. de sanctis est Augustini. Ad 3. Vt euertat veritatem, testimonia supprimit, sed incassum. Rationes expendamus. *1, asserit hic purgatorium, alibi dubitat, ergo sermo non est Augustini.* De igne materiali ab illo, & alii dubitatum, non de pœna. Nunquam de purgatorio dubitauit, alia loca sunt, quibus illud asserit. Magis ingenue Hieronymus Zanchius, cuius verba repræsento, vt in conspectu etiam tuo mendacium tuum sit, tu illud irretortis oculis in-

lis intuere. Mendaciũ tuum est in cõmentario 1. Cor. 3. *Opinio verò de pœnis purgatorii recens est, à monachis excogitata, vel certe ex Æneide Virgilii, vel Platonis Gorgia exstructa, stipula est igitur.* Hoc primo vrgeo, si purgatorii assertio in priscis patrib. fuit stipula, hoc est, leue peccatum, nunc igitur in nobis etiam stipula, non trabs esse debet. Secundo, si purgatoriũ stipula, igitur & Veniale stipula tuo sensu est, imo iã in Augustino stipulã esse dixisti, est. n. Veniale, vt tu vis, purgatorii radix. Cur igitur in discipulis exagitas velut grãde, quod in Magistro Augustino fers tam facile? Cur ergo tã inimice in Cardinale insectaris, quod in priscis existimas stipulã? an quia nõ rei, sed homini es inimicus? Sed æneida vel Gorgiã legamus ex Zanchio l. 4. c. 4. q. 5. de naturâ Dei. Postquã dixisset, *Consuetudinẽ pro mortuis orandi, Apostolorum temporibus non fuisse, sed post in Ecclesiã irrepsisse. subiungit: Verũ enim verò, quandò, vbi, & quo primum, nondum potui certi aliquid reperire. Est tamen antiqua consuetudo, & doctrina. Nam Tertullianus de eis precibus pro defunctis mentionem fecit in lib. de coron. milit. Christ. pag. 449. sed aperte inter ea numerat, quæ ex sola consuetudine fluxerunt: minime autem ex scripturis desumpta sunt. De eadem re scribit lib. de monogamia pag. 578. item oblationum pro defunctis mentionem facit. lib. de exhortatione ad castitatem, pag. 564. nunquam vero docet, vel innuit, preces illas, vel oblationes fuisse ex verbo Dei, aut etiam ex Apostolica traditione. Dionysius qui Ariopagita dicitur in lib. de Eccl. Hierarch. cap. vlt. & alibi. Cypr. Epist. l. 13. Epist. 6. item li. 4. Epist. 5. & alibi sæpe. Ambros. T. 3. in orat. fun. de obitu Theodosii. itẽ altera de obitu Valentiniani. I. & in orat. de obitu fratris sui Satyri. Chrys. in Liturgia, & alibi. Aug. T. 1. Conf. l. 9. c. 12. 13. rogat Deũ vt peccata matris defunctæ remittat. itẽ lib. de cura pro mortuis agenda. c. 4. ait non esse omittendas supplicationes pro spiritib. defunctorũ. itẽ T. 4. in 8. q. ad Dulcitium, q. 2. & alibi.*

An & hæc quæ magistro tuo authentica sunt, suspecta habes? an & lib. 2. contra Manichæos suspectus est? Causam habes, nã c. 22. purgatorium asserit, hisce verbis. *Si quis fortè agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vitâ maledictionem terræ suæ, & in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit, vel ignem purgatorium, vel vitam æternam.*

Causam alteram ipse agnoscit ludicram esse, cum phrasin esse Augustinianam fateatur in multis, & pauculas Afris peculiares recitat, vt; *peccata nimium plura*, ignarus Augustinum in sermone populari, vulgi & verbis, & sententiis frequenter vti.

Hallucinatio aduersurii. Tertia causa, *quia hic lacrymis, alibi oratione deleri peccata docet.* Respondeo, non pugnare lacrymis, eleemosynis, oratione deleri peccata, conueniunt hæc omnia & conspirant amice. non igitur illa est causa iusta suspicionum: præsertim cum doceat Catholicos Spiritus Sanctus; *Bona est oratio cum eleemosynâ & ieiunio*: nusquam verò hæc tria dicat esse peccata naturâ mortalia. Verum vbi docet de oratione excludente lacrymas, rugitum, gemitum, ieiunium? nam orationis illud esse officium, non est dubium, de exclusiua quærimus.

Citatio marginalis hæc est: Ench. cap. 7. 1. suspicor esse 71. Legamus in Augustino oratione, non lacrymis, non ieiunio fieri abolitionem culparum, vt sermo 41. ne sit Augustini. Verba hæc sunt capit. 70. *Sane cauendum est ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidiè perpetranda, & Eleemosynis quotidiè redimenda. in melius quippe, est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, vt ea semper liceat impune committere. nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miserando deleat iam facta peccata,*

si non

si non satisfactio congrua negligatur. De quotidianis autem breuibus, leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere, Pater noster qui es in cœlis: qui iam patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata. Delet & illa à quibus vita fidelium scelerat è etiã gesta, sed pœnitendo in melius mulctata discedit: si quemadmodum veraciter dicitur, dimitte nobis debita nostra: quoniam non desunt quæ dimittantur, ita veraciter dicatur, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: id est, [si] fiat quod dicitur: quia & ipsa eleemosyna est veniam petenti homini ignoscere. c. 72. Ac per hoc ad omnia quæ vtili misericordia fiunt, valet quod Dominus ait; Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Non solum autem qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subuectionem, cœco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti: verum etiam & qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat: & qui emendat verbere in quem potestas datur, & coercet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius, quo ab illo læsus est, aut offensus, dimittit ex corde, & orat vt ei dimittatur, non solum in eo, quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur inuitis, quando eorum cõsulitur vtilitati, non voluntati: quia ipse sibi inueniuntur esse inimici ac amici verò eorum potius illi quos inimicos putant, & reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala Christianus non debeat pro malis. Multa itaq; sunt genera eleemosynarum quæ cum facimus adiuuamur, vt dimittantur nobis nostra peccata. Et de ciuit. Dei l. 21. c. 17.

C. 71.

RESTAT eis respondere qui dicunt, æterno igne illos tantummodò arsuros, qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligunt, propter illud quod ait Apostolus Iacobus: iudicium autem sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Qui ergo fecit, inquiunt, quamuis non correxerit perditos mores, sed nefariè ac nequiter inter ipsas suas eleemosynas vixerit, cum misericordia illi futurum est iudiciũ, vt aut non damnetur omnino, aut post aliquot tempus à damnatione nouissima liberetur. Nec ob aliud existimãt Christum de solo dilectu, atq; neglectu eleemosynarum discretionem inter dexteros, & sinistros esse facturum, quorum alios in regnum, alios in supplicium mittat æternũ. Vt aut quotidiana sibi opinentur, quæ facere omnino non cessant, qualiacunque & quantacunq; sint, per eleemosynas dimitti posse peccata, orationẽ, quam docuit ipse Dominus, & suffragatricem sibi adhibere conantur, & testem. Sicut enim nullus est, inquiunt, dies, quo à Christianis hæc oratio non dicatur: ita nullum est quotidianum qualecunq; peccatum, quod per illam non dimittatur, cum dicimus: dimitte nobis debita nostra: si quod sequitur facere curemus: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Non enim ait Dominus, inquiunt, si dimiseritis pecccata hominibus, dimittet vobis quotidiana parua, peccata vestra, sed dimittet vobis, inquit, peccata vestra. Qualiacunq; ergo, vel quantacunq; sint, etiamsi quotidiè perpetrentur: nec ab eis vita discedat in melius commutata, per eleemosynam venia non negata remitti sibi posse præsumunt. Sed benè, quod isti dignas pro peccatis cõmonent eleemosynas esse faciendas, quoniam si dicerent, qualescunq; eleemosynas pro peccatis & quotidianis & magnis, & quantacunq; scelerũ consuetudine misericordiã posse impetrare diuinam, vt ea quotidiana remissio sequeretur, viderent rem se dicere absurdam atq; ridiculã. Sic .n. cogerentur fateri fieri posse, vt opulẽtissimus homo 10. nummulis diurnis in eleemosynas impẽsis, homicidia & adulteria, & nefa-

nefaria quæq; facta redimeret. Quod si absurdißimum & insanißimũ est dicere, profecto si quæratur, q̃ dignæ sint pro peccatis eleemosynæ, de quib. etiã Christi præcursor ille dicebat. Facite ergo fructus dignos pœnitẽtiæ: proculdubio non inuenientur eos facere, qui vitã suã vsq; ad mortẽ quotidianorũ criminũ perpetratione confodiunt. Primũ, quia in auferendis reb. alienis longè plura diripiunt, ex quib. per exigua pauperib. largiendo, Christum se adhuc parcere existimãt, vt licentiã malefactorũ ab illo se emisse, vel quotidie potius emere credentes, securi dãnabilia tãta cõmittant. Qui si pro vno scelere omnia sua distribuerent indigentib. mẽbris Christi, nisi desisterent à talib. factis habendo charitatẽ, quæ nõ agit perperã, aliquid eis prodesse non posset. Qui ergo dignus pro suis peccatis eleemosynas facit, prius eas facere incipiat à se ipso. Hanc ergo eleemosynam, id est, vt Deo placeat, non faciens animæ suæ. quomodo dignas pro peccatis suis eleemosynas facere dicẽdus est? ad hoc .n. & illud scriptum est: qui sibi malignus, cui bonus erit? Orationes quippe adiuuant eleemosynæ. Et cõtra Cresconiũ Grammaticum. *Quasi solo Baptismo, quem repeti non oportet, cum idem atq; vnus est, homines ab errore mũdentur. Mundantur & verbo Veritatis ab illo qui ait. Iam vos mundi estis propter verbũ quod locutus sum vobis. Mundantur & sacrificio cõtriti cordis ab illo de quo dictũ est: sacrificiũ Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum* Deus *non spernit. Mundantur & eleemosynis ab illo qui ait: date eleemosynã, & ecce omnia munda sunt vobis. Mundãtur ipsa, quæ supereminet omnibus charitate, ab illo qui per Apostolum Petrum dixit, charitas cooperit multitudinem peccatorum: quæ vna si afferit omnia illa rectè fiunt: si autem desit, omnia frustra fiant.*

CAPVT XI.

1. *Grauius in eodem genere peccati delinquit fidelis quam infidelis.*

2 *Luthe-*

2. *Lutheranis quædam peccata sunt natura venialia.*
3. *Voluntarium pertinet ad rationem peccati.*
4. *Pœna peccato debetur ob iniuriam, inimicitiam.*
5. *Non qualibet offensa dissoluit amicitiam.*
6. *Nostra cum Deo coniunctio in scriptura dicitur amicitia.*
7. *Venialia perfecte.*
8. *Graues pœnæ Castrenses.*
9. *Aliter grauia, aliter leuia lex notat.*

Quinque rationibus probatur peccata aliqua natura esse Venialia

Bellarminus.

Ratio 1. PEccata sine fide Venialia, natura sunt Venialia. *Quædam infidelium sunt Venialia, igitur natura sunt venialia. consequentia probatur. Qui sine fide sunt infideles, propositio ab illis conceditur. De assumptione igitur quæstio est, quæ probatur. In eodem genere peccati grauius Deum offendit fidelis, quam infidelis, sed fidelis peccatum veniale est, ergo & infidelis leuius peccantis.*

Grauius fidelis peccat, quam infidelis in eodem genere.

Pareus pag. 22.

Assumptio falsa, infidelis ex accidenti leuiùs peccant, quàm fideles, sed non in genere venialium.

Defensio.

Argumenti robur inuictum est, idcirco & aduersarius ne nugandi deesset occasio, in forma breuiore illud retulit, & pro eo, quod Cardinalis dixit: *in eodem genere peccati* substituit: *In eodem genere venialium*, vt dicere posset peti à Bellarmino principium.

Respon-

Responsionem expendamus. Infidelis ex accidenti leuius peccat. Si leuius peccat ex accidenti, minus ergo Deus eius culpâ offenditur, ad minorem ergo pœnam imputat, quam peccatum fidelis, de eo peccato loquor, quod actualem fidem, & pœnitentiam fidelis antecedit, eo enim tempore illud imputari supra aduersarius docuit: at eo tempore fidelis peccatum est veniale, ergo & infidelis. v. g. vtriusque verbum ociosum. Deinde ocioso verbo peccat Dauid, peccat & Tarquinius superbus, eodem genere delicti, leuius scilicet, vt ignorantiâ, & infirmitate maiore. Tarquinii peccatum naturâ est veniale, quia minus Deum offendit, quam Dauidis quod etiam est veniale naturâ, nam fidem & sanctitatem non excutit id naturâ rei, discernente Spiritu sancto inter grauia crimina, & infirmitates humanas. Si igitur Dauidi, etsi nondum pœnitenti, nec actualiter credenti, Deus hoc peccatum imputat ad exiguam, aut nullam etiam pœnam, Tarquinio ad pœnas æternas, non ergo verum est, seruum scientem voluntatem Domini, & non facientem plagis multis, nescientem paucis vapulaturum, nam Dauid sciens paucis, aut nullis, Tarquinius inscius vapulat multis.

Ad dices: Dauidi ignoscit, Tarquinio minime. Ita credo: sed ad rem præsentem non facit. De ipsâ execratione seu offensâ Dei loquor, quæ est ante omnem pœnitentiam, hæc in Dauide grauiorem habet, quam in Tarquinio causam. In Dauide non facit inimicitiam, aut reatum æternorum suppliciorum, etiam ante pœnitentiam, ergo nec in Tarquinio. Si offensa in Dauide leuior est ex Dei misericordiâ, ergo iam ante pœnitentiã facta remissio est, & eo quo fiebat momento peccatũ, misericordiâ delebatur, quod nonnulli dicunt Caluinistarum, qui pœnitentiam remissione faciunt posteriorem, sed omnibus sceleribus illi viam aperiunt. Dum non modo peccatum extenuant,

nuant, sed pœnitentiam etiam è medio tollunt.

Bellarminus.

Ratio 2. Lutherani ex natura peccata faciunt venialia.

Peccatum non ideo est veniale, quia Deus non imputat, sed ideo non imputat, quia veniale est. Quia veniale dicitur veniâ dignum, seu in quo est, cur mitiùs puniri debeat. Quid ergo est illud quod facit, cur ad mortem non imputetur? Respondebunt: *Quia cum fide consistit*. Et cur cum fide consistit? *Quia est inuoluntarium*. At hoc est discrimen mortalis & venialis ex natura peccati statuere, ad naturam vtiq; peccati pertinet voluntarium, & inuoluntarium.

Pareus pag. 125.

Secundum argumentum nec caput, nec pedes habet: Nullum est antecedens, nullum consequens, nulla præmissa, nulla conclusio directa. Deinde voluntarium & inuoluntarium non pertinet ad rationem peccati. Quia sine voluntario Augustinus definiuit.

Defensio.

Voluntarium & inuoluntariũ ad rationem peccati pertinent.

Caput & pedes non habet, telum enim est perfodiendæ hæresi, quod vim penetrandi habet, & sternendi.

Antecedens tamen habet & consequens, & solidas vtriusq; probationes. Tale enim argumentum est. Ideo peccatum à Deo ad mortem æternam non imputatur, quia in se habet aliquid cur mitius puniatur. Sed illud ex naturâ peccati est, ergo ex naturâ peccati est, vt ad mortem æternam non imputetur.

Minor probatur. Id quod causa est mitioris pœnæ, est Lutheranis fides, ergo est ex naturâ peccati pœna mitior. Sequela probatur. Ideo fides est causa cur non imputetur, quia peccatũ veniale cum fide iustificante consistit, sed cum fide consistere est ex naturâ peccati, ergo si fides est causa cur mitius puniatur, hoc sumitur ex naturâ peccati. Minor probatur. Ideo cum fide consistit, quia est inuoluntariũ, vt docent Lutherani,

sed

sed esse inuoluntarium & voluntarium ad naturam pertinet, vt probat Cardinalis. Docent ergo ἀσύςατα, nam inter actum voluntarium, & inuoluntarium est essentiale discrimen, nam omnis actus voluntatis seu elicientis, seu imperantis differt essentialiter vel in genere moris, vel in genere naturæ ab actibus à voluntate non productis, vel non imperatis.

Bellarminus.

Tertium argumentum ex D. Thomâ. 1.2.q.87.art. 5. & 3.q.86.a.4. Pœna æterna non debetur peccato, nisi ratione auersionis à bono æterno, quod est Deus. Peccatum veniale suâ naturâ non ponit auersionem à Deo, cum non repugnet caritati. Ergo naturâ non facit hominem reum æterni supplicij. *Ratio 3.*

Pareus pag. 126.

Pœna debetur non propter auersionem, sed ἀνομίαν transgreßionem legis æternæ. Deinde assumptio ter peccat. 1. petit principium. 2. quod veniale neget auersionem esse hominis à Deo. 3. quod neget repugnare caritati.

Defensio.

1. Tam acerbo odio patronum veritatis insectatur, vt sibi sit inimicus. cap. 1. Transgresionem legis negat propriè conuenire omni peccato; si non omni; non igitur omni peccato pœna debetur æterna propter transgresionem. Verum respondebit, se hic ἀνομίαν vocare transgresionem, ἀνομίαν esse in omni peccato. Accipio solutiouem, ita tamen vt ille deleat, quæ c.1. pag. 6. & 7. contra Augustinum mentitus est, quæ non pœnitentiâ, sed maiore causæ periculo anxius, nunc irrita facit. Ibi enim negauit, omne peccatum esse transgresionem.

2. Transgresio seu iniquitas, defectio, est auersio à Deo. Apud VVolffgangum Musculum vna ex definitionibus peccati est, *voluntas auersa à Deo.* Deinde peccatũ, ait, *esse quicquid à cõmunicatione summi boni discre-* *Pœna infligitur peccato, qui est auersio.*

discrepat. Pœna æterna debetur, quia hostis, quia *iniuriosus, quia alienus à summo bono.* Deind absoluta est à summo bono auersio, expressum Dei odium, hoc ex sese pœna dignum, non modò quia lege vetitum est, sed etiam quia ex se malum est, rectè Augustinus l. 1. de libero arbitrio c. 3. *Non ideò adulterium malum, quia lege prohibitum est, sed ideo vetari, quia malum est.* Naturarum quædam sunt affectiones, quas nulla potentia immutare potest; vt *triangulum habere tres æquales duobus rectis*, sic quædam mala sunt, vt nullâ potentiâ fieri bona possint, odium Dei, nullo præcepto, nullâ lege Dei fieri potest bonum. Et quidem horribilis aduersariorum error, duas in Deo fingit voluntates, vnam peccata volentem, ordinantem, ad illa impellentem; alteram externam, lege, eadem quæ vult; prohibentem. Prior illa voluntas effectrix, & coactrix peccatorum, volendo, & decernendo, non facit peccata bona, ergo & altera, illa legalis, illa in prohibendo simulatrix, etiam si mutaretur, & quod prior efficaciter vult, & operatur, idem latâ lege imperaret Dei odium, non faceret bonum illud, quia ex se malum, ideo pœnæ obnoxium, etsi nulla non modò lege prohibitum, sed insuper iussum.

Cætera, nugatoria sunt, non enim petit principium, sed esse aliquod peccatum, cui natura non debeatur æterna pœna, docet. Quomodo non sit auersio amicitiam cum Deo dissoluens, nec repugnet caritati, vt eam tollat, supra dictum est.

Bellarminus.

Ratio 4. Quartum argumentum. Si natura sua quæuis offensa dissolueret amicitiam Dei, eadem ratione dissolueret aliam quamuis amicitiam. Quod enim ex natura rei conuenit, semper, & vbique conuenit. At non semper dissoluit, nec ergo cum Deo. Quis enim credat hominem Deo amicum, verbo ocioso reddi perpetuò inimicum?

Pareus pag. 126.

1. *Hypothetica est falsa. Non enim æqualis est amicitia inter Deum & homines, illi, quæ hominum est inter se. 2. Coniunctionem nostram cum Deo, scriptura non vocat* φιλίαν, *sed* καλ' ἀλλαγὴν, χάριν ἀγάπην, υἱοθεσίαν, *reconciliationem, gratiam, dilectionem, adoptionem. 3. Hanc nullum peccatum dissoluere potest. Rom. 8. 18. non naturâ peccati, sed quia resipiscentibus gratiosè concedit. 4. Deus est Lux, iustitia; cui innocens, non est innocens, ergo omne peccatum amicitiam eius dissoluit.*

Defensio.

Ad 1. Firma ratio. Si minima offensio naturâ habet, vt dissoluat amicitiam, seu coniunctionem, ergo semper id habet. Quemadmodum vera caritas ex naturâ habet, vt amicitiam iungat. Quod enim ex naturâ effectũ habet, semper & vbiq; eũ producit: etsi enim amicitiæ sint inæquales, si tamen natura cuiusuis offensæ est, vt illas disrumpat, etiam inæqualium vincula disrumpet amicitiarũ. Nimis ergo infinitam bonitatem sugillat sæuitiæ, si minimam peccati minimi cogitationem, quæ martyri in rogo, vel eculeo occurreret, ex naturâ suâ iudicaret dignam æternis cruciatibus, nam si id peccatum esset voluntarium, secundum Lutheranos imputaretur, & Deo inimicos perditâ fide, Spiritu sancto, constitueret. Nec minus secundum aduersarium, ante pœnitentiam enim imputaretur, & iustitiam tolleret. Confirmatio argumenti Bellarmini ex eo sumitur, quod obieci, nec satis vnquam obijci potest. Amicitiam nullam dissoluit caritatis veræ opus optimè factum, at si omnia peccata ex natura soluunt amicitiam, quæ est cum Deo, ergo & caritas Dei, & amicitia cum Deo, optimè culta, soluit amicitiam Dei, vt destruat seipsam, & ideo non sit amicitia cum Deo, quia cum Deo est amicitia. Nam amicitia Dei est natura sua peccatum mortale. At non

Non omnis offensa tollit amicitiam natura sua.

Alias amicitia Dei tolleret seipsam.

est perfecta. An ergo cum vel egenti subuenitur, vel Deus amatur, aut remissio speratur peccatorum, hæc ideo naturâ suâ dissoluunt amicitiam, quia meliore modo, ardentiore caritate fieri possunt! Sequitur iterum: Amicitia Dei rumpit seipsam, quia non est ardentior.

Clarum mendaciũ. Iaret. Dei dicimur amici φίλοι.

Ad 2. Tam improbæ defensionis subsidio deiectus, alio spes suas vertit, & aperto mendacio scripturæ in os contradicit. *Scriptura non vocat nostram coniunctionem cum Deo* φιλίαν (inquit) Non est ergo illa scriptura quæ dicit: (Ps. 117.) *Nimis honorati sunt amici tui Deus?* Quæ dicit: (Iacobi 2. 23.) *& amicus Dei appellatus est?* Quæ dicit: (Luc. 12.4.) *dico autem vobis amicis meis?* Quæ dicit Ioan. 11. *Lazarus amicus noster?* Non est scriptura, *Cantica canticorum*, plena non modo *amicitiis*, sed etiam *nuptiis*? Si reconciliationem vocat, ergo amicitiæ redintegrationem, est ergo amicitia, nisi integritas amicitiæ est sine amicitiâ. *Amici sunt* (Apostoli) *officio, vocatione, iure adoptionis*, inquit Aretius in 12. Luc. v. 4. Ego nouo mendacio, oppono verba ex ore veritatis æternæ prolata. Ioan. 15. v. 13. 14 15. *Maiorem caritatē nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius: Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à patre, nota feci vobis.*

Ad 3. Ex misericordiâ fieri (ait) vt amicitiam illam, non quoduis peccatum, imò nullum possit dissoluere. Hoc quidem contra superiora est. Nam pag. 84. *Peccandi propositum fiduciam excludit, sed illud est peccatum, ergo excludit à regno Dei.* Ibidem, & paginâ 72. *Adulteria, homicidia negat manere cum fide iustificante*, si non manent, ergo dissoluunt reconciliationem cum Deo, quę sine fide iustificante non est vlla. Hinc illa præsumptio. *Nulla peccata dissoluere possunt*

sunt amicitiam, reconciliationem, gratiam, dilectionem, adoptionem. In omnibus flagitiis manent amici, reconciliati, grati, adoptati.

Ad 4. Nulla consequentia à Dei puritate, & iustitiâ. Deus iustus est, ergo minimũ peccatum, omne opus bonum optimè factum iudicat dignum æternis tormentis, hoc iustitia Dei abominatur, cum fingit caluiniana crudelitas. Iudex etiam iustus, non omne peccatum morte punit, datur pœna citra damnationem.

Bellarminus.

Peccatum Veniale imperfectè dicitur peccatum, vt D. Thom. Bonauentura, Albertus, alij, non ergo illi pœna debetur perfecta seu æterna, sed temporaria. Antecedens probatur. Quia vel non perfectè voluntarium, vel non perfectè contra legem, vt constat ex diuisione peccati. Quòd si de veniali lex ferretur, non esset in rigore lex. *Ratio 5.*

Pareus pag. 28.

Propositionem occultam negamus, nam etiam imperfectis peccatis maledictionem minatur lex. Deut. 27.27. Secundò, omne peccatum est perfectè peccatum. Tertiò, omne peccatum est perfecta ἀνομία. *Quartò, quod vel apicem legis violat, est mortale, qui in vno offendit, est omnium reus. Quintò, miles sæpe ob furtum pomi occiditur, quia agit contra legem.*

Sextò, Si lex prohibens furtum in genere, non prohibet furtum oboli perfectè, ergo nec furtum centum coronatorum.

Septimò, Furtum exiguum etsi caritatem proximi non lædit, tamen Deum lædit, qui vetuit.

Octauo, Peccata leuia & grauia sunt in Sanctis, & istis, quæ iustitiam eorum non tollunt ex accidenti: Sanctitatem sæpè minuunt, contaminant, charitatem Dei & proximi, & fidem ipsam non penitus quidem excludunt, at sæpè violant, perturbãt, obscurãt, &c.

Defensio.

Ad 1. Maledictio Deut: 27.27. non stringitur in omnia peccata, sed ea quæ eo loco nominantur, alias in ipsa opera bona, vires etiam suas exereret. Verum ea de re suo loco; redibit enim illa disputatio.

Venialia non perfectè peccata. Ad 2. Negamus perfectè peccata omnia esse, quæ sunt peccata, quòd non concedere, necessarium est Caluinistis, alias omnis animi sinceritas Ethnicorum, omnia bona opera iustorum essent natura sua perfectè peccata. Ad rem quod attinet, sentiunt orthodoxi. Omnem virtutis cuiuscunque actionem, atque etiam peccati ex liberæ voluntatis consensione deliberata, aut eius defectu; perfectionem, aut imperfectionem sortiri. Quod si perfectè sint voluntaria, vt furtum oboli, sic vt rationi rectæ opponitur, virtutique morali, perfectionemq; suam quandam habet, sed tamen quæ etiam sic æstimetur imperfecta: si vero spectetur vt ad Deum refertur, nullo modo perfectum est peccatum, non enim coniunctionem quæ cum eo est, amicitiamque abrumpit, quæ est absoluta peccati, sed miserrima perfectio. Hanc in veniali non esse supra Cardinalis ostendit. Nec hominum amicitia tam est fragilis, quis enim adeo morosus est, vt in omnem æternitatem renunciet vetustissimæ amicitiæ, si is, qui caritate illi coniunctissimus, eius honori etiam sanguinem impendere sit paratus, auiditate impulsus, nucem ex sylua vel tulerit vel ferre consenserit, aut minima carpendi cupiditate tactus fuerit? insuper rogi aut crucis summo supplicio addicat? nec tamen dicere verentur illi desperationis antistites, minimum voluntatis, in leuissimum peccatum, tenuissimè inclinatæ nutum, millies millies gehennam, & mundi toties interitum mereri. Cur non igitur leuiorem crucis, aut rogi pœnam, regum leges decernent in eos, qui se leuissimo, quod cogitatione cõsequi possumus furto, obstrinxerint.

Ad

Ad 3. Non omne est, ἀνομία perfecta: Quia non in omni ἀνομίᾳ finis legis violatur seu caritas, quæ minimis offensiunculis interpellata, amare non desinit.

Ad 4. Qui vno (inquit) minimo deliquit, reus est omnium. Non est sensus, quem Aretius obtrudit: *Lex sic est vnita, vt nulla particula sine aliarum legum violatione posſit violari.* Sed quem olim sermone 61. de tempore attulit Augustinus. *Quid, inquam, est hoc vnum, nisi illud, quod Apostolus dicit? omnis lex, in vno sermone completur, diliges proximum tuum sicut teipsum.* Vnum ergo illud est, quod caritatem læsit, quod finem legis euertit, ideo in totam legem commisisse dicitur, cuius delictum, caritatis præcepto, à quo vniuersa lex pendet & prophetæ, ita repugnat, vt caritatem ipsam è medio tollat.

Ad 5. Insicenter etiam disciplinæ castrensis seueritas in æstimationem peccati mortalis, aut venialis deducitur. Nam in illo licentiæ militaris periculo, non tam criminis commiſsi ratio, quàm committendorum, exemplo trahente in vsum, habetur. Itaque pœna illa coercitioni, non delicto omnis infertur. Nec tamen exiguum peccatum, etiamsi parum facto noceat, cum exemplo cæteris audaciam, & prauum ius faciat, putandum est. Qui acinum ex vua defringit, si facto suo spoliandæ vineæ initium fecit, damni tenetur, cuius auctor fuit. Fuitque peccatum, vt facto paruum, ita exemplo grauiſsimum. *Cur graues pœnæ Castrenses?*

Ad 6. Veriſsima est illa legum distinctio, & Iurisperitis, & Theologis vsurpata. Illis quidem; quod non cuilibet crimini pœnam capitalem decernunt, alioque modo furtum oboli, & centum coronatorum puniunt. His autem; quia quanquam omnia furta fateantur vetari Dei præcepto, eodem ta- *Lex aliter grauia aliter leuia vetat.*

 men

men rigore, seu perfectione vetari negant. Primaria legislatoris mens est, ea quæ humanæ societatis, & caritatis iura violant, legibus coercere, damna præcauere, normam vitæ temporariæ, quæ ad æternam sit necessaria, præscribere, non minima grauissimo supplicio vindicare.

Ad 7. Itaque ne Deum quidem, ita lædit, vt offensa capitale odium excitet, quod ad septimum aduersarij errorem pertinebat. Insignis hominis improbitas notatur, qui hic furtum paruum comparat adulterio cum vili personâ commisso, an, per omnia sacra obtestor! quemadmodum furti grauitas decrescit paruitate rerum, ita quoq; adulteriorum fœditas personarum vilitate? Sæpè est vilioribus grauius flagitium, in dignioribus minus, sæpè è contrario in maioribus est conspectius, semper tamen est magnum, temperantiæ & iustitiæ regulis capitaliter aduersum.

Ad 8. Leuia, & quandoque grauia sunt in Sanctis, & iustis, quæ iustitiam eorum non tollunt ex accidenti? Paulo antè concessit, peccata grauia non manere cum fide iustificante, si non manent, ergo iustitiam tollunt, ea enim sine fide nulla est. Nec ad rem facit, quod ad resipiscentiam refugit; agimus enim de eo tempore, quod resipiscentiam antecedit, quo viget vel æstus peccati, vel durat propositum peccandi. Illo (inquam) tempore, si iustitia tollitur, & sanctitas & fides, & caritas auferuntur, idque non modò grauibus, sed leuissimis delictis, si non tollitur, ergo ante pœnitentiam & fidem sceleratissimis, in flagitio suo lasciuientibus, non imputantur facinora, sed integrè beatificati sunt etiam dum illa committunt.

CAPVT

CAPVT XII.

1. *Peccata Venialia analogice peccata sunt.*
2. *Locus 27.27. Deut: explicatus.*
3. *Clades Israelitarum non fuerunt minimorum peccatorum pœnæ.*
4. *Locus Ezech. 18. 4. & 20. Quid ibi sit* ὄμφαξ, *seu vua acerba.*
5. *Stipendium peccati mors. Rom. 6, 23.*
6. *Qui offenderit in vno Iacob. 2, 10.*
7. *Quale peccatum sit personarum acceptio?*
8. *Matth. 5. 19. de mandatis minimis.*
9. *Matt. 22. 37. Dilectio Dei ex toto corde. &c.*
10. *Ioan. 13. 8.*
11. *Matth. 10. 42. Si quis dederit calicem aquæ frigidæ. &c.*

Diluuntur obiectiones ex scripturis.

Pareus pag. 138.

PRima obiectio sumitur ex scripturis, quæ generatim de omni peccato ita pronunciat: Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus. Deut. 27. 27. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Ezech. 18. 2. 20. Stipendium peccati mors. Rom. 6. 23. Qui offenderit in vno, est omnium reus. Iacobi. 2. 10. Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum. Matth. 5. 19. *Obiectio 1.*

Bellarminus.

Venialia & mortalia non dici vniuocè peccata, ideoq; Scripturas allegatas de mortalibus agere constat, id docent antecedẽtia, & consequentia. Alias qui minimo delinqueret, omnium etiam grauissimorum esset reus, quod ne aduersarij quidem concedunt.

Pareus pag. 140.

1. *Non sunt analogicè peccata, quæ dicuntur venialia, quia veniale non est in mortali, vt accidens in substantia.* 2. *Principium petit, quia omnia mortalia, nulla venialia.* 3. *Iusti ob nulla peccata excidunt gratia, quorum pœnitentiam agunt.*

Defensio.

Pareus nescit quid sit analogia.

Hoc scilicet est argumentari, tribus paginis clamare, non esse verum, quod respondet Cardinalis, nec probare tamen falsitatem. Quam puerile est, analogiam in illis solis agnoscere, quorum vnum est in alio, vt *accidens in substantia!* Risus est homini, & prato analogus, nec tamen præcordiorum titillatio, vel oris diductio est in herbescente viriditate camporum, nec hilarescens viror in vultu renidente, vt accidens in substantia. Homo de Nerone & eius colosso dicitur analogicè, nec tamen hic in illo, vel in hoc ille. Propius ad rem. Cœcitas oculorum, & cœcitas cordis sine ista mutua inhærentia analogicè peccata sunt. Deinde ἀλόγικον est respondentem arguere, quasi principium petat, absolutè negat Cardinalis principia sectariorum, tu si argumentaris, proba.

Licentia fomes.

Tertiò. *Ob nulla peccata excidunt, quorum agunt pœnitentiam,* inquit aduersarius. Contra facit, quod ob nulla simpliciter excidunt gratiâ, omnium enim agunt pœnitentiam, sed cum inter peccandi libidinem, & pœnitendi dolorem, multum sæpe temporis intercedat, quales eo tempore sunt, postquam peccarunt, & cum nondum pœnituerunt? Si iusti, non ergo iustitia est ex resipiscentiâ, si iniusti, gratiâ exciderunt, reconciliationem amiserunt.

Bellarminus.

Locus Deut. cap. 27. 27.

Deut. 27. agitur de grauibus peccatis, idololatria, &c. quæ ibi describuntur.

Pareus

Pareus pag. 44.

Falsò ad vndecim crimina, quæ in monte Hebal proclamantur, ea restringit Bellarminus. nam Gal. 3. 10. Dicit omnia quæ scripta sunt in libro legis, *ad omnia ergo magna, parua extendit.*

Defensio.

Non astringit Bellarminus illa ad vndecim sola, sed ad alia, quæ eodem in libro scripta sunt magna, & letifera, non minima. Doctrina hæc Spiritus Sancti ita probatur.

Maledictionem Deus minatur omnibus illis peccatis, ob quæ in terrâ promissionis variis calamitatibus conterendi, deinde eiiciendi erant, sed illa grandia erent, non minima, ergo, cum dicit: Omnia, de magnis intelligendus est. v. g. c. 28. Deut. v. 15. *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius, & cærimonias, quas ego præcipio tibi hodiè, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te: Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, &c.* At ob hæc exigua, vt ob risum immoderatum, non legimus, fuisse clades bellaque immissa Iudæis, nec propter minimam minimi peccati cogitationem gentes euersas. Quis enim Prophetarum hoc docuit? Omnia ergo illa mandata intelligenda sunt de omnibus grauibus.

Ob verbum ociosum nō sunt ducti in captiuitatem Israelitæ.

Dissentire non possunt Lutherani, nam populo Iudæorum circumciso, & electo, paruula illa, & inuoluntaria, non imputabantur, non ergo ob illa, tristissimos reipublicæ casus, & prædixerunt Prophetæ, & Israelitæ senserunt; sed ob alia grauiora, quæ si abfuissent, nunquam Deus infirmitates populi sui tam atrociter puniuisset. De illis igitur maledictionis minæ, in quibus fuit maledictionis euentus. Caluinianos etiam facile est conuincere. Si verba illa, v. 15. *Et facias omnia mandata,* indicant minima quoque afflictionibus durissimis vindicata fuisse. Necesse est verba capitis 28.

discrepat. Pœna æterna debetur, quia hostis, quia *iniuriosus*, *quia alienus à summo bono*. Deind absoluta est à summo bono auersio, expressum Dei odium, hoc ex sese pœna dignum, non modò quia lege vetitum est, sed etiam quia ex se malum est, rectè Augustinus l. 1. de libero arbitrio c. 3. *Non ideò adulterium malum, quia lege prohibitum est, sed ideo vetari, quia malum est*. Naturarum quædam sunt affectiones, quas nulla potentia immutare potest, vt *triangulum habere tres æquales duobus rectis*, sic quædam mala sunt, vt nullâ potentiâ fieri bona possint, odium Dei, nullo præcepto, nullâ lege Dei fieri potest bonum. Et quidem horribilis aduersariorum error, duas in Deo fingit voluntates, vnam peccata volentem, ordinantem, ad illa impellentem, alteram externam, lege, eadem quæ vult, prohibentem. Prior illa voluntas effectrix, & coactrix peccatorum, volendo, & decernendo, non facit peccata bona, ergo & altera, illa legalis, illa in prohibendo simulatrix, etiam si mutaretur, & quod prior efficaciter vult, & operatur, idem latâ lege imperaret Dei odium, non faceret bonum illud, quia ex se malum, ideo pœnæ obnoxium, etsi nulla non modò lege prohibitum, sed insuper iussum.

Cætera, nugatoria sunt, non enim petit principium, sed esse aliquod peccatum, cui natura non debeatur æterna pœna, docet. Quomodo non sit auersio amicitiam cum Deo dissoluens, nec repugnet caritati, vt eam tollat, supra dictum est.

Bellarminus.

Ratio 4. Quartum argumentum. Si naturâ sua quæuis offensa dissolueret amicitiam Dei, eadem ratione dissolueret aliam quamuis amicitiam. Quod enim ex natura rei conuenit, semper, & vbique conuenit. At non semper dissoluit, nec ergo cum Deo. Quis enim credat hominem Deo amicum, verbo ocioso reddi perpetuò inimicum?

Pareus

Pareus pag. 126.

1. Hypothetica est falsa. Non enim æqualis est amicitia inter Deum & homines, illi, quæ hominum est inter se. 2. Coniunctionem nostram cum Deo, scriptura non vocat φιλίαν, sed καὶ ἀλλαγὴν, χάριν ἀγάπην, υἱοθεσίαν, reconciliationem, gratiam, dilectionem, adoptionem. 3. Hanc nullum peccatum dissoluere potest. Rom. 8. 18. non naturâ peccati, sed quia resipiscentibus gratiosè concedit. 4. Deus est Lux, iustitia, cui innocens, non est innocens, ergo omne peccatum amicitiam eius dissoluit.

Defensio.

Ad 1. Firma ratio. Si minima offensio naturâ habet, vt dissoluat amicitiam, seu coniunctionem, ergo semper id habet. Quemadmodum vera caritas ex naturâ habet, vt amicitiam iungat. Quod enim ex naturâ effectũ habet, semper & vbiq; eũ producit: etsi enim amicitiæ sint inæquales, si tamen natura cuiusuis offensæ est, vt illas disrumpat, etiam inæqualium vincula disrumpet amicitiarũ. Nimis ergo infinitam bonitatem sugillat sæuitiæ, si minimam peccati minimi cogitationem, quæ martyri in rogo, vel eculeo occurreret, ex naturâ suâ iudicaret dignam æternis cruciatibus, nam si id peccatum esset voluntarium, secundum Lutheranos imputaretur, & Deo inimicos perditâ fide, Spiritu sancto, constitueret. Nec minus secundum aduersarium, ante pœnitentiam enim imputaretur, & iustitiam tolleret. Confirmatio argumenti Bellarmini ex eo sumitur, quod obieci, nec satis vnquam obijci potest. Amicitiam nullam dissoluit caritatis veræ opus optimè factum, at si omnia peccata ex natura soluunt amicitiam, quæ est cum Deo, ergo & caritas Dei, & amicitia cum Deo, optimè culta, soluit amicitiam Dei, vt destruat seipsam, & ideo non sit amicitia cum Deo, quia cum Deo est amicitia. Nam amicitia Dei est natura sua peccatum mortale. At non

Non omnis offensa tollit amicitiam natura sua.

Alias amicitia Dei tolleret se ipsam.

est perfecta. An ergo cum vel egenti subuenitur, vel Deus amatur, aut remissio speratur peccatorum, hæc ideo naturâ suâ dissoluunt amicitiam, quia meliore modo, ardentiore caritate fieri possunt! Sequitur iterum: Amicitia Dei rumpit seipsam, quia non est ardentior.

Clarum mendaciũ. Iarei. Dei dicimur amici φίλοι.

Ad 2. Tam improbæ defensionis subsidio deiectus, alio spes suas vertit, & aperto mendacio scripturæ in os contradicit. *Scriptura non vocat nostram coniunctionem cum Deo* φιλίαν (inquit) Non est ergo illa scriptura quæ dicit: (Psl. 117.) *Nimis honorati sunt amici tui Deus?* Quæ dicit: (Iacobi 2.23.) *& amicus Dei appellatus est?* Quæ dicit: (Luc.12.4.) *dico autem vobis amicis meis?* Quæ dicit Ioan.11. *Lazarus amicus noster?* Non est scriptura, *Cantica canticorum*, plena non modo *amicitiis*, sed etiam *nuptiis*? Si reconciliationem vocat, ergo amicitiæ redintegrationem, est ergo amicitia, nisi integritas amicitiæ est sine amicitiâ. *Amici sunt* (Apostoli) *officio, vocatione, iure adoptionis*, inquit Aretius in 12. Luc. v. 4. Ego nouo mendacio, oppono verba ex ore veritatis æternæ prolata. Ioan.15.v.13.14 15. *Maiorem caritatẽ nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius: Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à patre, nota feci vobis.*

Ad 3. Ex misericordiâ fieri (ait) vt amicitiam illam, non quoduis peccatum, imò nullum posit dissoluere. Hoc quidem contra superiora est. Nam pag. 84. *Peccandi propositum fiduciam excludit, sed illud est peccatum, ergo excludit à regno Dei.* Ibidem, & paginâ 72. *Adulteria, homicidia negat manere cum fide iustificante*, si non manent, ergo dissoluunt reconciliationem cum Deo, quę sine fide iustificante non est vlla. Hinc illa præsumptio. *Nulla peccata dissoluere possunt*

sunt amicitiam, reconciliationem, gratiam, dilectionem, adoptionem. In omnibus flagitiis manent amici, reconciliati, grati, adoptati.

Ad 4. Nulla consequentia à Dei puritate, & iustitiâ. Deus iustus est, ergo minimũ peccatum, omne opus bonum optimè factum iudicat dignum æternis tormentis, hoc iustitia Dei abominatur, cum fingit caluiniana crudelitas. Iudex etiam iustus, non omne peccatum morte punit, datur pœna citra damnationem.

Bellarminus.

Peccatum Veniale imperfectè dicitur peccatum, vt D. Thom. Bonauentura, Albertus, alij, non ergo illi pœna debetur perfecta seu æterna, sed temporaria. Antecedens probatur. Quia vel non perfectè voluntarium, vel non perfectè contra legem, vt constat ex diuisione peccati. Quòd si de veniali lex ferretur, non esset in rigore lex. *Ratio 5.*

Pareus pag. 28.

Propositionem occultam negamus, nam etiam imperfectis peccatis maledictionem minatur lex. Deut. 27. 27. Secundò, omne peccatum est perfectè peccatum. Tertiò, omne peccatum est perfecta ἀνομία. *Quartò, quod vel apicem legis violat, est mortale, qui in vno offendit, est omnium reus. Quintò, miles sæpe ob furtum pomi occiditur, quia agit contra legem.*

Sextò, Si lex prohibens furtum in genere, non prohibet furtum oboli perfectè, ergo nec furtum centum coronatorum.

Septimò, Furtum exiguum etsi caritatem proximi non lædit, tamen Deum lædit, qui vetuit.

Octauo, Peccata leuia & grauia sunt in Sanctis, & istis, quæ iustitiam eorum non tollunt ex accidenti: Sanctitatem sæpè minuunt, contaminant, charitatem Dei & proximi, & fidem ipsam non penitus quidem excludunt, at sæpè violant, perturbãt, obscurãt, &c.

Defensio.

Ad 1. Maledictio Deut: 27. 27. non stringitur in omnia peccata, sed ea quæ eo loco nominantur, alias in ipsa opera bona, vires etiam suas exereret. Verum ea de re suo loco; redibit enim illa disputatio.

Venialia non perfecte peccata.

Ad 2. Negamus perfectè peccata omnia esse, quæ sunt peccata, quòd nòn concedere, necessarium est Caluinistis, alias omnis animi sinceritas Ethnicorum, omnia bona opera iustorum essent natura sua perfectè peccata. Ad rem quod attinet, sentiunt orthodoxi. Omnem virtutis cuiuscunque actionem, atque etiam peccati ex liberæ voluntatis consensione deliberata, aut eius defectu; perfectionem, aut imperfectionem sortiri. Quod si perfectè sint voluntaria, vt furtum oboli, sic vt rationi rectæ opponitur, virtutique morali, perfectionemq; suam quandam habet, sed tamen quæ etiam sic æstimetur imperfecta: si vero spectetur vt ad Deum refertur, nullo modo perfectum est peccatum, non enim coniunctionem quæ cum eo est, amicitiamque abrumpit, quæ est absoluta peccati, sed miserrima perfectio. Hanc in veniali non esse supra Cardinalis ostendit. Nec hominum amicitia tam est fragilis, quis enim adeo morosus est, vt in omnem æternitatem renunciet vetustissimæ amicitiæ, si is, qui caritate illi coniunctissimus, eius honori etiam sanguinem impendere sit paratus, auiditate impulsus, nucem ex sylua vel tulerit vel ferre consenserit, aut minima carpendi cupiditate tactus fuerit? insuper rogi aut crucis summo supplicio addicat? nec tamen dicere verentur illi desperationis antistites, minimum voluntatis, in leuissimum peccatum, tenuissimè inclinatæ nutum, millies millies gehennam, & mundi toties interitum mereri. Cur non igitur leuiorem crucis, aut rogi pœnam, regum leges decernent in eos, qui se leuissimo, quod cogitatione cõsequi possumus furto, obstrinxerint.

Ad

Ad 3. Non omne est, ἀνομία perfecta: Quia non in omni ἀνομίᾳ finis legis violatur seu caritas, quæ minimis offensiunculis interpellata, amare non desinit.

Ad 4. Qui vno (inquit) minimo deliquit, reus est omnium. Non est sensus, quem Aretius obtrudit: *Lex sic est vnita, vt nulla particula sine aliarum legum violatione possit violari.* Sed quem olim sermone 61. de tempore attulit Augustinus. *Quid, inquam, est hoc vnum, nisi illud, quod Apostolus dicit? omnis lex, in vno sermone completur, diliges proximum tuum sicut teipsum.* Vnum ergo illud est, quod caritatem læsit, quod finem legis euertit, ideo in totam legem commisisse dicitur, cuius delictum, caritatis præcepto, à quo vniuersa lex pendet & prophetæ, ita repugnat, vt caritatem ipsam è medio tollat.

Ad 5. Inscienter etiam disciplinæ castrensis seueritas in æstimationem peccati mortalis, aut venialis deducitur. Nam in illo licentiæ militaris periculo, non tam criminis commissi ratio, quàm committendorum, exemplo trahente in vsum, habetur. Itaque pœna illa coercitioni, non delicto omnis infertur. Nec tamen exiguum peccatum, etiamsi parum facto noceat, cum exemplo cæteris audaciam, & prauum ius faciat, putandum est. Qui acinum ex vua defringit, si facto suo spoliandæ vineæ initium fecit, damni tenetur, cuius auctor fuit. Fuitque peccatum, vt facto paruum, ita exemplo grauissimum.

Cur graues pœna Castrenses?

Ad 6. Verissima est illa legum distinctio, & Iurisperitis, & Theologis vsurpata. Illis quidem; quod non cuilibet crimini pœnam capitalem decernunt, alioque modo furtum oboli, & centum coronatorum puniunt. His autem; quia quanquam omnia furta fateantur vetari Dei præcepto, eodem tamen

Lex aliter grauia aliter leuia vetat.

men rigore, seu perfectione vetari negant. Primaria legislatoris mens est, ea quæ humanæ societatis, & caritatis iura violant, legibus coercere, damna præcauere, normam vitæ temporariæ, quæ ad æternam sit necessaria, præscribere, non minima grauissimo supplicio vindicare.

Ad 7. Itaque ne Deum quidem, ita lædit, vt offensa capitale odium excitet, quod ad septimum aduersarij errorem pertinebat. Insignis hominis improbitas notatur, qui hic furtum paruum comparat adulterio cum vili personâ commisso, an, per omnia sacra obtestor! quemadmodum furti grauitas decrescit paruitate rerum, ita quoq; adulteriorum fœditas personarum vilitate? Sæpè est vilioribus grauius flagitium, in dignioribus minus, sæpè è contrario in maioribus est conspectius, semper tamen est magnum, temperantiæ & iustitiæ regulis capitaliter aduersum.

Ad 8. Letria, & quandoque grauia sunt in Sanctis, & iustis, quæ iustitiam eorum non tollunt ex accidenti? Paulo antè concessit, peccata grauia non manere cum fide iustificante, si non manent, ergo iustitiam tollunt, ea enim sine fide nulla est. Nec ad rem facit, quod ad resipiscentiam refugit; agimus enim de eo tempore, quod resipiscentiam antecedit, quo viget vel æstus peccati, vel durat propositum peccandi. Illo (inquam) tempore, si iustitia tollitur, & sanctitas & fides, & caritas auferuntur, idque non modò grauibus, sed leuissimis delictis, si non tollitur, ergo ante pœnitentiam & fidem sceleratissimis, in flagitio suo lasciuientibus, non imputantur facinora, sed integrè beatificati sunt etiam dum illa committunt.

CAPVT

CAPVT XII.

1. *Peccata Venialia analogice peccata sunt.*
2. *Locus 27.27. Deut: explicatus.*
3. *Clades Israelitarum non fuerunt minimorum peccatorum pœnæ.*
4. *Locus Ezech. 18. 4. & 20. Quid ibi sit* ὄμφαξ, *seu vua acerba.*
5. *Stipendium peccati mors. Rom. 6, 23.*
6. *Qui offenderit in vno Iacob. 2, 10.*
7. *Quale peccatum sit personarum acceptio?*
8. *Matth. 5, 19. de mandatis minimis.*
9. *Matt. 22. 37. Dilectio Dei ex toto corde. &c.*
10. *Ioan. 13. 8.*
11. *Matth. 10. 42. Si quis dederit calicem aquæ frigidæ. &c.*

Diluuntur obiectiones ex scripturis.

Pareus pag. 138.

PRima obiectio sumitur ex scripturis, quæ generatim de omni peccato ita pronunciat: Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus. Deut. 27. 27. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Ezech. 18. 2. 20. Stipendium peccati mors. Rom. 6. 23. Qui offenderit in vno, est omnium reus. Iacobi. 2. 10. Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum. Matth. 5. 19. *Obiectio* 1.

Bellarminus.

Venialia & mortalia non dici vniuocè peccata, ideoq; Scripturas allegatas de mortalibus agere constat, id docent antecedētia, & consequentia. Alias qui minimo delinqueret, omnium etiam grauissimorum esset reus, quod ne aduersarij quidem concedunt.

Pareus pag. 44.

Falso ad vndecim crimina, quæ in monte Hebal proclamantur, ea restringit Bellarminus. nam Gal.3.10. Dicit omnia quæ scripta sunt in libro legis, *ad omnia ergo magna, parua extendit.*

Defensio.

Non astringit Bellarminus illa ad vndecim sola, sed ad alia, quæ eodem in libro scripta sunt magna, & letifera, non minima. Doctrina hæc Spiritus Sancti ita probatur.

Maledictionem Deus minatur omnibus illis peccatis, ob quæ in terrâ promissionis variis calamitatibus conterendi, deinde eiiciendi erant, sed illa grandia erent, non minima, ergo, cum dicit: Omnia, de magnis intelligendus est. v.g. c. 28. Deut. v. 15. *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius, & cærimonias, quas ego præcipio tibi hodiè, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te: Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, &c.* At ob hæc exigua, vt ob risum immoderatum, non legimus, fuisse clades bellaque immissa Iudæis, nec propter minimam minimi peccati cogitationem gentes euersas. Quis enim Prophetarum hoc docuit? Omnia ergo illa mandata intelligenda sunt de omnibus grauibus.

Ob verbum ociosum nō sunt ducti in captiuitatem Israelitæ.

Dissentire non possunt Lutherani, nam populo Iudæorum circumciso, & electo, paruula illa, & inuoluntaria, non imputabantur, non ergo ob illa, tristissimos reipublicæ casus, & prædixerunt Prophetæ, & Israelitæ senserunt: sed ob alia grauiora, quæ si abfuissent, nunquam Deus infirmitates populi sui tam atrociter puniuisset. De illis igitur maledictionis minæ, in quibus fuit maledictionis euentus. Caluinianos etiam facile est conuincere. Si verba illa, v.15. *Et facias omnia mandata,* indicant minima quoque afflictionibus durissimis vindicata fuisse. Necesse est verba capitis 28.

omnia deleri vſque ad v. 15. *Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias, atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelſionem cunctis gentibus, &c.*

Clades Iſraelitarũ non fuiſſe minimorum peccatorum pœnas.

Ratio euidens. Obſeruatio illa, quam aliquando præſtiterunt, mandatorum, perfecta non erat, itaque peccatum, ſed ob omne peccatum fuerunt maledicti, ergo & ob illud, *Maledictum eſt* (inquit Lutherus in Epiſt. ad Galatas) *quicquid non eſt perfectè purum, & ſanctum*; hæc obſeruatio *non fuit perfectè pura & ſancta; ergo maledictũ*, ergo ſi ob omne maledictum contritione contriti ſunt, mandatorum quoque obſeruatio cauſa maledictionis fuit.

Confirmatur ex ipsâ hiſtoriâ. Vel enim aliquando Iudæi ita, peccata cauerunt, vt benedictionibus promiſsis fruerentur, vel nunquam, id vel fecerunt, vel potuerunt. Si benedictionũ participes fuere, non ergo infirmitates illæ ad maledicta pertinent, nam & tum in omnibus fragilitas, & pronitas cum minutis delictis erat, & tamen erant *benedicti in ciuitate, & benedicti in agro*, non igitur illa paruula maledictionum cauſæ. ſi non ſeruarunt, nec potuerunt, euanida fuit promiſsio, nec benedictiones illæ contigiſſent, quod falſum eſt. Tempore enim Dauidis & Salomonis ea ſe Dei largitas abundanter effudit. Quæ ſi conſideremus, fieri non poteſt, quin cæcitatem ſectariorum admiremur, tantam lucem ſcripturarum in tenebras vertentium. Nam omnibus penè ſemper in ore eſt, *maledictus qui non manet in omnibus.*

Pareus pag. 44.

Locus ſecundus Ezech. 18. 4. & 20.

Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Ezech. 18. 4. & 20. ergo omne peccatum mortale.

Bellarminus.

Varia eo loco ſcelera commemorantur, omnia in iu ſuo genere mortalia, de quibus rectiſsimè dicitur, *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.*

Pareus pag. 144.

Querela Iudæorum erat, parentes comedisse omphacas, & filiis obstupuisse dentes, ergo loquuntur vniuerse de omnibus. non modo atrocioribus. 2. *Deus respondet ex regulâ sua iustitiæ.* Anima quæ peccauerit, non quæ *grauiter* peccauerit, *sed quoduis peccatum leue, quale videbatur raptus pomi in paradiso.* 3. Dixit Ezechiel v. 31. Proiicite iniquitates vestras, facite cor nouum: *ergo omnia peccata mortalia.*

Defensio.

Ad 1. falsa connexio, nec eius tentata probatio. Agitur enim non de quibusuis, sed grauioribus & parentum, & filiorum peccatis. Nam talia enumerat, *comedere in montibus, manus ad idola leuare, vxorem proximi polluere.* Deinde v. 14. *Si genuerit filium qui hæc non fecerit, vitâ viuet.* Non ait, *qui non immoderate riserit, inuitus cogitatione peccati pulsatus fuerit. Sed super montes non comederit, &c. Deinde bona eius opera recenset, panem suum esurienti dederit, &c.* at opera sunt etiam ipsa peccata, sed tamen propter illa *morte non morietur, sed vitâ viuet*, non ergó ob quælibet, sed grauia morte morietur. *Ezechiel de grauibus agit.*

Ad 2. ipsa vua acerba, seu ὄμφαξ grauia peccata indicat, illa enim amaritie suâ nocent. Querela filiorum non erat de quotidianis sanctorum delictis, non de uerbo ocioso, risu immoderato, auocatione mentis in oratione, obreptione cogitationum, quæ inuitis & reluctantibus molesta est, sed de grauibus, quæ describit Propheta, nam leuia illa etiam in Abrahamo, Isaaco, cæteris Patriarchis fuerunt, & Prophetis, nec tamen tanta fuit vel impudentia Israelitarum, vt de infirmitatibus sanctorum cum æterno iudice expostularent, nec aduersarii, vt illud eos fecisse calumnietur. De grauibus ergo solis agunt, nam si ὄμφαξ omnia simpliciter peccata designat, ergo sanctissimorum *Quid vua acerba?*

rum etiam virorum Abrahami & filii, nepotumque tantum verò abest, vt dentium stuporem posteris facta Abrahami attulerint, vt potius benedictio eius diffusa sit in omnes gentes, eius intuitu data lacte & melle fluens tellus.

Ad 3. Illud: *proiicite iniquitates vestras,* nihil contra Bellarminum facit, cõtra aduersarium plurimum. De grauibus namque intelligere verba ipsa cogunt. *Iniquitates quibus præuaricati sunt,* Verbum Prophetæ magnam Emphasin continet, פשע enim est transgredi legem, præceptum, pactum, per seditionem, aut alio quouis modo, quo perfide quis in alios agit, 70. vertunt ἀσεβείας & ἠσεβήσατε. ita quoque interpretantur Caluinistæ.

Pareus pag. 146.

Locus 3. Rom. 6. 23. *Rom. 6. 23. stipendium peccati mors est. omnia ergo stipendia mortis, ergo omnia mortalia.*

Bellarminus.

Toto capite Apostolus disputat de eo peccato, quod repugnat caritati.

Pareus pag. 148.

De quouis peccato indistincte agit. Primo de peccato originali, sed hoc paruum ob materiam, secundo de motibus primis agit, ergo & illi mortales. Tertio c. 7. de concupiscentiâ agit, igitur & illa mortalis.

Defensio.

Confutat aduersarium ipse contextus Apostoli, c. 5. agit de originali, quod leue ex parte materiæ, sed ex se, & circumstantiâ pene omnium scelerum atrocissimum, vt docet etiam Pareus in Catechismo Heidelbergensi: deinde agit de mortalibus, monet ne *seruiamus peccato* v. 7. & v. 12. *ne regnet in vestro mortali corpore,* v. 13. *ne membra exhibeant arma iniquitatis peccato.* v. 16. *ne seruiant peccato.* v. 19. *Exhibuistis membra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem.* v. 20. *liberi iustitiæ; De his peccatis concludit stipẽdium peccati mors.*

Rom. 6. 23. agit de mortalib.

Pa-

Pareus pag. 149.

Iacobi 2. 10. *Qui offenderit in vno, factus est omnium reus. ergo hoc vnum, etiamsi minimum, mortale est.* *Locus 4: Iacob. 2. 10.*

Bellarminus.

Augustinus Ep. 29. causam ait, *quia lædit caritatem,* itaque agit de graui, quod tollit caritatem.

Pareus pag. 149.

Falsum est, quod de solis criminibus loquatur Iacobus, de prosopolepsiâ enim agit, quæ non est manifestum crimen.

Defensio.

Prosopolepsia seu *acceptio personarum* est, cum æqualibus inæqualia, vel inæqualibus æqualia tribuuntur ex illegitimâ causâ vt si contempto idoneo, ineptum designes consulem, quia frater est. Hoc peccatum etsi sæpe occultum est, tamẽ graue est. Imò quod sæpe Rempublicam, & Ecclesiam conuellit, an contumelia illata Christi membris, hoc est, pauperibus, tibi leuis est? Neque audes *leuem* dicere, sed *occultam*, quod quanquam falsum est, tamen ad rem non facit, non ideo Venialia dicuntur peccata, quia occulta, intimis animi recessibus latitantia, soli Deo cognita. *προσωποληψία non leuis culpa.*

Pareus pag. 150.

1. *Ratio Augustini non est de mente Iacobi, quia is v. 11. causam ab vno legislatore deducit. Deinde omnia peccata, etiam leuia caritati repugnant, nam minimo Deus offenditur, Deus est caritas. Tertio cum Iacobus dicit cap. 3. 2. In multis offendimus omnes, non potest de solo veniali accipi, quia agit de iniquis censuris in proximum.*

Defensio.

Ab vno legislatore, & vno legislatoris, continente omnem legem, præcepto, ratio sumitur. Vtrunque complexus est Apostolus. Mentem Augustini v. 8. & sequentibus. *Si tamen legem perficitis regalem, secundum* *Personarum acceptio tollit legem regalem.*

dum scripturas. Diliges proximum tuum, sicut teipsum: Bene facitis: si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores. Quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Nam ergo hic de quauis culpâ agitur, sed quâ *violatur lex regalis*, cum pauperes contumeliâ afficiuntur, blasphemi coluntur, illa transgresio à lege regali redarguitur, ideo contra cæteras leges est, ideo maiestatem legislatoris grauiter offendit. Legem regalem vocat *viam Dei* Syrus interpres, *cui viæ Dei, id est, legis obseruationi opponitur, προσωποληψία, quasi via non à Deo posita, sed ab hominibus peruerse iudicantibus excogitata.* Hæc scio te negare non posse. Ex quo pro Augustino sic ratiocinor. Lex regalis est via Regia, quæ diuerticulis opponitur, at illa via est præceptum: diliges proximum tuum, lex ergo illa de diligendo proximo omnibus, diuerticulis opponitur, προσωποληψία verò personarum acceptio, legis illius obseruationi opponitur, ergo præcepto de proximo diligendo, ergo illa acceptio personarum redarguitur à lege caritatis, & eam tollendo, facit omnium reos.

Ad 2. leuia repugnant caritati, vt opera eius tardent, non tollant.

Ad 3. Mira peruersitas, antea omnem προσωποληψίαν inter leuia, ponere voluit videri, nunc censuras inter grauia collocat, nonne & in leuibus, & leuis potest esse censura? Nihili autem est, quod de verbo πταίειν ducit argumentum, nam etsi propriè esset cadere, est tamen lapsus grauior, & leuior, sine noxâ quidam pene labuntur, alii quassantur, non est vnus ruinæ modus. Multi tamen πταίειν leniorem habere significationem arbitrantur, vt sit impingere, offendere, minus quam cadere. Et sane ita Beza cum vertit, *offendimus, non labimur.* Quanquam & offendentium duplex est ordo, alii sanabili vulnere, aut leni dolore, alii non sine elisione offendunt.

Pa-

Pareus pag. 151.

Matth. 5.19. Qui soluerit vnum ex mandatis istis minimis, & docuerit sic homines: Minimus vocabitur in regno cœlorum, ergo qui minimum peccatum fecerit, minimus vocabitur, hoc est, excludetur è regno cœlorũ. *Locus 5. Matt. 5.19.*

Bellarminus.

Non dicit, *qui soluerit*, sed; *qui soluerit, & docuerit sic homines.* non excluditur qui ociosum verbum dixerit, sed qui negarit esse peccatum, ociosa loqui. ita Hieronymus, & Augustinus de sermone Domini in monte. l. 1. Altera eorundem solutio, minima vocari, nõ quorum violatio minimi sit criminis, sed quæ seruata minimè perficiant, vt non adulterabis, & cætera de genere horum, perfectiora enim tradidit Dominus. Tertia D. Chrysostomi, minima vocari modestiæ causa à Christo, illa quæ ipse adiecit. Denique illa, non irasci, non raca, non fatue dicere sunt eiusdem mandati gradus.

Pareus pag. 152.

Primo. *Etsi præcipuè falsis doctoribus, legis diuinæ deprauatoribus ibi minetur, eandem tamen pœnam deinceps ad quosuis legis transgressores extendit, non dicit:* nisi abundauerit doctrina vestra, sed iustitia vestra, *ergo non solis deprauatoribus sed violatoribus exclusionem minatur.* 2. *Insulsum est*, minima vocari, non occides, *& similia, nã etiam illud:* non concupisces, *huc pertinet.* 3. *alia glossa est absurdior, quia Christus non addidit noua mandata, sed vetera vindicauit à corruptelis.* Minima vero mandata *vocat quadam mimesi, nam Mosaicam legem suis δευτερώσεσι postponebant.* 4. *De gradibus nodum astringit, non soluit: Totum enim mandatum violatores regno cœlorum excludit, ergo & omnes gradus. Totum enim mandatum prohibet genus homicidii, gradus mandati prohibent species homicidii, omne autem homicidium tam in genere, quam in specie excludit.*

De-

Defensio.

Soluere vnum de mandatis istis minimis graue scelus est.

Non melior igitur Patrum, quam Bellarmini conditio, eorum glossæ, insulsæ, absurdæ, Caluinistarum sola, palato facit, & auribus expositio. Ne temere tamen assentiamur, omnia probemus.

Ad 1. Agit illis verbis dominus, de doctrinæ deprauatoribus. Nam toto illo capite, non modo mores scribarum & Pharisæorum perstringit, sed etiá doctrinæ corruptionem, & his ipsis verbis hoc eum agere, non tradunt modo orthodoxi, quos Pareus odit, verum etiam Magistri eius, quibus inscius contradicit.

Sed obiicit: *de vitá & moribus etiam postea tractat cum ait, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & Pharisæorum.* Respondeo id verissimum esse, nec negamus etiam improbos mores regno cœlorum excludere. Qui soluerit vnum de mandatis, & cuius iustitia non abundauerit plusquam pharisæorum damnationis sententiâ percellitur, non tamen ideo non agitur prioribus, de facto doctrinâque coniunctim soluentibus, posterioribus, de solis factis, non doctrinâ. De doctrinâ prius, de factis deinceps agitur, de factis veró enormibus, nam quorum iustitia par erat iustitiæ pharisæorum, hypocritæ erant flagitiosissimi, non leuibus obnoxii.

Ad 2. & 3. Cum reprehensionem SS. Patrum sine argumento contineât, nihil est, quod respondeamus. Duo errores eius huc non pertinent. Nam primus, cnm dicit: *Ex mandatis veteris legis, est etiam illud: Non concupisces. Ergo etiam qui soluit mandatum concupiscentiæ inordinatis motibus subitis, vel deliberatis, minimus erit in regno cœlorum:* ille, inquam, iam supra refutatus est.

Alter error de legibus nouis à Christo non satis, à Vorstio, aliisque refutatur & alterius disceptationis est.

Gradus eiusdem peccati.

Ad 4. Quid sit *gradus*, non intelligit. *Species* homicidii

cidii non sunt *gradus* absit, gradus enim sunt quibus & peruenitur, suggestio, motus primus, deliberatio, ira, indignatio verbo expressa, contumelia, nutans voluntatis in cædem acclinatio, plena consensio, occasionis cura, cædes. itaq; tota ratiocinatio quam imperitia fecit, discussa est.

Pareus pag. 55.

Matth. 22.37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Quod repugnat dilectioni Dei ex toto corde est peccatum mortale, omne peccatum repugnat dilectioni, igitur est mortale. *Locus 6. Matt. 22.37*

Bellarminus.

Diligimus Deum ex toto corde, hoc est, integrè, si nihil eius amori vel anteponatur, vel æquetur, sic Dauid. 3. Reg. 14. Iosias 4. Reg. 23. sic Zacharias & Elisabeth Luc. 2. non semper actu, nec vt non aliquid obrepat, quod retardet.

Pareus pag. 156.

Sed est inanis illusio. Etsi enim phrasis Hebræa, Ex toto corde, *non significat omnimodam perfectionem, sed sincerum cordis affectum, hypocrisi oppositum. Hoc tamen præceptum omnimodam, actualem, & habitualem dilectionis perfectionem, districte semper præcipit. Secundo, priori perfectionis modo, etiam repugnant venialia, sunt enim defectus, at omnis defectus repugnat perfectioni. Tertiò, hoc summum est mandatum, ergo obligat, & perfectissimo sensu primum est, & summum. Quartò, de Dauide, Iosia, Zacharia illudit lectori, nam supra dixit Dauidem & Petrum letaliter lapsos.*

Defensio.

Ad 1. & 3. Requiro probationem eius, quod negauit Bellarminus, eam tertio loco adfert. *Perfectissimo sensu est primum, & summum mandatum, ergo obligat ad omnimodam actualem, habitualem perfectionem.* Consequentiam quomodo probas? Deinde si probares, iam corruerent illa ca. 6. *Sancti debent, possunt esse* *Pareus secum confligit.*

perfecti in hac vitâ perfectione partium, non graduum, id enim Deus præcipit. Quanquam absurdum est, hoc præceptum ita obligare in hac vitâ, vt semper actu diligamus. Non imperatur nobis, quod Cherubim, & Seraphim, quod ipse Dominus Iesus in cœlo præstat. Nam si nullam omnino interruptionem, aut diuisionem lex illa admittit, impiæ sunt leges ciuiles, & Academiarum, quæ variis officiis, studiisque homines distinent, quibuscum etsi habitualis dilectio Dei posit consistere, actualis tamen interrumpitur, aut si & actus amandi perseuerat, non tamen omnimodã habet perfectionẽ, dimidiato in alias curas animo. Quicunq; igitur aliud negocium præcipit, cõtra hoc pręceptum delinquit. Non.n. perfectissimo modo actualiter Deo inhæret, cuius intentio in alia quæcunque diuiditur.

Nulla lege obligamur Deum semper actu diligere.

Ad 2. Futilis paralogismus. *Omnis defectus repugnat perfectioni,* ergo *leuia peccata, quæ sunt defectus, repugnant priori perfectioni.* Non quicquid repugnat perfectioni, id repugnat omni perfectioni, non omnis defectus repugnat omni perfectioni, quidam repugnat perfectioni graduũ, non partium, quidam vtriq;.

Ad 4. Toto cœlo aberrat. Dauid & Iosias, cæterique *toto corde,* secuti sunt Dominum, sed non cum peccarent mortaliter, cum Dauid adulterio, Iosias pertinacc bello, Petrus negatione à Deo recederent, non illi tum corde sequebantur Dominum, non hoc dixit Bellarminus. Sed eos toto corde secutos esse, cum rectè viuerent, non peccando. Dauid cum Sauli parceret, Iosias cùm regnum ab idololatriâ purgaret, Petrus cum paratus esset in carcerem, & in mortem ire. Qui toto corde Deum sequitur, aliquando mutato corde recedit, quia mutabiliter sequitur, Adam in Originali suâ iustitiâ toto corde diligebat Deum, nec tamen eius lapsus non fuit letalis.

Deum toto corde secuti aliquando recedunt.

Pareus pag. 159.

Locus 7

Ioann. 13. 8

Ioannes 13, 8. Si non lauero te, non habebis partem mecum.

tum. Inde sic: Quæ peccata excludunt à parte Domini, sunt mortalia. Etiam leuia excludunt. Ergo. Minor probatur ex Augustino tract. 56. in Ioan. l. 1. de baptismo cap. 2.

Bellarminus.

Lotio illa vel est intelligenda ad literam, atque ita Petri peccatum, si obstinatè cognitæ Domini voluntati restitisset, fuisset mortale. Vel accipitur pro purgatione à venialibus, vt Augustinus & Bernardus interpretantur, atque ita excludunt à regno Dei, donec purgentur, nihil enim coinquinatum introibit in illam hæreditatem.

Pareus pag. 160.

Posterior pars distinctionis est falsa. Quid enim ineptius, quàm dicere: Nisi ego te lauero, hoc est, nisi ego te purgauero à Venialibus peccatis. Quis igitur lauabit à criminalibus? Deindè cum dicit Dominus: Non erit tibi pars mecum ad tempus, sed absolutè: nō erit tibi pars mecum; nempe, vnquam.

Defensio.

Hoc scilicet est confutare Augustinum & Bernardum, quærere. Quid ineptius? Respondeo, interpretationem Augustini ne ineptam quidem esse, argumentum aduersarii ineptissimum. Quid enim ineptius, quàm sic ratiocinari: Christus dicit: Nisi te purgauero à venialibus, nō habebis partem mecum, nō igitur Christus lauat à criminalibus? Imò iam lauerat à criminalibus, & nunc quæ contraxerat interea venialibus. Nec partem in æternum cum illo habere Petrus potuit, nisi lotus à venialibus. Etsi enim venialia pœnam non merentur æternam, tamen nisi condonata sint, cœlo excludunt, ad tempus, exclusura semper, nisi remitterentur. *Christus & à criminalibus, & à venialibus lauat.*

Pareus pag. 161.

Matth. 10. 42. Quicunque dederit vni ex minimis istis calicē aquæ frigidæ, non perdet mercedē suam. Indè *Locus 8. Mat. 10 42.*

fingit nos ita argumentari : Minima bona opera merentur vitam æternam , Ergo minima peccata merentur mortem æternam.

Bellarminus.

Multis modis argumentum hoc peccat. Primo, ait, *non perdet mercedem*, itaque solum sequeretur : *minima non perdere suam pœnam.* 2. non sequitur, *minimo operi datur merces maxima, ergo minimo peccato pœna æterna.* Minimo enim operi dare maximum præmium est ingens liberalitas, minimo peccato maximam pœnam, crudelitas. Denique dare calicem aquæ frigidæ ex caritate, non est minimum opus, sed valde magnum, & meritorium vitæ æternæ, cui opponitur non veniale, sed mortale peccatum.

Pareus pag. 162.

Corrigamus argumentum vt nostrum fiat : Non dare potum frigidæ pusillis Christi, meretur mortem æternam & tamen est leue peccatum. Igitur leue meretur mortem æternam. Propositio probatur. Quia dare potum frigidæ, accipit gratuitam mercedem vitæ æternæ. Si opus valde magnum dare potum frigidæ ex caritate, ergo non dare est mortale, quod ei opponitur.

Defensio.

Repetit obiectionem à Bellarmino positam, cur non & solutionem? Non sequi demonstratum est à Bellarmino, *Exigua virtutis operi datur merces, vita æterna, ergo exiguo peccato æterna pœna.* Quod si magnum sit opus, ex caritate non tamen minimus defectus ideo letalis. Magna erat caritas optantis fieri *anathema pro fratribus*, nec tamen minus ardens amor damnabilis est. *sine sumptu Euangelium ponit* Apostolus Paulus, virtus heroica est, nec tamen cæteros Apostolos de Euangelio viuentes sui iuris vsus damnauit.

Porrò non dare potum aquæ frigidæ pusillis Christi, pro necessitatis magnitudine grauissimum scelus esse potest, sine necessitate sæpè leue est.

CA-

CAPVT XIII.

1. *Basilii ascetica.*
2. *Singulare specimen Pareanæ imperitiæ.*
3. *Hieronymus, Augustinus explicatus, eius varia loca.*
4. *Augustinus cur orauerit pro matre.*

Soluuntur obiectiones ex patribus.

Pareus pag. 165.

EX libro quæstionum compendio explicatarum, q. 4. Basilius dicit: nullum peccatum esse paruum, quia de omni verbo ocioso sit reddenda ratio in die iudicii: Et omne peccatum est legis transgreßio: per legis verò transgreßionem Deus ignominiâ afficitur, de omni etiam peccato dictum: Aculeus mortis peccatum. Alterum est quæst. 93. In nouo testamento non esse differentiam maiorum & minorum peccatorum. Quia contra omnia peccata habetur vna sententia: Quia facit peccatum, seruus est peccati: sermo quem locutus sum, iudicabit vos: Qui non obedit filio, &c. *Obiectio ex Basilio.*

Bellarminus.

Incertum an sint quæstiones illæ Basilii Magni, an Eustathii Sebasteni, huic adscriptos fuisse, ait Sozomenus lib. 3. c. 13. & Nicephorus l. 9. cap. 16. & lib. 13. c. 29. deinde q. 1. & 95. non videtur admittere traditiones scriptas, quas Basilius lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium c. 27. amplectitur. Deinde verum est, nullum contemnendum vt paruum, omne peccatum stimulum esse mortis, vel enim mortem efficit, vel ad eam disponit.

Pareus pag. 166.

Primo audax mendacium, de auctore quæstionum ex Sozomeno, & Nicephoro. Verba Sozomeni sunt: Apud Armenos *Paphlagonas, & Ponti incolas fertur Eustathium Ecclesiæ Sebastiæ, quæ est vrbs Armeniæ, Episcopum primum cœpisse vitam monasticam: & austeram illius institutionem colere, à cibis ad viuendum necessariis, & à vestibus, quibus vtendum est, abstinere, morum & vitæ accuratè traductæ autorem extitisse, adeo, vt nonnulli constanter affirment, librum Basilii Magni Cappadocis, qui ἀσκητικὸς, id est, de vitâ & disciplinâ monasticâ inscribitur, ab eo editum fuisse. Verba Nicephori: Apud Armenios & Paphlagonas, atq; in Ponti montibus, monasticam Philosophiam colere primum Eustathium fertur, qui Sebastiæ Armeniorum sacris Ecclesiæ rebus præfuit. Tanto autem studio consectatus esse dicitur institutum, vitam, vestitum (quo vtendum esset, quo non) morumque exactum modum, vt etiam qui Basilio Magno adscribitur liber, & Asceticus dicitur, opus istius esse à multis feratur. Et alio loco: Eustathii scriptum pulcherrimum quidam esse ferunt, quæ Basilii Magni Ascetica dicuntur.*

Hæc non de his quæstionibus, de libro, qui quæstiones eas sequitur ἀσκητικῷ scribuntur. & pag. 167. ex quibus lector euidenter intelligit, insigni fraude aduersarium has Basilii auctoritates eludere.

Defensio.

Ascetica varia inter libros D. Basilii

Confidentiæ est, & imperitiæ vox cum dicit: *Audax mendacium.* Nam ἀσκητικὰ varia sunt apud Basilium, sunt Διατάξεις ἀσκητικαὶ, ita vocatur ille liber, qui sequitur quæstiones compendio disputatas. Sunt orationes septem ἀσκητικῶν, libri etiam quæstionum eundem titulum habent, Ἐρωτημάτων ἀσκητικῶν κατὰ πλάτος, & Ἐρωτημάτων ἀσκητικῶν καὶ ἐπιτομήν. Nec ea modo: Sed & alia, vt περὶ κρίματος Θεοῦ, περὶ πίστεως, ἠθι-

ἠθικῶν, ἐπιτίμια διάφορα, ἐπιστολὴ πρὸς χείλωνα, ἐπιστολὴ πρὸς μόναχον ἐκπεσόντα, omnia illa generali titulo ἀσκητικὰ prænotantur. ſed præcipue ἀσκητικὰ vocantur illi ἐρωτημάτων libri, quos vocat Nicephorus ἀσκητικὰ καὶ μοναστικά, Suidas τεῦχος ἀσκητικόν. ſed quæ dicta ſint ἀσκητικὰ diſcamus ex Photio: *Legimus* (inquit) *Beati Baſilii Epiſcopi Cæſareæ Cappadociæ, qui vocantur ἀσκητικῶν libros duos.* Ecce duos libros nominat. Quid agatur, deinde exponit: *Continet autem ex ſcripturâ variarum quæſtionum, quæ ad mores componendos faciant, breuiarium, tum his ſolutiones additas, atque explanationes. &c. Liber ſecundus Chriſtiani hominis, quandam velut deſcriptionem, per ſumma capita, breuiterque proponit, &c. Deinde quaſi regulas quaſdam interrogando ac reſpondendo exponit, numero quinquaginta quinque: Itemque breuiores alias trecentas, tredecim.* *Speciatim quæſtionum libri vocantur ἀσκητικοί.*

Hæc Photius, ex quo luce clarius conſtat, quæ græci vocarint ἀσκητικὰ Baſilii, hæc ipſa ſcilicet, quæ Bellarminus. ſed tamen an hæc ſint Baſilii merito dubitamus, & multos dubitaſſe olim monet doctiſſimus interpres, & editor Photii.

At ſint ſane Baſilii. Recte reſponſum eſt à Bellarmino, *ſtimulum mortis eſſe non modo qui præſentem mortem inferat, ſed qui ad mortem etiam diſponat:* cum enim in venialia dilabimur in caritatis exercitio langueſcimus, vt deſtituti illo feruore, & diuinâ protectione reddamur ſatanæ circumeuntis inſidiis opportuni. Nullam etiam differentiam peccatorum agnoſcit, non quia non alia mortalia, alia venialia neget, ſed quod omnia plane ſedulo cauere Chriſtianum oporteat. Nam quæſtio propoſita eſt: *Quomodo agi par eſt, cum eis, qui cum maiora peccata declinent, minora perinde, ac ſi nihil referret, committunt,* cum verò reſpondet, *differentiam hanc non inuenire in nouo teſtamento*, intelligit eo modò, quo illi

illi sentiebant, *qui minora committebant quasi nihil referret.* Omnia enim minima magnopere fugiēda sunt.

Pareus pag. 167.

Obiectio 2 ex Hieronymo.

Hieronymus dial. 2. contra Pelag. si ira, & sermonis iniuria, atque interdum iocus, iudicio, concilioque & gehennæ ignis delegatur, quid merebitur turpium rerum appetitio, & auaritia, quæ radix est omnium malorum? Ergo omnia merentur iudicium, concilium gehennam.

Bellarminus.

Non accipit Hieronymus illa tria coniunctim, vt singula sint digna gehennâ ignis, sed vt singula singulis respondeant, ira iudicio, sermonis iniuria gehennæ ignis, iocus Concilio. ordinis rationem in enumeratione non habuit.

Pareus pag. 68.

Premitur tamen argumento Hieronymi aduersarius: si enim his tam graues reatus delegantur, quanto magis appetitionibus rerum turpium, tam subitis, quam deliberatis? at subitas pro nullo peccato habet aduersarius.

Defensio.

Hic iam Hieronymus noster est: nusquam dixit: *subitas appetitiones, & indeliberatas esse peccata.* Contrarium sæpè dixit, *peccatum fieri consensu*, sic epist. 151. ad Algasiam. q. 8. Per *intelligentiam, ait, nasci peccatum, absque eâ mortuum esse.*

Obiectio 3. ex Augustino.

Pareus pag. 169.

Octo Augustini loca aduersarius congerit, tria sufficiunt, ad quæ etiam sola Bellarminus respondet.

Primus libr. 2. de pecc. meritis & remiss. capit. 3. Quis cum spe aliquâ adipiscendæ salutis æternæ, de hac vita migraret, manente illa sententiâ, quod quicunque tot. m legem obseruauerit: offendat autem in vno: factus est omnium reus, nisi post paululum sequeretur: superexaltat autem misericordia iudicium.

Se-

Secundus Ep. 29. ad Hieron. cum rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Quæ igitur spes est, nisi superexaltet misericordia iudicium?

Tertius l. 9. confess. c. vlt. Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam. *Quinque locorum reliquorum est idem sensus.*

Bellarminus.

Duo pro compertis habenda. Primum, verba Iacobi, ab eo de mortali intelligi, quæ sunt contra caritatem, non de infirmitatibus sanctorum, quæ cum caritate consistunt. Secundùm, cum ait multitudinem venialium occidere, intelligendum de dispositione ad mortalia, vt vulnus curabile neglectum, efficitur letale. Idq; ex sententiâ D. Thomæ 1. 2. q. 88. art. 3. Gregorij l. 10. moral. c. 14. Ecclesiastici 19. *Qui spernit medica, paulatim decidet.*

Ad locum primum respondet. Qui cum spe salutis migraret, quia minimum & vnicum crimen ad perditionem sufficit, nec facilè se quis nouit immunem.

Ad locum secundum & tertium, loquitur de pœnâ purgatorij. Ad alia loca iam responsum est. Scilicet §. alterum est.

Pareus pag. 171.

Primò, *Iacobi dictum ad omnia extenditur etiam leuia.* Magis (*inquit Augustinus*) facit contra caritatem, qui grauiùs peccat, minus qui leuius, & hoc ipso quod admittit, fit quidem, omnium reus: leuius autem, vel in paucioribus peccans minùs reus. Secundò. *Guttæ non disponunt solum ad flumen, sed etiam implent, multa grana faciunt massam; ita multa leuia faciunt vnum grande.* Ideo *dispositio, quam excogitauit aduersarius vanissima agnoscitur.* Tertiò. *Siue ad crimina, siue ad leuia, trahatur locus Iacobi, manet*

nihilominus, neque cum illis, neque cum istis fiduciam adipiscendæ salutis haberi posse, nisi misericordia superexaltaret iudicium. Quartò. *quod Ep. 29. loquatur de purgatorio, impudens mēdacium, nam loquitur de extremo iudicio & pœnis æternis.* Quintò. *l. 10. confess. cap. vlt. non agit de pœnis purgatorii.* 1. *Quia orat pro peccatis parentum, humanam* στοργὴν *potius, quam fidem Euangelii secutus, purgatorii nec verbo meminit.* 2. *Væ ad æternas pœnas pertinet, non temporarias.* 3. *Si væ vitæ laudabili, quæ laudabilis est, quid vitæ illaudabili, quæ illaudabilis est, si cesset misericordia Dei?*

Defensio.

Iacobus de mortalibus agit. De mortali intelligi Iacobum supra docui. Idem quoq; sensit Augustinus, cuius integra est citatio: *nisi post paululum sequeretur; sic loquimini, & sic facite, tanquam per legem libertatis incipientis iudicari? Iudicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam, superexaltat autem misericordia iudicio.* Itaque sentētia Iacobi, & Augustinus agit de mortali, & quidem clarè, cum interponat hic: *Iudicium enim sine misericordia.* Illa durities immisericordiū non est venialis, sed omnino mortalis. Deinde & Iacobi verba, contra aduersarium sunt. Κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως. *Sicut ergo dixit fore, vt absque misericordia damnentur, qui misericordes non fuerint: ita nunc dicit misericordes non modò non reformidaturos damnationem, sed etiam insultaturos.* Nostrorū est illa expositio, nec aduersarius eam reijcere potest, quia & suorū. Misericordiam ergo ille hic, non Dei iustitiam sceleratis imputantis, sed *eam quæ erga proximum est considerat:* itaque fiduciam adipiscendæ salutis Iacobus ponit etiam in misericordiâ. Et Augustinus hoc loco: *Quædam salutaria remedia contra reatum, & vincula peccatorum etiam post baptismum dare, ac valere dignatus est, opera scilicet misericordiæ.*

Quod

Quod verò ex Ep. 29. ad Hieronymum citat. Malè confundit duas Iacobi ſententias, quas Auguſtinus diſtinguit. Nam cum dixiſſet *in aliis maiorem, in aliis minorem, in aliis nullam eſſe caritatem.* Primam ſententiam exponit de illis, in quibus nulla eſt. *Meritò,* inquit, *fit reus omnium, qui contra illam facit, à quâ pendent omnia. Nemo autem peccat, niſi aduerſus illam faciendo, quia non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc ſermone recapitulatur, in eo, quod diligis proximum tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem legis caritas. Nemo autem diligit proximum, niſi diligens Deum: & hoc quantum poteſt proximo impendat, quem diligit tanquam ſemetipſum, vt & ille diligat Deum: quem ſi ipſe non diligit, nec ſe, nec proximum diligit. Ac per hoc qui totam legem ſeruauerit, ſi in vno offenderit, fit omnium reus: quia contra caritatem facit, vnde tota lex pendet.* Itaque hactenus agit Auguſtinus de ijs, qui ita peccant, vt nec Deum, nec ſe, nec proximum ament, ſeu qui nullam habent caritatem, qui contra eam faciunt, vt eam euertant. Pergit Auguſtinus: *Reus itaque fit omnium faciendo contra eam, in quà pendent omnia. Cur ergo non dicantur paria peccata? An fortè quia magis facit contra caritatem, qui grauius peccat, minus qui leuiùs? Et hoc ipſo quod admittit, fit quidem omnium reus: ſed magis peccans, vel in pluribus peccans, magis reus: leuius autem vel in paucioribus peccans, minus reus: tanto maiore ſcilicet reatu, quanto amplius: tanto minore, quanto minus peccauerit: tamen etiamſi in vno offenderit, reus omnium eſt, qui contra eam facit, in quâ pendent omnia.*

Hæc omnia de mortalibus, ſeu grauibus loquitur Auguſtinus. Nam de eo loquitur, qui *per hoc quod nec Deum, nec ſe, nec proximum diligit, fit omnium*

reus.

reus. Deindè refutat ſtoicam peccatorum paritatem, quæ etiam in grauibus non eſt. Nam ante dixerat: *Quia etſi verum eſſet, eum qui habet vnam, omnes habere virtutes: Eum qui vnam non habet, nullam habere, nec ſic peccata ſunt paria: quia vbi virtus nulla eſt, nihil quidem rectum eſt; nec tamen ideo non prauo prauius eſt, è diſtortoq; diſtortius.* Hæc ergo de illis vbi nulla caritas, & quibus tollitur caritas.

Alterum locum interpretatur de venialibus, ſeu illis, quæ manent cum caritate. Hieronymum dicit poſuiſſe verba Apoſtoli; I*n multis offendimus omnes: Non enim*, ait, *offenditis, ſed offendimus, cum Chriſti loqueretur Apoſtolus, & cum hoc loco dicat: Quicunq; autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus, ibi non in vno, ſed in multis, nec quoſdam, ſed omnes dicit offendere. Abſit autem, vt quiſquam fidelis exiſtimet, tot millia ſeruorum Chriſti, nullam habere virtutem, cum virtus magna ſit ſapientia. Dixit autem ipſa ſapientia homini; ecce pietas & ſapientia. Abſit ergo vt dicamus tot ac tantos fideles, & pios homines Dei, non habere pietatem, quam græci, vel εὐσέβειαν vel expreſſius & plenius θεοσέβειαν vocant. Quid autem eſt pietas niſi Dei cultus? & vnde ille colitur, niſi caritate? Caritas igitur de corde puro, & conſcientiâ bonâ & fide non fictâ, magna & vera virtus eſt, quia ipſa eſt, & finis præcepti.* Cum hac manent, de quibus poſtea dicitur, *quotidiana peccata, ſine quibus hic non viuitur.* Et. *Tantò minor in peccati perpetratione, quantò maior in Dei & proximi dilectione.* Iudicio ergo Auguſtini non offendunt in omnibus, qui his minutis offendunt, etſi in genere peccatorum, cum caritate manentium, alij grauius, alij leuius delinquunt. Rei tamẽ fiunt omnium, qui in alio genere peccatorum caritatẽ tollentium, ſiue grauius, ſiue leuius peccant. Ad ſolas ergo criminales offenſiones ſententiam Iacobi extendit Auguſtinus.

Ad 2.

Ad 2. Similitudo guttarum efficientium flumen, & granorum ex quibus aceruus componitur, non versatur in eo, quod & multa venialia mortale vnum componant, sed quod tandem eorum multitudine anima languescens, aliquo mortali opprimatur, quòd indicat Augustinus. Propter magnum aggerem, reatus sui, minutatim collectum, ad tribunal tanti iudicis perueniat, & eam, quam non fecit misericordiam non inueniat, ad minutias enim illas tandem adiungitur *misericordiam non fecisse*, cui respondet misericordiæ non inuentæ pœna.

Secundò. Singula, non conterunt, non mergunt, non occidunt. Expauescenda sunt, cum multa sunt: hæc enim verba sunt, & sententiæ D. Augustini. Singula ergo non sunt mortalia. Nec solitum imputationis nugamentum potest adducere aduersarius. Quia nec aceruus, nec flumen imputatur, nam imputatione paruula, & grandia ex æquo sunt venialia, vel mortalia.

Ad 3. Si misericordiam, quæ proximo impenditur, accipimus, nihil in suam rem conficit, sed Catholicam sententiam probat, pœnas peccatorum eleemosynis redimi. Si pro misericordiâ Dei, multò minus: nam etsi sola venialia habens, tamen nemo non timet, ne & mortalibus sit obnoxius.

Ad 4. Non de extremo modo iudicio, sed particulari singulorum agitur, *sedebit enim rex in solio, & & magnâ illâ die, & nunc quoq; in singulorum mortibus ius dicit*, siue bonis meritis cœlestem gloriam misericorditer munerans, siue malitiam æterno cruciatu vlciscens, siue iustitiam minutis sordibus maculatam igne transitorio purgans. Nemo glorietur, quia & suorum factorum non omnium est conscius, & quæ nouit & meminit, aliâ fortè quam Deus trutinâ ponderat, diuinæ sententiæ ignarus.

Ad 5. Luculento etiam mendacio caput 13. claudit. *Mendacia cumulat.*

dit. Imò pluribus. Nam primum est: *Augustinum non loqui l. 10. conf. de pœnis purgatorii*. Secundum, *deprecari, στοργὴν, non fidem scutum*. Tertium, *eo pertinere scripturam dicentem: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Qui credit in filium, habet vitam æternam*. Quartum, *illud væ etiam vitæ laudabilis, pertinere ad inferos*. Quintum, *Væ dici vitæ laudabili, quâ laudabilis est*. Singula probo.

August. l. 10. conf. c. vlt. agit, de purgatorio.

Primum. Verba Augustini sunt. *Fundo tibi Deus noster pro illâ famula tua longè aliud lacrymarum genus, quod manat de concusso spiritu, consideratione periculorum omnis animæ, quæ in eadem moritur. Quanquam illa in Christo viuificata, etiam nondum carne resoluta sic vixerit, vt laudetur nomen tuum in fide, moribusque eius, non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore eius contra præceptum tuum. Et dictum est à veritate, filio tuo: si quis dixerit fratri suo fatue, &c.* Et. *Nunc pro peccatis matris meæ deprecor te. Exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dextram tuam te interpellat pro nobis.* Et. *Dimitte & tu illi debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos, post aquam salutis. Dimitte Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in iudicium.*

Quid verò Monica desiderauit? *Tantummodo memoriam sui fieri ad altare.* Et filius Monicæ omnes optat id facere, *quod à se illa poposcit extremum.*

Non orat ille pro eâ, quam certo credebat beatam: quia ibi nullum periculum, nulla peccata, *non se interponit vi vel insidiis leo, vel draco*, nec hoc Monica desiderauit. Nec orat, si putat damnatam, quia ex eo statu nullus est reditus. Ergo pro media conditione, quâ esse poterat in pœnis, & in libertatem aspirare beatorum.

Secundum probo. Iam ante naturali στοργῇ fecerat satis.

atis. cap. 12. ait, *se dimisisse lacrymas, fleuisse matrem exigua parte horæ*: at cap. 13. iam scribens confessiones suas, longo post illum luctum interuallo, sic pronunciat: *Ego autem iam sanato corde ab illo vulnere, in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi Deus noster, pro illa famula longè aliud lacrymarum genus, quod manat de concusso spiritu, consideratione periculorum &c.* Hæc vir Sanctus, *confitens Deo in literis*: & dicens: *legat qui volet, & interpretetur vt volet.* Ego citiùs te odio veritatis, & Augustini credo mentitum tuis auditoribus, quam sanctum præsulem Deo, cui totam animam deuotus effundebat.

Non humano spiritu Augustinus orat pro matre.

Tertium probo. Quia corruptè citat c. 14. 13. Apocalypseos, hoc modo. *Beati, qui in Domino moriuntur: quia requiescunt à laboribus suis.* S. Ioannes ita scripsit. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Amodò *ἀπ ἄρτι, in posterum.*

Verba, & sensum scripturarum mutat.

Beati plane in posterum, certi suæ beatitudinis, etsi mora fruendi interueniat. Quiescunt multi continuò ab omni pœnâ, alij à solo certamine ambiguæ luctæ, non à castigatione præteritæ culpæ. Sed neque cætera rectè citat, nec ad rem faciunt. *Qui enim credit in filium, habet vitam æternam*, at non mox in possessionem eius, & fructus mittitur. Multi credentium in hoc exilio ad patriam cœlestem Ierusalem, suspirant, hæredes, tenentes arrhabonem spiritus, sed iure, nondum facto, possessores: sic & illi in transitorio igne fideles, hæreditati suæ immaculatæ præparantur, eius mox possessione lætaturi. Verba Christi sunt. Ioan. 5. 24. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit: sed transiuit à morte ad vitam.* Iudicium seu *κρίσις* significat *κατάκρισιν* condemnationem. Nequaquam verò sequitur liberũ esse temporariæ pœnæ, quia à dãnatione liberatus est.

Deinde

Deinde non loquitur de transitu mortis corporalis in vitam æternã, vetat id dicere Caluinistas, qui legunt, μεταβέβηκεν *transiuit*, at non omnes credentes *transiuerunt*. Sed alius planè transitus est illo loco, de mancipio scilicet mortis in ius filiorum Dei. Denique qui in illo loco, vbi timebat Augustinus ne mater hæreret, purgantur, transeunt in vitam æternam, nam vt tribulationes, morbi, mortes fidelium; sic & hæc posthuma pœna cœlestibus eos gaudiis transmittit, quæ aliquando breuior, leuior, aliquando asperior, & longior, sæpè nulla, prout morientium merita sunt.

Væ aliquando minoris pœna. Quartum probo. Ideo orat pro matre, quia væ etiam vitæ laudabili, quia væ vitæ matris, at si væ illud damnationis, frustrà oraret, nam decretum Dei immutabile, & væ illud in omnem æternitatem est inexorabile. Argumentum est Augustini: sic dicere fratri; *fatue*, est damnabile, quòd sæpe fit, & leue putatur, quàm facilè fuit, & matri verbum excidere, vnde puniatur post mortem? Væ in scripturis ad calamitates temporales, & mortes, non damnationem solam pertinet. Solenne exequiarum verbum erat. Væ frater. Rectè Augustinus retulit, ad purgatorij pœnas hisce præsentis vitæ malis acerbiores. Summa est. Væ vitæ laudabilis deprecatur, non erat ergo væ damnatorum. Væ mutabile, non igitur illud, cuius nulla est redemptio.

Noua Parei hæresis. Quintum probo. Dicere væ, *non modo vitæ laudabili, sed cum* reduplicatione, *qua laudabilis est*, non est D. Augustini, sed Caluinastri ipsam virtutem, quâ virtus est, excidentis. Ecce quo ruat impietas? Grandis visa nuper est hæresis, omnem virtutem, omnem honestatem mortale peccatum esse, quatenus imperfectionem haberent adiunctam, vitam laudabilem, eiusq; actiones, esse naturâ damnabiles. Nunc verò etiam quâ laudabiles, quâ bonæ, quâ profectę à Spiritu

sancto,

sancto, quâ à Deo factæ, hæc enim omnia consequuntur se mutuo, & cohærent. Denique si vita laudabilis, quâ laudabilis, horrendnm illud væ exspectat, cur non potentia, concupiscentia quâ naturalis facultas, qua laudabilis, est peccatum: hoc qui de potentia negant; de optimis actionibus affirmare non possunt. Amor Dei, qua laudabilis, obijcitur damnatorio væ. Voluntas seu potentia, qua amamus Deum non censetur ab illis peccatum, qua naturalis est, multò minus, qua laudabilis est, sed quatenus vitiata, cur ergo honesta vita & laudabilis, sit damnabilis, non modo qua imperfecta, sed qua laudabilis? *Vita laudabilis, qua laudabilis, non est peccatum.*

Hoc est dicere tenebras non modò lucem, & lucem tenebras, quòd grauissimè illis exprobatur ab Adolpho Tectandro, sed quod ipsis tenebris horribilius: Tenebras, quâ tenebræ sunt, esse lucem, & hanc, qua lux est, esse tenebras.

CAPVT XIV.

1. *Deus punire non potest supra condignum.*
2. *Quæ pœna minimo peccato debeatur iuxta Caluinistas.*
3. *Malitia quomodo infinita?*
4. *Peccatum per se remissibile sine gratia non remittitur.*
5. *Veniale non tollit ordinis principium.*
6. *Nec ordinem peruertit irreparabiliter.*
7. *Infinitas peccati ex parte auersionis.*
8. *Venialia in eodem genere aucta non fiunt mortalia.*
9. *Tres grauissimi errores aduersarij. 1. infinitam intensione pœnam, mereri. 2. Esse æqualia. 3. Christum pro illis non satisfecisse.*

Diluuntur obiectiones ex ratione naturali petitæ.

Pareus pag. 174.

Prima obiectio: Qualibet culpa iustè potest à Deo puniri pœna mortis temporalis & æternæ. Igitur omnis culpa natura sua mortalis. Antecedens probatur: Quia malum culpæ etiam leuissimæ, maius est malo pœnæ etiam grauissimæ. Igitur iustè potest quælibet culpa puniri, qualibet pœna etiam mortis æternæ. Antecedens rursus probatur. Quia potius subeunda est pœna quæuis, quamuis grauissima, quam peccatum aliquod etiam leuissimum perpetrandum. Nam alioqui peccatum licitum: quod nullo modo fieri potest: cum sint repugnantia: aliquid esse peccatum, & esse licitum.

Bellarminus.

Negandum antecedens. Potest Deus de rebus suis facere quòd libuerit, venialiter peccantem non solum interficere, sed etiam in nihilum redigere, sed Dominum se probaret, non iudicem. Nam vt sanctus Augustinus ait l. 3. c. 18. contra Iulianum. *Bonus est Deus, iustus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare: quia bonus est: non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia iustus est*; ita & nos dicere possumus: *Bonus est Deus, iustus est Deus. Potest aliquos supra condignum remunerari, quia bonus est: non potest quenquam supra condignum punire, quia iustus est.*

Ad probationem respondemus, negando consequentiam prioris; nam antecedens posterioris verum est. Non enim culpæ debetur maximum malum, sed malum pœnæ proportionatum culpæ.

Pareus pag. 176.

Duplex ius Dei in creaturas, absolutum, quo statuere potest

e potest, quicquid vult ordinatum, quo statuit non punire ipsi peccantes, & non supra condignum. Sed ius absolutum est iustum, ergo si sic puniret, iustè faceret. Deinde iure ordinato potest iustè punire mortaliter omne peccatum, quia est ἀνομία.

Defensio.

Hoc argumentum, & duo sequentia ipse fatetur esse non suorum, sed scholasticorum, promittit ipse firmiora pag. 174. Secundò, cum partes argumentantis hoc capite sibi sumat, tantum quod negauit Bellarminus, id iterum ipse affirmat, & sic vicisse arbitratur. Tertiò, Quicquid de absoluto Dei iure in creaturas garriat. Falsum est, eum sic iustè puniturum, nam absoluto iure non potest irasci, aut punire supra condignum, non quod hoc potentiæ & dominio Dei in se spectato repugnet, sed quia bonitati & iustitiæ. Absoluto iure, seu potentiâ suâ posset beatos angelos è cœlo in abyssum præcipitare, cruciare, sed quia bonus, imò quia iustus, non potest. Sic nec supra condignum potest punire peccatorem. Nihil potest Dei potentia non consentaneum iustitiæ.

Deus non potest punire supra condignũ.

Quod verò, ait, *Deus secundum ius ordinatum in lege posse peccatũ æterna morte punire, falsum est.* Quia ius ordinatum in lege, quætiam leui pœnâ vindicari tradit, at æterna pœna damni, & sensus est grauissima. Nec ad rem facit, quod omni peccato dicat infligi pœnam inter æternas leuissimam, sed quæ omnium temporalium sit respectu grauissima. Nam pœnam æternam illam facit grauissimã. 1. Quia pœnam damni grauiorem iudicat, etiã pœnis omnib. temporalibus, imò & pœna sensus, si non intensione, saltem duratione. Itaq; minimæ culpæ Abelis, naturâ debetur pœna grauior omnib. omnium hominũ cruciamẽtis, imò si millies millies mille mũdi essent, in singulis tot hominũ myriades, quot hoc in orbe arenæ numerantur, singuli per millies millies mille annos, grauiora

Quæ pœna minimo peccato debeatur secundum Caluinistas.

millies millies tormenta ferrent, quam omnes homines qui sunt, fuerunt, erunt, ferant, tulerint, laturi sint, tamen illa pœna & proportionata dicenda esset, minimæ leuissimi peccati, quæ inuito obrepserit cogitationi, nam omnes illæ pœnæ minores sunt æternis, nec istas modò sentio dicendas, quas dixi, sed si augmentum ductis in numeros numeris facias innumerum, vbicunque tamen numerando insistes: subijciam: omnes illæ pœnæ, tanta numeratione congestæ, minores sunt pœna æterna, peccato minimo debita, iuxta aduersarium & præ illa exoptandæ, itaque secundum ius ordinatum, in lege aduersarius immane pondus pœnarum minimo peccato designat. Quis autem talem hominem censeat vapulare paucis? quis peccatum illud festucæ compararet, aut culici?

Pareus pag. 177.

Obiectio 2. *Secunda obiectio. Peccatum veniale habet infinitam malitiam, estq; infinito odio dignum. Ergo infinitam pœnam natura sua meretur. Antecedens probat. Quia veniale peccatum committi non debet, etiam ad infinitum bonum adipiscendum. Infinitum autem bonum, est infinito amore dignum. Ergo contra peccatum veniale, est infinito odio dignum. Habet ergo infinitam malitiam.*

Bellarminus.

Non habet infinitam malitiam, quia non auertit à Deo. Quòd verò non debeat committi ad infinitum bonum adipiscendum, causa non est infinita malitia, sed quia est simpliciter malum, & nullo modo eligibile.

Pareus pag. 178.

Non quidem formaliter, sed obiectiue habet infinitam malitiam, quia est læsio summi boni. Omni igitur peccato debetur infinita pœna, quæ est mors æterna.

Defen-

Defensio.

Malitia infinita non est, nisi cum à Deo est auersio & inimicitia, & sic quoque non propria, sed ab extrinseco relatiua est infinitas. nam hoc ipso, quod amicitia, & caritas remanet, non fit ex contemptu Dei illa auersio. Probandum ergo est Aduersario, Quicquid quocunq; modo, manente amicitia, & caritate, etiam inuito, & reluctanti, impedire non valenti obrepit, quod quamcunque, à perfectissima actuali, habituali caritate declinationem habet, continere infinitam malitiam, imò vitam laudabilem, qua laudabilis est infinito odio dignam. Imò si dignum est infinito odio, quomodo odium illud infinitum, duratione, an intensione? Si intensione, ergo odia grandium, & leuium peccatorum sunt æqualia, scilicet infinita vtrinque, nam infinito, qua infinitum, nihil maius. Si duratione, non sequitur pœnam esse debere infinitam. Nam omne delictum cum sit ex se malum, semper Deus odit, & illud quod punit, & quod remisit. *Malitia quæ infinita?*

Pareus pag. 179.

Tertia obiectio: Peccatum veniale potest nunquam remitti: Ratio, quia pendet à gratia; Quod autem à gratia pendet. Deus potest non facere. Peccatum verò quod nunquam remittitur, potest semper puniri. *Obiectio 3.*

Bellarminus.

Quòd potest nunquam remitti, non oritur ex peccati natura, sed aliundè, quia est cum mortali, quod non remittitur.

Pareus pag. 179.

1. *Falsum est, Veniale per se posse remitti, quia opus est gratia. 2. Si remitteretur actu caritatis, non esset opus oratione; dimitte nobis debita nostra. 3. Blasphemum est Deum non posse nisi temporalem pœnam,*

pro leui peccato exigere. Quia potest aculeum mortis infligere.

Defensio.

Culpa remissibilis per se, non remittitur sine gratia.

1. Iterum veteres canit fabulas: per se est remissibile, vt nos dicimus, sed nō remittitur sine gratiâ. Peccatum per se est damnabile, non damnatur sine iustitiâ. Christi sacrificium per se gratum fuit Patri, sed in salutis precium sine gratuitâ Dei acceptatione, secundum Pareum, non efficax.

2. Remittitur actu caritatis, & oratione, & eleemosynis, aliisque id genus, quorum vnum in societatem, & cooperationem aliud admittit.

3. Blasphemum est, Deum pro quouis peccato, seu imperfectione caritatis actualis, vel habitualis, pro omni opere bono, optime facto, pro vitâ laudabili, quâ laudabilis est, posse exigere pœnas grauiores in æternum, quam sint omnia temporaria tormenta.

Id autem fieret, si puniret æternum pœnâ damni, & pœna sensus ita exaggeratâ, exasperatâque, vt sententia Caluinistarum demonstrat.

Alia quinque argumenta quasi solidiora subijcit.

Pareus pag. 180.

Argumentum Parei primum.

Argumentum primum est Thomæ. 1. 2. quæst. 87. artic. 1. omnis actus inordinatus, ab ordine, contra quem fertur, vel ab ordinis eius principio meretur destrui, & naturali inclinatione deprimitur. Omne peccatum est actus inordinatus: quia agit, & fertur contra ordinem, diuino præcepto sancitum. Igitur meretur destrui, & naturali inclinatione destruitur per pœnam æternam.

Solutio.

Veniale nō tollit ordinis principium.

Duo verbis Diui Thomæ inseruit fraudulentia Caluinistica. Primum: *meretur destrui.* Alterum *per pœnam æternam*, quorum neutrum est in Diuo Thoma. Verba eius hæc sunt: *Respondeo dicendum, quod*

quòd ea rebus naturalibus ad res humanas deriuatur, vt id quod contra aliquid inſurgit, ab eo detrimentum patiatur. Videmus enim in rebus naturalibus, quod vnum contrarium vehementius agit, altero contrario ſuperueniente: propter quod aquæ calefactæ magis congelantur, vt dicitur ſecundo Meteororum. Vnde in hominibus hoc ex naturali inclinatione inuenitur, vt vnuſquiſque deprimat eum, qui contra ipſum inſurgit. Manifeſtum eſt autem, quòd quæcunque continentur ſub aliquo ordine, ſunt quodammodo vnum in ordine ad principium ordinis. Vnde quicquid contra ordinem aliquem inſurgit, conſequens eſt vt ab eo ordine & principe ordinis deprimatur. Cum autem peccatum ſit actus inordinatus, manifeſtum eſt, quod quicunque peccat, contra aliquem ordinem agit: & ideo ab ipſo ordine conſequens eſt vt deprimatur, quæ quidem depreſſio pœna eſt. Vnde ſecundum tres ordines quibus ſubditur humana voluntas, triplici pœna poteſt homo puniri. Primò quidem enim ſubditur humana natura ordini propriæ rationis. Secundò, ordini exterioris hominis gubernantis, vel ſpiritualiter, vel temporaliter, politicè, ſeu œconomicè. Tertiò, ſubditur vniuerſali ordini diuini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum peruertitur, dum ille qui peccat, agit & contra rationem, & contra legem humanam, & contra legem diuinam. Vnde triplicem pœnam incurrit, vnam quidem à ſe ipſo, quæ eſt conſcientiæ remorſus, aliam verò ab homine, tertiam verò à Deo.

Quæ verò ſit eorum, quæ ordinem peruertunt diſtinctio, exponit quæſtione 87. articulo 3. cum quærit: Vtrum aliquod peccatum inducat reatum pœnæ æternæ? Verba eius: *Reſpondeo dicendum. Quod ſicut ſupra dictum eſt peccatum ex hoc inducit, reatum pœnæ, quod peruertit aliquem*

ordinem: manente autem causa, manet effectus. Vnde quandiu peruersitas ordinis remanet, necesse est quod remaneat reatus pœnæ. Peruertit autem aliquis ordinem quandoque quidem reparabiliter, quandoque autem irreparabiliter. Semper enim defectus, quo subtrahitur principium, est irreparabilis. Si autem saluetur principium, eius virtute alii defectus reparari possunt: sicut si corrumpatur principium visiuum non potest fieri visioni reparatio, nisi sola virtute diuina. Si verò saluo principio visiuo, aliqua impedimenta adueniant visioni, reparari possunt per naturam, vel per artem. Cuiuslibet autem ordinis est aliquod principium, per quod aliquis fit particeps illius ordinis. Et ideo si per peccatum corrumpatur principium ordinis quo voluntas subditur Deo, erit inordinatio, quantum est, de se, irreparabilis, etsi reparari poßit virtute diuina. Principium autem est huius ordinis vltimus finis, cui homo inhæret per charitatem, & ideo quæcunque peccata auertunt à Deo, charitatem auferentia, quantum est de se inducunt reatum æternæ pœnæ.

Aduersarium verò confutat artic. 5. Respondeo dicendum, *quod sicut supra dictum, peccatum causat reatum pœnæ æternæ in quantum irreparabile repugnat ordini diuinæ iustitiæ, per hoc scilicet, quod contrariatur ipsi principio ordinis, quod est vltimus finis. Manifestum est autem, quod in quibusdam peccatis est quidem aliqua inordinatio, non tamen per contrarietatem ad vltimum finem, sed solum circa ea, quæ sunt ad finem, in quantum plus, vel minus debitè eis intenditur, saluato tamen ordine ad vltimum finem, puta cum homo, & si nimis ad aliquam rem temporalem afficiatur, non tamen pro ea vellet Deum offendere, aliquid cõtra præceptum*

tum eius faciendo. vnde huiusmodi peccati non debetur æterna pœna, sed temporalis.

Hinc D. Thomæ ſententia, & aduerſarii impoſtura clareſcit, quem non puduit pro argumento D. Thomæ ad ſtabiliendam horribilem ſententiam, id obtrudere ignaris adoleſcentibus, quo angelicus Doctor diſcrimen mortalis & venialis peccati demonſtrat.

Pareus pag. 180.

Secundum argumentum eſt eiuſdem: Peruerſo principio alicuius ordinis, inducitur defectus irreparabilis: vt læſo principio viſiuo, non poteſt fieri reparatio viſionis, niſi diuinâ virtute, at omne peccatum peruertit ordinem, diuinitus ſancitum per hoc præceptum: vt creatura obediat ſuo creatori, lædit principium ordinis, quod eſt Deus. Ergo omne peccatum importat defectum irreparabilem hominis, hoc eſt, pœnam æternam. *Arg. 2. Parei.*

Solutio.

Mendacium hoc iam ſatis ſpectatum eſt, & irriſum. Nam ſæpius ingeminat D. Thom. peccato veniali reparabiliter peruerti ordinem, quia manet principium, caritas ſcilicet. Ideo negat artic. 5. Inordinationem illam eſſe per contrarietatem ad vltimum finem. Verum iterum D. Thomam audiamus q. 88. art. 1. *Veniale non peruertit ordinem irreparabiliter.*

Reſpondeo. *Dicendum, quod aliqua ſecundum quod propriè accipiuntur, non videntur eſſe oppoſita, quæ ſi Metaphoricè accipiantur, opponi inueniuntur, ſicut ridere non opponitur ei, quod eſt areſcere: ſed ſecundum quod ridere Metaphoricè de prato dicitur, propter eius floritionem & virere, opponitur ei, quod eſt areſcere. Similiter ſi mortale propriè accipiatur, prout refertur ad mortem corporalem, non videtur oppoſitionem habere cum veniali, nec ad idem genus pertinere, ſed ſi mortale accipiatur Metaphoricè, ſecundum quod dicitur in peccatis, mortale opponitur ei, quod eſt veniale. Cum*

enim peccatum sit infinitas animæ, vt suprà habitum est, peccatum aliquod mortale dicitur, ad similitudinem morbi, qui dicitur mortalis, ex eo quod inducit defectum irreparabilem per destructionem alicuius principii, vt dictum est. Principium autem spiritualis vitæ, quæ est secundum virtutem, est ordo ad vltimum finem, vt supra dictum est, qui quidem si destitutus fuerit, reparari non potest per aliquod principium intrinsecum, sed solum per virtutem diuinam, vt supra dictum est: quia inordinationes eorum, quæ sunt ad finem, reparantur ex fine, sicut error qui accidit circa conclusiones per veritatem principiorum. Defectus ergo ordinis vltimi finis non potest per aliquid aliud reparari, quod sit principalius. Sicut nec error, qui est circa principia, & ideo huiusmodi peccata dicuntur mortalia, quasi irreparabilia. Peccata autem, quæ habent inordinationem circa ea quæ sunt ad finem, conseruato ordine ad vltimum finem, reparabilia sunt, & hæc dicuntur venialia. Tunc enim peccatum veniam habet, quando reatus pœnæ tollitur, qui cessat cessante peccato, vt dictum est.

Secundum hoc ergo mortale, & veniale opponuntur, sicut reparabile & irreparabile: & hoc dico per principium interius, non autem per comparationem ad virtutem diuinam, quæ omnem morbum, & corporalem, & spiritualem potest reparare, & propter hoc veniale peccatum conuenienter diuiditur contra mortale.

Pareus pag. 181.

Arg. 3. Parei.

Tertium argumentum ex eodem, 1.2.q, 87.art.4. Infinita culpa, ex ordine iustitiæ, meretur infinitam pœnam. Omne peccatum in Deum admissum est culpa infinita: quia est in Deum infinitum admissa. Tanto enim grauius est peccatum, quanto maior est persona, contra quam peccatur: Verbi causa, grauius peccatum est,

percutere principem, quam percutere hominem priuatum. Dei autem magnitudo est infinita. Ergo pœna infinita debetur, pro quouis peccato contra Deum commisso.

Solutio.

Argumentum hoc non D. Thomæ est, sed obiectio secunda art. 4. ad quam respondet D. Thomas: *Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de peccato ex parte auersionis. sic enim homo contra Deum peccat:* auersioné exposuit in corpore articuli. *Respondeo dicendum, quod pœna proportionatur peccato. In peccato autem duo sunt, quorum vnum est auersio ab incommutabili bono, quod est infinitum, vnde ex hac parte peccatum est infinitum, aliud quod est in peccato, est inordinata conuersio ad commutabile bonum: & ex hac parte peccatum est finitùm, tum quia ipsum bonum commutabile est finitum. Tum etiam quia conuersio est finita. Non enim possunt esse actus creaturæ infiniti. Ex parte igitur auersionis, respondet peccato pœna damni, quæ etiam est infinita. Est enim amißio infiniti boni, scilicet, Dei. Ex parte autem inordinatæ conuersionis respondet ei pœna sensus, quæ etiam est finita.* At idem D. Thom. art. 5. ad primum. Respondet *Veniale & Mortale differre in infinitum ex parte auersionis.* Nam peccatum Veniale cum caritatem non tollat è medio, nec hostem efficiat, non meretur infinitam pœnam. Neque enim si quis seruatâ caritate, fidelitate, leuissimè principem offendat, potest hoc comparari cum cæde priuati. Omnis enim leuis offensio, dum caritatem non tollit, minor est illâ, quæ amicitiam, sublatâ caritate, dissoluit. Siue in priuatum, siue principem peccetur, semper quidem grauior principis offensa, sed quæ citra amicitiæ dissolutionem est, semper leuior est illâ, quæ priuatum hostiliter affligit.

Infinitas peccati ex parte auersionis.

Venialia in eodem genere aucta non fiunt mortalia.

itaque minima quæ cogitari potest, suspicio contra priuatum, minor est, quam eadem, eâdem ex causa, contra regem, non tamen ideo illa de rege mortalis est. Sic & peccata contra Deum grauiora sunt ratione immensæ maiestatis, non tamen criminalia, quia in genere venialium augentur. Similitudine aduersarii ruditatem iuuabo. Condidit omnipotens natura hominem, intelligentiâ, & volũtatis libertate ornatum, creauit & animãtium innumeras species, homini seruas, nondum est exhausta illa creatrix potentia, potest in singulos dies plures, melioresque absque vllà metâ condere: & dignitas formicæ distat ab hominis excellentiâ, inter formicam & hominem innumeræ species, in singulis crescente præstantiâ si constituantur, nulla tamen erit infinitæ excellentiæ, imò omnes homine deteriores. Bruta enim sunt omnia, genere illa differunt. Sic quantumcunque sit leuioris peccati, ratione personæ, incrementum: si tamen Deo verâ caritate cohæret, non auertitur ab eo, nec infinitam pœnam meretur, nec ad mortalis peccati malitiam pertingit.

Tres grauissimi errores aduersarii.

Porrò nisi meam solutionem aduersarius recipit, in tres grauissimos impingat errores necesse est. Primus; *Omne peccatum, infinitæ intensionis pœnâ, æternùm reipsa puniri.* Alter, *omnia peccata esse æqualia.* Tertius, *Christum pro nullo satisfecisse peccato.*

1\. *Secundum aduersarium, omne peccatum meretur pœnam intensionis infinita.*

Primum probo. Ex Thomâ se argumentari profitetur, & ipsa, obiicientis recitat verba, at D. Thomas agit de infinitâ pœnâ secundum quantitatem, quæstio enim est: *Vtrum peccato debeatur pœna infinita secundum quantitatem?* Ergo cum illam obiectionem aduersarius faciat suam, necesse est, vt concludat: *ergo pœna infinita, secundum quantitatem, debetur pro quouis peccato in Deum commisso.* Secundò, id ex illâ ratione sequeretur. *Tanto enim grauius est peccatum, quantò maior est persona, contra quem peccatur*, at non solâ

dura-

duratione grauius est, sed quantitate, seu intensione malitiæ, ideoq; grauior ei pœna, non modò longior, sed acerbitate dolorum debetur tristior. Sicut non modo diuturnior, sed magnitudine cruciatuum etiam atrocior pœna infligitur Regicidis, quam illis qui priuatum occiderunt. Si igitur dignitatis augmentum grauior, & maiestatis immensitatem pœna infinita sequitur, de gradibus, seu dolorum incremento ratio concludit, atque ita omne peccatum ex ordine iustitiæ meretur infiniti doloris tormentum.

Atrox est non modò illa blasphemia, sed contraria etiam plerisque Philosophis Caluinistarum, qui vt quantitatem corporum, ita qualitatum etiam intensionem negant esse posse infinitam.

Deinde sequitur, *Omnium reproborum delicta minima puniri pœnâ infinitâ, & æternitate durationis, & acerbitate sæuitiæ*. Syllogismo id sic conficio. *Omni peccato reproborum debetur pœna infinitæ durationis, & infiniti doloris, ex ratione aduersarii. Sed quod debetur illis, hoc Deus non remittit, sed infligit, ergo omni peccato infligit pœnam duratione, & intensione infinitam.* Minor probatur. *Deus peccata punit ex naturali necessitate, Punire peccata est Deo naturale, vt odisse. Non potest Deus de iure suo romittere*, ita Sibrandus. & aduersarius in cap. 9. ad Rom. Resp. ad 5 argumentum Socini, negat *Deum de suo iure remittere posse, nisi abnegando iustitiam & veritatem suam*. Si debetur infinita pœna, nec Deus eam remittere potest, aut saltem non remittit, quia reprobi sunt, quibus nullum vnquam delictum, secundum Caluinistas, condonatur, ergo infinitâ eos pœnâ torquet. Nam vt peccatum in priuatum meretur aliquem cruciatus gradum, verbi gratiâ incendii gehennalis teporem, cõtra principem si delinquat, calorem, cotra regem, feruorem, vt crescente dignitate personarum, pœna crescat, ita delictum contra Deum ex personæ immensitate, quæ offendi-

Et ea reprobi puniuntur.

offenditur, infinitè ignescentis gehennæ æstu torquebitur. Deus enim ius suum remittere non potest. At quam clementer dixit veritas: *Seruus nesciens voluntatem domini & digna faciens plagis, vapulabit paucis?* distat illa iustitia à Caluinisticâ sæuitie, dicente: *vapulabit plagis infinitis, tempore infinito.*

2. *Omnia esse æqualia peccata ex Pareo.*

Alterum sequitur, quod iamdudum de Iouiniano plena nostra Hecuba parturit: *Omnia peccata esse æqualia.* Illa enim sunt æqualia, quorum malitia æqualis, omnium verò est æqualis malitia, ergo & peccata æqualia. Omnium enim infinita culpa. Non quocunque modo infinita, sed ex naturâ, & intrinsece, imo secundam intensionem, non aliquo respectu ad infinitam bonitatem cui aduersatur: illa autem infinitas, pœnam intensione infinitam exigit, & æqualis est in omnibus. at infinita sunt ęqualia, quod enim minus est, non est infinitum, maxime si de intensione loquamur. Secundo, æqualia sunt crimina, quibus debetur æqualis pœna, omnibus debetur æqualis, scilicet infinitus ardor gehennæ, omnia igitur æqualia. Si dicas plures esse malitias, & pœnas plures. Respõdeo. Hoc ex intimis stoicorum esse mysteriis. Plura (dicebant illi) peccat, qui regem, qui patrem, quam qui priuatum, ignotum perimit.

Deinde falsum est: Nam in eodem, atque vnico peccati genere est aliud alio grauius. Tertiò. An ergo. Nero ob bonum opus, quod benè operatus est, tanto supplicio, quanto Tiberius, quod pessimè operatus est luet? vtrunque infinitum est. Tam Catoni, quod videret similes labris lactucas, ridenti, quam Sullæ cadaueribus implenti Tiberim, omnia infinita sunt: in tantas nugas, blasphemiasque incidere necesse est, qui vinolentiâ, & malitiâ à veritate recedunt, eamque pertinaces oppugnant. Denique nec mitius Tyriis, & Sidoniis, quam Capernaitis, & Chorozaitis in die iudicii, nec diuersæ plagæ seruo scienti & nescienti,

ti, quia omnibus infinitæ, nulli paucæ, quia pluri-
mis plures, nulli leues, quia omnium infinita gra-
uitas.

Tertium probandum superest, Christum non satis-
fecisse, alio opus esse mediatore. Ratio manifesta est.
*Debuit nos ab angustiis, & cruciatibus inferni libe-
rare. Ergo debuit hos ipse experiri.* ita Catechismus de
liberat. hominis. q. 1.

3. *Christum non satisfecisse.*

Huius argumenti analogiam secuti, sic ratiocina-
mur. *Debuit nos ab infinito dolore liberare, infinitum
ergo pertulit. at infinitus* non fuit Christi in cruce do-
lor, ergo ab infinito non liberauit, sed tantum finito,
manet ergo semper infinitus, nam si auferas ab infini-
to finitum, quod remanet, est infinitum. Ecce quan-
tum hæreseos chaos inducunt, qui contra veritatem
agere semel obstinarunt.

Argumentum quartum & quintum iam ante so-
luta sunt; est crambe quadragesies recocta, quam satis
est semel excussisse.

Morem tamen aduersario toties eadem ingerenti,
& moroso geramus. Obiicit; *Nullum peccatum siue
ex imperfectione operis, siue ex genere esse veniale,
quia omne peccatum est ἀνδμία, omnis ἀνομία, Dei con-
tumelia.* Respondi iam dudum, non omne peccatum
esse contumeliam Dei proprie dictam, & contemp-
tum cum odio, offensionem esse aliquam quæ citrà
inimicitiam consistat. Aduersarium hoc admittere o-
mnino est necessarium, si quidem sibi, suisq; constare
velit. Ardens illa sanctorum caritas, ex quâ tot heroica
facta recensent fideles omnes, & multi imitantur, su-
am habet ex Caluinianâ opinione imperfectionem,
quæ peccatum est, omne opus bonum optime fa-
ctum, ex eâdem persuasione, peccatum est naturâ
suâ mortale, nec tamen ad cōtumeliam creatoris per-
tinet caritas pro laude Domini sui morientium, nec
sedula cura piorum bona non modo coram Deo, sed
etiam

etiam hominibus prouidentium. Nec ſanctiſsimus, & iuſtiſsimus ſanctitatis inſpirator, & quam inſpirauit, ſanctitatis amator Deus, ipſa ſua dona nondum perfectiſsima deputat æternis cruciatibus, multo minus talia fecit, vt naturâ ſuâ meritò ſic plectantur. Si vera eſt igitur ratiocinatio aduerſarii, quâ veritatem oppugnat, repetenda eſt illa toties abominata crudelitas; ſanctiſsimum quod ab vllo homine vnquam factum eſt opus, feruentiſsimum caritatis ſupernaturalis actum, quâ Deum ſuum poſt hominis primi lapſum amauit hominum aliquis, tantum eſſe, tanquam atrox ſcelus, vt millies millies mortem mereatur æternam, nec mereatur modo, ſed culpam, hoc eſt ipſam ſanctitatem, & ſanctitatis exercitium, pœna ſequatur. Neceſſarium eſt igitur à tam grauis ſupplicii reatu aliquod peccatum eximere.

Vltimo tandem oggannit. Nulla carnalia, nulla ſpiritalia ſunt Venialia, omnia ſunt vel Carnalia, vel ſpiritalia, ergo nulla venialia.

Hoc quoque ante diſſolui. Nam carnale peccatum, magnum eſſe poteſt, & paruum, minima minimi peccati cogitatio, & fœdiſsimi flagitii nequiſsima perpetratio, peccata carnalia ſunt, ſimilitudine actionis, non æqualitate criminis, inter quæ, quia aduerſarius diſtinguere vel neſcit, vel non meminit, ideo in eos errores quos ſupra oſtendi incidit: aliud eſt ſimilitudo, aliud paritas, etſi quædam ſimilitudo, pene par eſt;

Alia tamen diſpar, gutta mari, incendio ſcintilla, pruna ſoli, Sphæra Euclideia cœleſti, imago prototypo imo ipſa creatura infinitiſsime magno, immutabiliſsime bono, puriſsime ſancto ſimilis eſt creatori. ſed de hoc argumento actum ſuprà.

Hæc de peccato in genere, eiuſq; partibus controuerſis, Mortali & Veniali. Nunc Caluinianæ crudelitatis Idolum intueamur.

IDO-



IDOLVM CALVINISTARVM,

HOC EST,

DEFENSIO LIBRI SECVNDI DE STATV PECCATI, QVI *est de causa peccati primi hominis, ac de causa peccati in genere.*

Contra explicationes, & castigationes Dauidis Parei.

1. *Eleusinia Caluinistica, & Deus eorum.*
2. *Idolum suum studiose celant Caluiniani.*
3. *Deus Caluini & Caluinistarum idem; & auctor peccati.*
4. *Confessio Parei de Caluini Deo.*
5. *Orthodoxi omnes, Lutherani, Caluinistæ molles stant contra Pareum.*



VEntum est, amice lector, in adyta Caluinismi, vbi quos initiarunt, vltimo consignant. vbi tota mysterii maiestas, est silentium: quod docent, abscondunt; quod volunt credi, erubescunt. Si quæris, indignantur: si disputas, insaniunt: si deprehendisti, negant, quicquid agnoscunt. Agnosco Valentinianorum *Eleusinia.*

 norum

norum genimina, & iterum Eleusinia, Atticæ superstitionis caput, restaurata. Nemo sacrilegium excuset, in pari causa sunt Eleusiniani, & Caluiniani: aut si dispar causa, culpâ maior in Caluinistis. Illi cum pœnali initiatione, quinquenni cruciatu, tot portarum siparijs, toto signaculo linguæ, opinionem ædificassent, ingentem præstruxissent cupiditatem, tandem tota maiestas, tota diuinitas, quam tacebant, pudor erat: nam consignatis, in penetrali, simulacrum membri virilis reuelabatur. Eleusis verò Heluetia post tortuosas contentionum replicas, tot inuolucrorum prætextus, dum ambages suas euoluit, dum quæ post velum est cothurnatio transparet: Deum nobis exhibet peccati authorem, peccatorem, dæmonem. Vetus Eleusis longissimam exspectationem fœdo spectaculo in risum vertebat, noua, serio Dæmonolatriam, quam in scenâ negat, post siparia tuetur. Inficiantur, protestantur: nec mirum, pudet confiteri. Enunciari sacrum suum Ceres non vult, vetat Valentinianus. Eleusiniana, Valentiniana mysteria, iam facta sunt lenocinia Calniniana, silentio magno sancta, solâ taciturnitate cœlestia. Sed vela spiritu suo Deus noster abstulit idolo, personas mystagogis detraxit, pepulit simulationem veritas. Grande, & impium arcanum detectore, & resignatore cauteriatarum conscientiarum Bellarmino, publicatum est. Deus scilicet, peccati decretor, impulsor, auctor, procurator, peccator, & solus peccator, Deus Libertinianus. Sed nunc pareum, vulgato suæ Cereris arcano vehementer indolentem audiamus.

Deus Caluinistarũ.

Pareus pag. 186.

Totus liber in negatiuâ versatur: Deum non esse causam peccati, idque contra Zvvinglium, Caluinum, Bezam, quos cum Bellarm. fateatur disertis verbis negare Deum esse causam peccati: tamen immani Sophisticâ, & ca-

& calumniandi libidine blasphemi illius erroris reos peragere contendit, taliaq; illis, nolint, velint, obtrudere conatur dogmata blasphema, furiosa, quæ nemo barbarus ἄθεος, non Satan ipse in diuinam Maiestatem effutire auderet,, à quibus ipsæ bestiæ abhorrerent : Deum non solum esse authorem omnium scelerum, & peccatorum, sed verè, & proprie peccare: immo solum verè peccare non homines: peccatum deniquenihil, nisi falsam opinionem esse. Ex qua blasphemiarum, & calumniarum sentina sordidißimâ fluxit, quicquid alii quidam malè feriati Iesuitæ, & similes furiæ de Deo Caluinistarum diabolo, aduersus Ecclesias nostras in vulgus blasphemarunt. Vnde, auditores, intelligitis toto hoc libro, quem non atramento, sed bile, & veneno scripsit Bellarmin. non tractari illud, quod titulus promittit: quæ sit vera caussa peccati primi & aliorum? neque etiam: An Deus sit author peccati? sed potius, an verum sit. Zvvinglium, Caluinum, Bezam Deum fecisse authorem peccati? quod Bellarmin. mentitur, nos inficiamur. Non quidem est mihi propositum omnia nostrorum Doctorum dicta, scripta quasi ἀνυπ & θεῖα tueri. Quia vero in hac causa nihil à verbis & mente sacræ scripturæ alienum eos sensisse, & scripsisse euidenter doceri potest, licet duriusculis aliquando phrasibus locuti videatur: AEquum est nos tam virulentas aduersarii calumnias, ab ipsorum manibus, à nostris capitibus, & Ecclesiis, in quas hæc faba cuditur, solidè repellere. Sceleratum est enim, dixit verißime quidam, cum noueris pium sensum esse alicuius, ex verbis incommode dictis statuere errorem.

Defensio.

Magna fateor causa irarum, sed iniusta: *Magna*; Plenum pudore secretum, impendio absconditum, quod solummodo demonstrare, destruere est, in propatulo stat, damno, & pudore excitus aduersarius, *Pareus idolum celat.*

in vltionem accenditur, iterumque faſcinare oculos noſtros, & chartarum nebulâ obtegere deteſtabile idolum conatur, opprobriaque Eumolpidarum Gebennenſium celare. *Iniuſta*; Non enim Bellarminus in culpâ,qui quod inuenit,indicauit,ſed illi qui ſtatuerunt. *Daniel Bel deſtruxit, & Draconem interfecit* Dan.14.27. *Indignati ſunt vehementer Babylonij. Fecerant quidem* κεκρυμμένην εἴσοδον κρυπτὰς θυρίδας, *occultum introitum, abſcondita oſtiola*, ſed veſtigiis doloſo cineri impreſsis, quod tam obſtinatè negabant, prodiderunt, ſuo indicio ſorices perierunt. In eodem puluere poſtquam Deum de cœlo in cænum detraxerunt Caluiniſtæ, fraudum ſuarum dedecora ſignarunt, negandi audaciores, celandi, quam ſacerdotes Babylonii incautiores. Quid negent, neceſſe non eſt quærere, quod latebat,in oculis eſt, dum quod theſis inficiatur, argumentis probare nituntur. Dum factum tenemus, inficiandi licentiſsimâ impudentiâ veniam non merentur. Par eſt in Caluinianâ ſobole, & Libertinis, nec tamen illis filiis ſuis credit Caluinus: *Conteſtatur* (Antonius Pocquius) inquit Caluinus, *Epiſtolâ* ad Rotomagenſes, *ſibi longe aliam eſſe mentem: ſeque Deum mali auctorem facere nolle, affirmat. Sed quid prodeſt eiusmodi ſubterfugium in re tam apertâ. Si cuius malam percuſſero, an excuſabor, ſi obteſter id me offendendi hominis cauſa non egiſſe?* Etenim res ipſa manifeſta eſt.

Incogitantia parei.

Caluiniani & libertini pares.

Nos igitur primo furori, cauſæ æquitate fidentes, eodem gradu occurramus.

Non eſt blaſphemum, ne falſum quidem; *Deum Caluiniſtarum auctorem eſſe peccati.* Docuit hoc, demonſtrauitque Bellarminus, eius ἀποδείξεις veras, neceſſarias variâ ratione demonſtrare mei libri inſtitutum eſt. Doloſis verò aduerſarii proteſtationibus tres in primo congreſſu rationes oppono.

Deus Caluiniſtarum auctor eſt peccati.

Ra-

Ratio 1. *Caluini Deus, auctor est peccati*; Igitur & Caluinistarum. Antecedens iam pridem nostris doctoribus Pareus dedit, tenemus eius Chirographum, negare non potest, se blasphemiam illam in Caluino agnoscere, in Caluinistis minimè. Rogat enim ne in posterum *Deum Caluinistarum auctorem peccati esse scribamus, sed Deum Caluini*; carmen eius est: *Idem Caluini Deus & Caluinistarum.*

Vos quoque promissi memores, delete liturâ
Ingenuâ STARVM, affinxistis quod malè nobis.

Magna veritatis vis, quam contra non potuit vel ipsa impudentia: Cum enim Ioannes Mulhusinus, & Nicolaus Serarius Theologi conuincerent: Caluini Deum esse auctorem peccati, non ausus id negare, de Deo Calninistarum inficiatus est, ac tum præsens, posteaque per literas rogauit, vt STARVM delerent, contentus extritu postremæ particulæ, quo discipulos absolueret, magistrum contereret. Nam sic, *Caluini Deus est auctor peccati*: *Non tamen Deus Caluinistarum est auctor peccati*: Quid igitur tumet in Cardinalem, quod secum sentiat, an Bellarminus plus Caluino, quam Pareus reuerentiæ debet? Qua conscientia Caluinum vel tum discipulus ingratus innocentem damnauit? vel nunc in integrum restituere litigator infelix pertendit? *Confessio Pares.*

Satis ipse vel inuitus fateri cogitur, *non posse suorum scripta vt ἀναιδῆ (?) defendi, & duriusculas phrases agnoscit.* Plane duriores sunt Chalybe, & adamante, ex ore ferreo, & nisi seria pœnitentia flexerit, durissimo damnationis malleo frangenda.

Consequentia etiam certa: Primò, non alius Caluini Deus & Caluinistarum. Secundò. Multi Caluinistarum vt Beza, vt Vrsinus, vt Tossanus, vt Catechismus Heidelbergensis eadem verba tuentur, & sensum. Illorum igitur Caluinistarum Deus, est auctor peccati.

Ratio 2. Sceleratam illam dementiam, abominabilem horrorem, verba Caluini, vel clarè, palamque sonant, vel solidâ, inuiolabilique consequentiâ progignunt. Sensum verbis tam dilucide sceleratis inclusum, esse ἄθεον, planeque diabolicum, non modo omnes orthodoxi, sed Lutherani etiam, tam Vbiquitarii, quam Caluinissantes, Anabaptistæ, Sociniani, Arriani, Libertini, plus quam dimidia pars Caluinianorum, omnes vno ore, vno consensu, similibus scriptis, tot, & tanti testantur, constanter accusant, & deplorât. Non sunt illa bile Iesuitarum scripta, sed testimonia orbis, in partem Caluini producta. Vnum cedo scriptorem ἀδέκαστον, qui non tam flagitiosæ Caluinum opinionis arcessat. Quod dixit, intelligimus; Si aliud sensit, & tacuit, nos immeritò accusamur, qui seruum nequam, non ex eo quod tacuit, sed ex eo, quod dixit, hoc est, ex verbis eius, iuxta normam Euangelicam iudicamus, prodita literis, non animo occultata confutamus: ille si malus non est improbitate sentiendi, reuera impostor est fallaciâ loquendi, aut tam infans vt contrarium scripserit ei, quod omnes ex eius lectione intelligunt. Si error est loquentis, non sentientis, vos eius vel discipuli, vel posteri verba corrigite, vt magistum vestrum detestabili suspicione, & mundum tam noxiâ disputatione liberetis. Non dixit? Vos ne dixisse videatur, efficite. Videatur, inquam, non vni Belllarmino, eiusque vel in nostra Societate fratribus, vel in Cardinalatu collegis, sed Lutheranis, Anabaptistis, Socinianis, Arrianis, Caluinianis, Tibi; Tibi inquam cum *STARVM*, non *CALVINI* lituram conuictus orares.

Omnes pene sentiunt Deum Caluinistarum esse peccati auctorem.

Caluinus aut impostor blasphemus.

O mitto vetera, post tot contentiones, post serras toties eadem linea reciprocatas, audi ecce Lutheranos, fratres tuos, fundamentum tuo iudicio tenentes.

Phi-

Philippus Nicolai de refut. Caluin. relig. pag 134. Cum vestrum *Deum ipsum peccatum, & omnib. Diabolis peiorem dixisset: omnibus Christianis manifestum, ait; Deum quem colunt, inuocant, adorant Caluinistæ, esse desperatum Archinebulonem, archifurem, archilatronem, archimendacem, archiproditorem, archinequam, archisordes* (Ertzbonfiat) *archipatibularium, vt nullum homicidium, nullum furtum, nullum facinus, nulla fraus, nulla proditio, nihil dedecoris, aut sceleris, nulla tanta nequitia toto orbe inueniri, aut cogitari potuerit, tam magna, tam horrenda, tam crassa, tam abominanda, quam non Caluinistarum Deus essentiali sua malitiâ, plus centies millies longè vincat, & excedat. Idem de prouident. cap. 5. Quæstio: Quam placido vultu Deus Caluinistarum renidet? Responsio: Tauricum tuetur, nam quemadmodum Taurus admissarius, scortator, aut adulter existimari non potest, etsi iumentum omne fœcundet. Ita & Deus Caluinistarum, & μυκόπυσμα angelicam sibi puritatem, sanctitatemque arrogat, etiam cum infames nebulones, perditos inferorum candidatos ad omnia peccata, turpitudines, facinora pro libidine sua incitat, allicit, impellit. Et: ita scribit huius Ταυροθέου primogenita creatura, & Apostolus Tugurinorum S. Huldericus, libel. suo de prouidentia cap. 5.*

Testes Lutherani de Deo Caluinistarum.

Idem in compendiosa instructione pag. 26. 27. & 31. *clarum est. Nam Caluinistarum Deus est leuis, lasciuus, impurus, versipellis, dolosus, fallax, sanguinarius Moloch. Qui dicitur in sacris literis, 1. Pet. 5. Leo rugiens, antiquus hostis, maledictus Leuiathan, quem fascinati Caluinistæ pro Deo suo colunt, adorant, inuocant.*

Et Iacobus Reneccius l. de ortu, &c. Caluinistarum cap. 7. *Caluinistas ait esse similes Florianis.* Verba eius. *Floriani à Florino nomen habent, quorum*

Caluinistæ Floriani.

inter cætera dogma erat, Deum esse peccati, & mali authorem. Aug. de hæresi c. 66. *His vero Caluinistas similes esse, eorum scripta demonstrant.*

Citantur ab eo Beza in responso ad acta colloquii Mompelgartensis pag. 230. Zanchius de nat. Dei l. 5. c. 2. p. 694. Idem ibidem p. 584. Idem ibid. p. 605. Beza in 2. parte responf. ad acta colloq. Mompelg. pag. 169. Caluinus Inst. l. 3. cap. 23. f. 8. Guilhelmus Perkinsius de prædestinationis modo, & ordine pag. 40. & 41. Zanchius de nat. Dei lib. 5. c. 2. p. 690. col. a. b. Idem ibi. cap. 2. pa. 670. col. b. Idem ibid. c. 2. par. 3. de Reprob. pag. 670. Hermannus Rennecherus in aurea salutis catena p. 32. Gregorius Spindler in maxime necessaria informatione pag. 451. Zvvinglius l. de prouid. cap. 6. Tom. 1. fol. 266. Idem Zanchius de nat. Dei lib. 3. cap. 2. q. 5. p. 249. col. b. & ibidem cap. 4 quæst. 3. p. 215. col. a.

Caluiniani testes. Denique sic Caluiniani sentiunt. Vorstius in appendice 2. ad elenchum errorum Sibrandi. §. 9. *Ad Coronidem Doct. Sibrandi, seu nonam eius thesin, quod attinet, in qua negat Caluinum docere, Deum absolutâ suâ voluntate, sine omni respectu peccati decreuisse aliquos damnare, &c. Sciendum est.*

1. Parum ad nostram causam facere, quid Caluinus hac de re senserit. & malle nos huius viri alioquin meritò suspiciendi næuos occultare, quam cum scandalo retegere; si quidem per aduersarium nobis liceret.

2. Ambiguam esse significationem absolutæ voluntatis: cum Caluinus eam in locis hic citatis sapientiæ, & iustitiæ diuinæ opponat. siue pro iniquo, & effreni quodam imperio vsurpet (atque hoc sensu non immeritò, tanquam detestabile commentum, repudiet) alij verò conditionali voluntati eandem opponant: quatenus ipsi ad salutem, aut exitium æternum, neminem nominatim, nisi sub præscitâ fidei, aut incredulitatis conditione, à Deo destinatum esse docent.

Horrida opinio Caluini.

3. Hoc

3. Hoc autem posteriori sensu Caluinus verè absolutam, & non conditionatam Dei voluntatem, in vtraq; huius decreti parte statuit, dum clare docet Deum iam inde ab æterno apud se statuisse, quid præcisè de singulis hominibus fieri vellet, quod ad æternam ipsorum salutem, aut exitium attinet, etiam priusquam vllam in illis conditionem spectaret; sicut ex variis eiusdem scriptis apparet, præsertim, ex l. 3. Inst. c. 21. 22. & 23. ferè totis.

4. Adde quod respectus ille peccati, quẽ D. Sibrandus hic affert, ipsum Caluinum magis accuset, quam excuset; vt qui peccatum à Deo tanquam medium quoddam exsequendæ reprobationi subordinatum, seu tanquam necessarium huius consequens eidem substratum esse doceat; eoque decretum hoc horribile ipse appellat. &c. Ita, vt ex illius sententia, reprobi primo nude ad exitium æternum, deinde ad peccatum ipsum à Deo ineuitabiliter destinati sunt. Qui sane duplex, & quidem insignis Caluini error, occultari fortassis, ac dissimulari potest; sed constanter excusari ac defendi nunquam potest. Ego quidem reticere nunc ista maluissem: sed à D. Sibrando coactus veritati testimonium dare debui.

Primo benouole, pariter & ingenue pronunciat: se huius næuos occultare, quam cum scandalo retegere malle; duplicem, & insignem errorem esse, denique veritus iram suorum initiatorum protestatur, reticere illa maluisse, sed à Sibrando coactum, testimonium veritati dare debuisse. Cur ab horridâ illâ sectâ recedat, causa est quia ex eius principijs Deus auctor peccati probatur. Mira profectò Parei impudentia, qui dogmata illa incrustare conatur, quæ ne apud Belgas quidem nominare præsumit Vorstius.

Ratio 3. Verba Caluini, & disputationum series id conficit, si vera sunt. Mali scilicet auctorem esse Deum, & hominem tanto scelerum suorum auctore,

à scelerum reatu defendi: cuius rei euidentissima veritas ex ipsis Caluini discipulis cognoscitur: illi enim palam omnia illa fatentur, & horridiores Caluinistas eadem in causâ qua Bellarminus oppugnant. Conradus Vorstius in præfatione ad Parascenen, horridæ illi sententiæ se *triginta circiter annos plus satis animose adhæsisse.* Et *præfatione, ad amicam cum piscatore collationem*, iuramentum calumniæ præstat; *saltem hoc coram Deo sancte testor*, inquit, *me nihil ex ipsis hic collegisse, quod non inde necessario consequi planißime persuasus sim: neq; ego tantum persuasus, sed vna mecum pleriq; omnes, orbis Christiani doctores, tum noui, tum veteres, quos ego quidem hucusq; audire aut legere potui.* Ecce ille Caluinista mollior secũ sentire omnes pene doctores affirmat, & supra dixerat, *se lectione veterrimorum id consecutum, vt in hac re oculos aperiret.* Suadet deinde aliis emendationem, *nullam* ait *esse fere Christianorum sectam, aut societatem extra Caluinistas, quæ non illud dogma serio detestetur, plurimos verò inter ipsos esse, quibus idipsum valde suspectum sit,*

Deniq; in Antibellarmino fatetur se quædam duriuscula suorum mitigare conatum esse, exemplo Lutheranorum, & quasi vi adhibitâ in meliorem sensum traxisse, verum iam à veritate victum, vltra manum illi dedisse.

Eadem & acriora leges *in Epistola dedicatoria*, quam libro patris præfixerunt Arminij liberi. In ipso Arminio, qui collationem instituit cum Francisco Iunio, Ioanne Arnoldo Coruino Episcopo Lugdunobatauo, defensore Arminij. Qui sententiam Caluini, cum Dei sanctâ Maiestate, veritate, iustitia ex diametro pugnare demonstrat, monstra esse in cerebro hominum nata, non ex scripturis producta. Talia infinita, & horrenda, tamen vt vtilia, & consolatione plena, imo creditu pene necessaria temerarie à rigidis Caluinistis commendari.

Ego

Ego quoque non ab æquo, sed iniquissimo etiam lectore, cuius saluti vel præcipue studeo, per Deum omnis iniquitatis osorem, quam possum, obnixissime peto, vt oculos ad veritatis lucem, etiam ex hostico: (si forte ita suspicatur) orientem, attollant, Bellarmino ne succenseant, quod flagitiosæ sententiæ Caluinum accuset, id enim ante eum fecere, quicunque horridam illam ad peccatum, pœnasque prædestinationem legerunt. Non est à sola societate nostra hæc illi intentata accusatio, omnis Christianorum societas, quæ extra rigidos Caluinistas est, eandem illis litem intentat. Blasphemum hoc esse dogma vetus, & nouus orbis affirmat, etiam qui auctorem nondum omnino fugiunt molles Caluiniani, errorem tamen serio detestantur. Vt pudorem & mentem Parei merito requiramus, qui pro rigidis Caluinistis (illi pars quota terrarum? contra orbem terrarum cum pugnare non erubescat, nobis persuasum esse cupit, solum Bellarminum peti, eius esse calumnias solius, quod iudicium est orthodoxorum omnium, & eorum quos nondum plane hæresis efferauit, sectariorum.

CAPVT I.

1. *Aduersarij ἀνισοφία & fraus.*
2. *Albigenses damnati.*
3. *Eorum hæreses.*
4. *An fuerint Caluiniani.*
5. *Origo Libertinorum.*
6. *Eorum & Caluinianorum consensus. vtrique tribuunt errores, & mendacia Scripturis.*
7. *Liber Caluini à Bernatibus exustus.*

8. Fraus

8 *Fraus Libertinorum. Latere poterant.*
9. *Libertini ex Caluino.*
10, *Cerdo Parisiensis Libertinus.*

De erroribus circa primariam causam peccati.

Bellarminus.

CAusam scelerum in Deum retulerunt. Simon Magus, Cerdonistæ, Marcionistæ, Manichæi, Priscillianistæ, Albigenses. Temparabant tamen illi blasphemiam, cum vel duo principia ponerent, bonum & malum, vel ratione nostri, quod eam naturam nobis dedisset, quæ non posset non peccare. Florinus apertè ita docuit, eumque secuti Libertini.

Pareus pag. 188.

Quæ Antoninus de Albigensibus retulit, sunt pura puta mendacia: quod fecerint duo principia, bonum & malum: quod senserint Deum non creasse visibilia: Christum non esse Deum, mortuos non resurrecturos. Ratio est: quia pontificius furor eos nefariè oppresßit. Deinde Scholas & Sophistas non habuerunt, simplicißime quæ ad salutem pertinebant, secundum scripturas humilime tenebant. Tertio, quia fabulatur Antoninus eos à Dominico πυρομαντείᾳ *victos, cum illæso huius libro, illorum momento vorax flamma absumeret.*

Defensio.

Scriptorem bonum in manum vnquam sumpsisse Pareum negat frater illius Iosephus Scaliger, valde vereor, vt æqua sit illa censura arbitrantis, non conuicium oppugnantis: aut si hæc hyperbole est certe alterum eius pronunciatum de Pareo; *strenuè mentitur paracletus*, est verissimum. Nec immerito Paracletum vocat Pareum Scaliger, qui sine auctore, de sui spiritus confidentiâ quod finxit, in Paracletum Spiritum

tum sanctum refert. Laudat igitur Albigenses Caluinista: mirum ni & Bonos *homines*, quod nomen seducendis simplicibus ipsi sibi arrogabant, nominet. Sed vnde laudat? vel ipse inter eos κατὰ μετεμψύχωσιν vixit, vel *prophetico spiritu* ex Scaligero, suo eos testimonio leuat. Nam quòd ita testari recentes, & veteres nugatur, vel ἀνιστορία est, vel mendacium. Omnino contrarium testantur. Guido de hæresibus, Bernardus Lutzenburgensis, Æneas Syluius, Thomas VValdensis, Antoninus. Verum imperitiæ os vt obtundam, ecce tibi integrum penè ex Rogerio Concilium, de sanctitate auorum Caluinismi. Acta eius ita habent.

Eodem anno damnata est Arriana (Manichæa) hæresis, quæ ferè totam Prouinciam Tolosanam fœdauerat, coram Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis religiosis viris, & honestis subscriptis? Erant itaque in prouincia Tolosana quidam hæretici, qui se appellari faciebant Bonos homines, quos manu tenebant milites de Lumbercio, proponentes, & docentes populum contra fidem Christianam: dicentes etiam quòd non recipiebant Legem Moysi, neq; Prophetas, neq; Psalmos, neq; vetus Testamentum, neq; Doctores noui Testamenti, nisi solummodo Euangelia, & Epistolas Pauli, Septem Canonicas Epistolas, & Actus Apostolorum, & Apocalypsim. Et interrogati de fide sua, & de baptismo paruulorum, & si saluabantur per baptismum, & de corpore, & Sanguine Domini vbi consecrabatur, vel per quos, & qui sumebant, & si magis vel melius consecrabatur per bonum, quam per malum, & de matrimonio si poterant saluari, si carnaliter iungebantur vir, & mulier. Responderunt, quod de fide sua, & de baptismo paruulorum non dicerent, neq; dicere cogebantur. De corpore, & sanguine Domini dicebant, quod qui digne sumebat, saluabatur, & qui indignè, acquirebat sibi damnationem. De matrimonio autem dicebant, quod vir, & mulier

Albigenses damnati Synodo Gallicana.

Albigenses Manichæi.

mulier legitimè iungebantur propter luxuriam, & fornicationem vitandam, sicut dicit Paulus. Dicebant .n. multa non interrogati, quod non debebant iurare omnino per aliquod iuramentū, sicut dicebat Matth. in Euang. & Iacob. in Epist. suâ. Dicebant etiā quod Paulus prædicebat (præcipiebat) quod essent ordinādi in Ecclesiā Episcopi, & presbyteri, & si tales nō ordinabuntur, quales præcipiebat, non essent Episcopi, nec Presbyteri, sed lupi rapaces, hypocritæ, & seductores, amātes salutationes in foro, primas cathedras, & primos accubitus in cœnis, volentes vocari Rabbi contra præceptū Christi ferentes albas, & candidas vestes, gestantes in digitis aureos annulos, & gemmatos, quod non præcipit Magister eorum. Et idcirco quia tales Episcopi, & Presbyteri erant, quales fuerunt Presbyteri, qui tradiderunt Iesum, non debebant illis obedire, quia mali erant. Auditis itaq; vtrinq; allegationib. coram Gerardo Albiensi Episcopo, electis etiam, & statutis iudicib. ab vtraq; parte, & consentienbus, & aßidentib. præfato Episcopo Gerardo Albiensi, & Rogero Castrensi Abbate, & Petro Abbate Ardulesensi, & Abbate Decandilio, & Arnaldo Rabbone in præsentia bonorum virorum tam Prælatorum, & clericorum, quam laicorum, videlicet D. Petri Narbonensis Archiepiscopi, atq; aliorum Episcoporum & Abbatum, Archidiaconorum, nec non & comitum, & virorum potentum numero viginti illius prouinciæ; & ferè totius populi Albiæ, & Lumberti. Contra quæ prædicti hæretici proponebant, & inductæ sunt N. T. multæ authoritates à D. Petro Narbonensi Archiepiscopo, & à Nemancensi Episcopo, & à Petro Sendracensi Abbate, & Abbate de fonte frigido. Præfati enim hæretici nolebant recipere iudicium, nisi per nouum testamentum. Talem ergo definitiuā sententiam ex nouo Testamento protulit Lugdunensis Episcopus coram omnibus prædictis, facto à cunctis silentio: Ego Gilebertus Lugdunensis Episcopus ex mandato Albiensis Episcopi, & Assessorum

eius

eius, iudico istos esse hæreticos, & damno sententiam Oliuerii, & sociorum eius, vbicunque sunt, & hos iudicamus per nouum Testamentum.

In primo Capitulo damnamus, & iudicamus hæreticos esse, qui non recipiunt vetus Testamentum. Lex enim recipienda est per Euangelium, &c. *Hæreses Albigensium.*

In secundo Capitulo conuincimus istos, & iudicamus hæreticos esse authoritatibus noui Testamenti. Dicimus enim, quod fidem Catholicam non habet, qui eam non confitetur, quando interrogatur, vel fides periclitatur. Vnde &c.

In tertio autem capitulo conuincimus istos, & iudicamus hæreticos esse, authoritatibus noui Testamenti. Dicimus enim quod Deus vult omnem hominem saluum fieri, &c.

In quarto capitulo conuincimus istos, & iudicamus hæreticos esse, noui Testamenti authoritatibus. Quia Dominicũ corpus non consecratur nisi per Sacerdotem, siue bonus sit, siue malus. Per verba enim Sacra &c.

In quinto capitulo iudicamus, & conuincimus hæreticos esse istos, noui Testamenti authoritatibus. Nolunt enim confiteri quod vir, & mulier possint saluari, si carnaliter misceantur. Quod quidem palam prædicare soliti sunt, quod vir, & mulier saluari non poterant, si carnaliter conuenirent. Laudant enim, & approbant pecudum fœcunditatem, & improbant hominum fœcunditatem. Amant sterilitatem mulierum, &c.

In sexto capitulo conuincimus, & iudicamus istos hæreticos esse, & ab vnitate Ecclesiæ præcisos, sos, noui Testamenti authoritatibus. Dicimus enim quia ministerium, & potestatem ligandi, atq; soluendi Dominus tradidit Petro, dicens: quodcunq; ligaueris super terrã &c. Et paulò post: Præterea dicimus, quod

quod stantes deberent de Euangelio respondere, & disputare, cum omnes Christiani stent, quando Euangelium recitatur: & si tunc statur, cum legitur, multò fortius cum legitur, simul, & exponitur. Nec debuissent tenere locum sedendi, postquam elegerunt locum standi. Multas enim habemus, &c.

Sanctitatem, & simplicitatem discimus ex ipso Concilio.

Nam 1. vetus testamentum non recipiebant, quod proprium Manichæorum fuit, à malo enim principio esse dictitabant. Ideo authoritatibus noui Testamenti contra eos agunt Episcopi. Tandem confessi sunt se recipere illa testimonia, quæ inducuntur à Christo, vel Apostolis.

2. Fidem suam profiteri pertinaciter recusarunt, & post palinodiam iurare renuerunt, hac parte pares Anabaptistis.

3. Negabant Christum pro omnibus crucifixum, & ne aduersarij hoc pro se dictum arripiant; addiderunt: tantum saluari maiores.

4. Baptismum infantium negabant: hos duos errores colligo ex argumentis Episcoporum eos oppugnantium, tanquam assertiones Albiensium.

5. De Corpore Domini, loco, & modo, & per quos conficeretur ab Ecclesiâ diuersum censuerunt, vt patet ex capit. 4.

6. Matrimonium tollebant, & fœcunditatem, quod omnino Manichæum; & ex impiâ de duobus principiis opinone.

7. Si milites vulnerarentur, an saluarentur, si pœniterent in fine? de illis dicere noluerunt. Subiunxerunt deinde contumelias in iudices. Manichæos itaq; apparet fuisse.

8. Fuerunt alij eorum errores apud Guidonem, Bernardum, Antoninum, vt abstinendum ab omni iudicio sanguinis. Laicos absoluere, & consecrare

posse

posse si iusti essent. Semel in anno consecrandum recitando septies Pater noster &c. Symbolum contemnendum. Vrente libidine omnem mistionem esse licitam. Perfectis, non esse manibus laborandum. Imitati sunt & vitam Monasticam, vt Abbas Vrspergens. anno 1212. Varia fuisse illis nomina constat ex Concil. Lataren. 3. cap. 27. Trithem. in Chronico anno 1160. eos, ait, relictis omnibus Euangelicam paupertatem professos. idem Æmylius lib. 1. de gestis Francorum. Frustra igitur eos defendit aduersarius, contra omnem historiæ veteris fidem clamans, Pontificio furore oppressos. Illo verò tempore Manichæos in Lombardiâ invaluisse constat ex eodem Antonino, & vitâ Sancti Petri Martyris, qui & eorum insidijs occubuit. Contra eosdem anno 1200. missi duodecim Abbates, quorum comes Sanctus Dominicus adiunctus, itaque magna incrementa ceperant. Nec illos in suis numerare debet ignorantia Caluinistæ, quia multa communiter errant, sed detestari quia in maximis dissident.

An Caluiniani fuerint Albigenses.

Nec vllius momenti sunt, quæ obijcit aduersarius. Scholas & Sophistas non habuerunt, sed rusticâ malitiâ fuêre peruicaces. An ipsi Manichæi Scholas, & Sophistas habebant? Sufficit, imò nimium est ad hæresin imperitia, & contumacia. Quod hodieque vel tristissima Anabaptistarum peruicacia plus satis ostendit.

De libello cur fabulam vocet non video, nisi quia obstat illi veritas, quam semper insectatur. S. Dominicus & à Deo petere miraculum, quo errantes reduceret, & Deus exaudire seruum suum potuit. Nisi & Eliam πυρομαντείας accusare audeat, cui nihil inausum, noua hæresis, qui impetrato igne causam bonam incredulo populo probauit.

Pareus pag. 192. & 227. & pag. 298.

Error Libertinus non est ex Caluinismo; etsi esset,

Origo Libertinorũ.

P

esset, non tamen suspecti esse debent Zvvingliani, nam Lutherani & Caluiniani, de Papatu exierant, nec ideo tamen Papistæ Lutherani vel Caluini dogmatis assentiuntur.

Secundò, Caluinus eos refutauit, non igitur genuit.

Tertiò, dogmata sunt diuersa Caluini, & Quintini.

Quartò, ex Catholicis originem traxerunt, nam fuêre in locis Catholicorum, deinde illis sterrentibus hæreses suas euulgarunt.

Quintò, illis in regionibus inceperunt, vbi ne nomen quidem Caluini auditum.

Defensio.

Quando in re perspicuâ, mundo vniuerso oculos aduersarius eruere conatur, ne videat, operę precium est, de Libertinorum origine prolixius agere, vt homini aduersus veritatem contumaci, sua dedecora demonstrentur. Principio quidem non est nostra de loci, generisue affinitate, vel propagatione, sed de doctrinæ traduce instituta disputatio. Nam & de sanctissimis sceleratos esse natos, & ipsa Dei templa improborum contaminationibus profanata esse diuina scriptura testatur. De fructib. itaq; doctrinæ, quid ex vnaquaq; sequatur agendum est. Quis error cui initio sit consentaneus, quæ blasphemia, de quo errore succrescat. Itaque nec nobis obsunt Lutherani, quas de areâ Catholicâ leues paleas manente tritico primus auster euentilauit, nec Caluinistæ, quos ne vera religio cœlo maturos educeret, à nobis libidinum putredo deciduos fecit. Quod nati, quod intra Ecclesiam educati, nobis debent, quod exciderunt, suo vitio factum negare possunt: ad primum ergo responsum satis est.

Quomodo illa consideranda?

Nec firmior altera ratio: Refutare conatus est, quam fecit sectam, sed nec serio, nec suis decre-

tis consentaneè, Pelias hasta vulnus quidem opemque tulit, at Zvvinglij & Caluini stylus vulnus quod inflixit, medendo exasperauit, vt iam carcinomatis instar longè lateque miseras animas absumat.

Tertia ratio facile retorqueri potest, & nimis ex vero. *Consensus Caluinianorum & Libertinorum.*

Nam Libertini: *Quæcunq; fiunt* ab hominibus bona, *vel mala fiunt à Deo.* Caluinus l. 2. inst. c. 4. 4. *Vt videas efficaciam agendi* penes ipsum (Deum) illos ministerium duntaxat præbuisse.

Libertini: *Peccatum, mundus, diabolus est mera opinatio.* Caluinus non quidem exerte, custos Gebennensis Priapi, non indiligẽs, sic pronunciat, sequi tamen infanda eius pronunciata docebit caput septimum. Et sane venenum quod non virulentiâ, sed solâ opinatione, dum creditur non nocere, euanescit dum creditur nocere, interficit, non naturâ sed opinatione venenum est.

Libertini: *Reprehendi non debent, qui occidunt,* &c.

Zvvinglius: *At inquies: Coactus est ad peccandum: Permitto inquam coactum esse.*

Libertini: *Hinc sequitur more porcorum concupiscentiam sequi, non modo licere, sed etiam oportere.*

Herman: Reneccerus, *Quia occulta Dei virtute & directione quo nesciunt pertrahantur, arcana vi tanquam fune.*

Libertini: *Pœnitentia est, agnoscere se nihil mali egisse.*

Caluinus: *Ipsi Deo ministerium duntaxat præbuerunt, & cum credunt esse remissa, iam remissa sunt.*

Libertini: possumus esse sine peccato.

Caluinistæ: *Nobis non imputantur, etiam ante pœnitentiam, nam credimus ea non imputari, fides autem prior est pœnitentia.*

Libertini: *Christus ex Dei spiritu compositus est,*

mortuus est, cum aboleuit opinionem peccati, reuixit, cum docuit nos esse spiritum Dei.

Caluinistæ: *Ex Deo, & tectorio nequitiarum nostrarum est compositus, nostra enim omnia scelera tegit manentia. Nos pro iustis habet, quia iustus ipse est. Mortuus est, vt viuida peccata nobis non nocerent, reuixit, vt in ipsis peccatis nos perfectè beatificemur.*

Libertini: *Simulatio licita est.*

Caluiniani. Anno 1556. dicere licuit: *Corpus Christi verè & realiter est in cœna: deinde plaudentibus Lutheranis: De cœna quæ in cœlo peragitur, interpretari.*

Libertini: *Scripturæ non sunt magni faciendæ.*

Conradus Vorstius in pleniore responso. Ad obiectiones fratrum præsertim R. Dontelockij. §. 8. *Deniq; obiicitur imprimis illud de Apostolis, aliisque N.T. Scriptoribus, quod dicantur in rebus leuiculis errare, aut memoriam labi potuisse, &c. Sed annon eadem, aut similia habet Caluinus, cum interdum eosdem N.T. Scriptores aut superflua quædam tradere, aut alia magni momenti omittere, aut ordinem temporis in historia turbare, aut quædam ex V.T. minùs appositè citare, &c. non obscurè scribit? Pro multis sit vnus ille locus in 1. Ioh. 2. 14. vbi disertè ait,* repetitiones illas Apostoli esse superfluas, in his scilicet verbis: Scribo vobis pueri, &c. *Sed vt Caluinum hic omittamus, quid de Franc. Iunio videtur? qui in locis communibus recenter hîc impressis, lib. 1. c. 19. non veretur affirmare,* Scriptores N. T. aliquando scientes, prudentes præter veritatem historiæ quædam scripsisse. Sic enim apertè scribit pag. 61. & 62. eos interdum recepto errori aliquid ex charitate condonasse, & propter opinionem publicam, à veritate historiæ deflexisse, adeoque præter veritatem quædam S. textui inseruisse, &c. idque speciali exemplo Sancti Lucæ confirmat, qui contra veritatem *historiæ* Mosaicæ nomen Kenanis in genealogia

Caluinistæ in scripturas blasphemi.

Tribuunt scripturis mendacia.

Christi

Christi posuerit, ne videlicet eos offenderet, qui græcæ V. T. versioni assueuissent, in quâ nomen illud exstabat, &c. *Quod si hæc assertio Francisci Iunii excusari potest (de quo sententiam meam proferre iam nolo) cur non saltem alia similis hæsitatio, aut concessio, excusari poterit? Certè enim grauius est, scientem, prudentem aliquid contra veritatem historiæ scribere, quam* σφάλμα μνημονικὸν *in re leuicula admittere. Et rursum maius quiddam est, certo illud prius de aliquo asserere, quam per concessionem posterius istud aduersario largiri. Sed ista iam sufficiant. Plura id genus exempla ex Doctoribus nostris, vbi opus erit, alia occasione afferri poterunt: saltem vt appareat, eos magna prosopolepsia laborare, qui eadem, aut similia dicta in vno liberaliter excusant, quæ in alio tanquam hæretica, & impia traducunt.*

Libertini igitur de vestris sunt, de illâ aspide reguli, pudendus fateor fœtus; sed vobis aut tollendus, aut errorum suauiter blandientium hæreditas deserenda. Nam obsecro quid nefas illi ducent, qui Spiritum sanctum memoriolâ vacillare, scientem prudentem in publico diplomate mentiri affirmant? Affines igitur sunt, & inter se amicè conspirant Caluinus, & Quintinus. Sensit id Vermilius Professor Tigurinus, dum in 2. reg. cap. 6. Propositiones Caluini vocat LIBERTINAS, execrandas, sacrilegas, abominandas, & planè diabolicas. Senserunt Seruetus & Castalio, consensit ministerium, & senatus Bernatium, qui Caluini libellos damnatos per carnificem exusserunt, & edicto exulare iusserunt. Et sunt tamen Zvvingliani.

Consensum illum docent Caluiniani.

Liber Caluini a Bernatibus exustus.

Quòd verò, ait, à Caluino refutatos stertentibus Papistis: malignum est conuitium. Magistratum, & Doctores Neruiorum multa excusant. Nam patriâ ob perfidiam, vel egreßi, vel eiecti sunt, cum autem in Gallias se conferrent, & Zvvinglianos adirent. Propter

Catholici restiterunt Libertinis.

Fraus Libertinorum.

pter verbum Dei migrare se fingebant. *Tamen dissimulare non possum* (inquit Caluinus c.4. instructionis, aduersus Libertinos) *quod ex Stephano à Fabrica intellexi: (cuius recordatio vt sancti Christi martyris, inter fideles sancta esse debet:) nempè istos potius ob maleficia, quàm ob verbum Dei è patria sua egressos esse.* Et paulo post: *Quantum enim perspicere potui, canes isti hac vtuntur astutia, vt sese insinuent, sub prætextu nominis seruorum Dei, sicq; simpliciores seducant.* Si ob maleficia egressi, certè supplicia timuerunt. Si namq; in patriâ tuto venena sua spargere, & saginâ suâ incrassari porci illi potuerunt, causa nulla erat, cur Gallias, Heluetiasque pererrarent, Bucero & Caluino adularentur, commendatitias ab illis emendicarent.

Postremum; *illis in locis ne nomen quidem Caluini auditum fuisse, falsum est.* Orti sunt in Belgio, Tornacum ea primum peste infectum fuit. Factum hoc circa annum 1532. nam Epistolam ad Rotomagenses anno 1547. Caluinus scripsit, & paulò ante instructionem, in illâ c.4. ait, *à quindecim annis Coppinum docere cœpisse.* At eo tempore iam non modò innotuerat, verùm lato contagio vulgatus erat Zvvinglianismus, & auctoris sanguine efferata sacramentariorum hæresis specimen sæuitiæ dederat. Iam hæc totâ Germaniâ, Galliaque disputabantur, iam Marpurgi tentata concordia cum Lutheranis omnium in ore versabantur, adulta iam hæresis annorum videlicet septem & decem, mouebat lacertos, & Belgæ hæc ignorarent? Etiamne Belgæ milites Caroli Quinti? an nō Hannonia, Artesia, Flandria vicinæ sunt Franciæ? certè anno 1538. si Sleidano credimus, non pauci erant Belgæ Caluinismo initiati. *Et quum religionis atq; doctrinæ causa multis esset emigrandum è Galliis, atque Belgio, Senatus Argentinensis templum illis aperuit, vt Ecclesiam constituerent, huic primis aliquot annis Ioannes Caluinus Nouiodunensis, deinde Petrus Brulius præfuit:*

Quando cœperunt Libertini?

Exules Caluinistæ Argentorati.

Vnde illi è Belgio migrantes? & tam multi vt Ecclesiam constituerent? Quid verò Caluinus? post annos quindecim à viso Coppino, decem à noto Quintino, tres, à colloquio Antonij Pocquij, contra eos scribere aggressus est. c. 4. Instructionis, nam ante dissimulandum ratus fuerat; & silentij causas reddit. Quid mirū si Magistratus Catholicus, & doctores non præcipitarint? Martinus Bucerus Pocquio testimoniū dedit vt Caluinus c. 4. Instructionis testatur. Quid mirum si nō cōtinuo eos nouit Magistratus Catholic⁹? Scribit Caluinus c. 8. *Eos anguium se more inflectere, & cōplicare, nullo affici pudore, quod exprobretur, nullā esse in eorū verbis fidem ac constantiā; Ex eodem* (inquit) *fonte manat hæc simulatio, qua sibi permittunt omnem speciem induere, quo placeant hominib. Quemadmodū nulla est ipsis religio coram idolis se prosternere: ita se omnib. superstitionibus Papistarum adhærere simulant, quòd ex eorum opinione externa omnia in hominis Christiani libertate posita sint. Verum hoc argumētum in aliud tempus reseruo.* Et Epist. ad Rotomagenses. *Nam ex præclara ista, quam sequuntur, philosophia, simulare, mentiri, fallere, atq; in omnes formas sese immutare licet, vt ijs quos carnales vocat, imponatur. Ita omnia abnegauit, asserens Papistico ritu, se optimum, vt vocant, Catholicum esse.* Quid mirū ergo si aliquandiu latuit? & postea tamen & Pocquius, & Quintinus animaduersionem Catholici Magistratus, & doctorum sensere. Deinde statum questionis ignorat aduersarius. Innumeri contra eos Catholici disputarunt, scripserunt, quotquot erroris fontem, Caluinismum obturare conati sunt.

Libertini latere quomodo potuerint.

Itaque vt ad 4. respondeam, & Antonio fuit materies de Caluino, de Zvvinglio. In apertas blasphemias non nisi per gradus itur.

Nemo de repente fit pessimus, aut si conscientiam suppressit, non tamen mox, & famam contemnit. Gradus est nequitiæ ad Libertinismum Caluinismus.

Docui hac ratione firmâ, docebo & testimonio Caluini.

Libertinismum esse ex Caluinismo docetur testimonio Caluini.

In Epist. ad Rotomag. *Vnica enim, vt aiunt, cantilena ipsi nota est, quam perpetuo recinit: nempe cum Deus rerum omnium auctor sit, nullum iam boni, & mali discrimen esse habendum.*

Secundò Caluinus c. 11. subindicat, Quintinum esse apostatam, *Accedat enim Quintinus, aut alius apostata ab eius cohorte.*

Principio Caluini nititur Libertinismus.

Tertiò. cap. 13. *Nihil eorum iudicio perperam geri potest, cum Deus sit auctor omnium. Vt autem res apertius declaretur, exemplum aliquod sermocinationis eorum adducã. Cum aliquando porcus ille Quintinus fortè in locum venisset, vbi quidam interfectus iacebat atque illic adesset aliquis vir pius, qui præ horrore diceret, Hei mi. Quis hoc scelus admisit? statim ille Picardico sermone suo respondit: Ego, si scire vis admisi. Tum alter veluti attonitus. Tune, inquit, adeo scelestus es? Excepit Quintinus. Is non sum, sed Deus. Quî, inquit alter, suntne imputanda Deo crimina, quæ puniri iubet? Tum putidus ille venenum suum magis euomere cœpit, inquiens: Ita res habet: tu ipse admisisti, ego admisi, Deus admisit. Quod enim ego, aut tu facimus, Deus efficit. Quod etiam Deus facit, ipsi facimus. Nam in nobis est. Hoc concesso, imputandum esset Deo peccatum: aut concludendum nullum in mundo peccatum fieri, cum nihil sit quod non fiat à Deo. Sic omne boni, & mali discrimen tollitur. Vnde sequetur, nobis non licere aliquid, vt malum, vituperare, cum omnia sint opera Dei: licebitque hominibus veluti laxis habenis quicquid in mentem venerit, peragere: non solum quia sumus extra periculum peccandi, sed etiam quod desideriũ aliquod cohibere, sit impedire Deum. Exempli gratia. Scortatus est aliquis? Vituperandus non est. Nam Deo irrogaretur blasphemia. Concupiuit vxorem vicini sui quispiam? Ea potiatur, si potest.*

Certo

Certò enim scit, se nihil à voluntate Dei alienum facere. Quod ad fortunas attinet: Qui eas arripere poterit, aut vi, aut subtili aliquâ ratione, audacter id faciat. Nihil enim suscipiet, quod non probetur à Deo. Qui rapuit omnia quæ potuit, ne multum de iis restituendis laboret. Neque enim conueniens est, vt Deus corrigatur. Postea quidam præclaras istas speculationes in commodum suum vertunt. Nam quicquid sit, nec se attingi volunt, nec Deum quem imaginantur, quicquam agere, quod eis nocumento esse possit. Si quis autem detrimentum in se, aut bonorum iacturam tulit, rident, eaque omnia optima esse aiunt: eos etiam litigare cum Deo, qui sceleris authores accusant. Sed si vel minimus eorum digitus attingatur, bellarum istarum rationum obliti, statim in bilem prorumpunt, nec vlli stomachantur vehementius. Historiam iucundam hic narrabo, qua ostendam quid eis, cum maxime necesse est, prosint hæc deliria. Lutetiæ quidam cerdo huius sectæ veneno sic imbutus erat, vt iam nihil malum esse iudicaret. Accidit vt cum is aliquando Stephanum à Fabrica inuiseret, cum quo aliquid vsus habebat, eumque mœstum reperisset propter famulum, qui eo derelicto pecuniam aliquam secum abstulerat. Præcipua verò tristitiæ caussa erat, quòd verebatur ne alicubi abuteretur, apud negotiatores, ipsius nomine. Cerdo ille rogauit, quid eum malè haberet. Ille tribus verbis respondit, vt erat vir paucorum verborum. Statim cerdo se attollens, quasi expansis alis supra nubes volaturus, Stephanum reprehendit, quasi blasphemantem Deum, quòd eius opus nequitiam vocaret: cumq; Deus faceret omnia, nihil censendum esse malum. Stephanus sciens se nihil ratiocinando cum illo profecturum, vno verbo sermonem eius abrupit. Aliquot postea diebus accidit Dei voluntate, vt huic Philosophastro cerdoni famulus quidam furtum faceret. Ille quasi furore correptus hac, & illac discurrens, aliquid de famulo audire satagebat. Cum non reperiret hominem, ad Stephani domum

Cerdo Parisiensis libertinus.

mum accessit, vt conquerendo, ac eiulando animum alleuaret suum. Iam cæperat conuitiorum aceruos in furem illum iactare, atque vlterius progressurus erat, cum Stephanus sic eius sermones interrupit. Quid? Siccine, ait, blasphemandum est? An possumus accusare Deum? Si ipse hoc fecerit, potius laudandus est. Phanaticus ille suis verbis, quibus antea vsus erat victus, & pudore suffusus abiit: nec tamen propterea resipuit. Nec doctrinam modo, sed ipsa quoque verba ex Caluino mutuatus est. Ita initio Epistolæ: *Imò nullo apparatu vtitur hic impostor, quem ex doctrinâ nostrâ furatus non sit. Contestatur quidem sibi longè esse aliam mentem; seque Deum auctorem mali facere nolle, affirmat. Sed quid prodest eiusmodi subterfugium in re tam apertâ? Si alicuius malam percussero, an excusabor, si obtester, me offendendi hominis causa id non fecisse.* Quod ille de libertinis, hoc de illo omnes cæteri affirmamus.

CAPVT II.

1. *Status quæstionis inquiritur.*

Explicatur status quæstionis.

Bellarminus.

SI quæramus: An sit Deus auctor peccati? Negant & Caluinistæ, sæpe & Libertini. Probandum est igitur, hoc eos, quod confiteri verentur, sentire.

Pareus pag. 193.

1. Non ergo de reipsa agitur, sed personis. 2. Nostri negant Deum peccati auctorem esse, hoc ergo sentiunt, cur enim fallant? an Bellarminus καρδιογνώστης;

Defensio.

Status quæstionis. Primò, Dum hæreses oppugnantur, personas non depingit modò, sed etiam damnat Ecclesia, noscendi sunt, qui tam infanda docuerunt. An non Caluinus perso-

personas libertinas insectatur? *Quin imò* (inquit ea. 4. Instructionis) *quisquis vel tantillum zeli habet, potius niti debet, vt cognoscantur à summis, & infimis. At omnes ad pueros vsque ipsos conspuere in faciem prætereuntium deberent*, &c. Cur adeò seriò se Caluinus excusat, nisi quia hæc dici videbantur in fratres? Quàm diligenter se purgat Epist. 62. ad Reginam Nauarrenam, quæ hæc in se, & domesticos scripta, querebatur?

Secnndò, Ni vera nossem, negantibus crederem. Nihil opus arcana cordium scrutatione, ne illa, quidem, quam loquentium pectoribus inesse philosophus optabat, fenestrâ. Iam nimium per scripta blasphema latentis vomicæ mephitis exhalat. Quod voce negant, alia iam voce dederunt. Conuinci possint, victos vt se fateantur, adigi non possunt.

CAPVT III.

1. *Sententia Zvvinglij, Caluini, Bezæ.*
2. *Iniqua de Societate nostrâ querela aduersarij.*
3. *Cur cæteros hostes lenius tractet quam Bellarminum?*
4. *De causa peccati sententia Parei.*
5. *Eius sententiæ censura.*
6. *Deus non vult peccata vt sua iudicia.*
7. *Deus destinat hominem ad peccata vt peccata iuxta Caluinum.*
8. *Eadem Bezæ sententia.*
9. *Necessitas fati excusat à peccato.*
10. *Deus iuxta Pareum aliquando peccatum concessit.*
11. *Zvvinglii Deus non operis modo, sed & criminis auctor.*

12. *Deus Zvvinglii legem tulit, vt violaretur. Cogit ad peccandum, & quidem vi irresistibili.*
1. *Frederici VVirtenbergici principis de Caluinistis elogium.*
14. *Caluinus permissionem reÿcit.*
15. *S. Augustini sententia.*
16. *Opinio Bezæ de lapsu primi hominis.*
17. *Aphorismi Bezæ.*

Sententia Zvvinglii, Caluini, & Bezæ ex ipsorum verbis in medium adducitur.

MAgna pars disputationis hoc capite peragitur, tota enim victoriæ spes aduersario in latebris est, lucem horret, fugitque, vi igitur extrahendus est, vt illam cogatur intueri.

Bellarminus quinque propositionibus Caluinianam sententiam complectitut compendio, eam deinde Zvvinglii, Caluini, Bezæ testimoniis asserit.

Bellarminus.

Sententia Zvvinglii, Caluini, Bezæ de causa peccati ex parte Dei, quinque propositionibus comprehendi potest.

Sententia Zvvinglii Caluini Bezæ.

Propositio 1. Deus non solum permittit, sed etiam vult fieri quæcunque fiunt ab hominibus peccata.

Propositio 2. Deus non solum vult fieri, sed etiam ab æternitate decreuit, vt fierent, quæcunq; fiunt ab hominibus peccata; idque non præuisa determinatione voluntatis humanæ. Deus enim non decernit quicquam, quia præscit futurum, sed præscit futura, quia ipse decreuit vt fierent.

Pro-

Propositio 3. Deus non solum ab æternitate decreuit, vt fierent quæcunque fiunt ab hominibus peccata, sed etiam imperat Sathanæ, & improbis hominibus vt concipiant maleficia, eosque ad hoc inclinat, impellit, & etiam cogit.

Propositio 4. Deus non solum imperat Sathanæ, vel eum inclinat, & impellit, vt homines ad peccandum inducat, sed etiam ipse Diabolus operatur in mentibus hominum impiorum, & per eos vt per sua instrumenta, ipse tanquam prima causa facit ea omnia, quæ respectu hominum dicuntur, & sunt verè peccata.

Propositio 5. Tametsi ea quæ respectu hominum dicuntur, & sunt verè peccata, fiant Deo volente, iubente, definiente, imperante, & operante: tamen respectu Dei non possunt dici, nec sunt peccata, sed opera bona & iusta, quia homines malâ intentione, Deus autem bono consilio idipsum facit. Proinde Deus neque ipse peccat, neque ipse est author, & causa peccati.

Pareus pag. 196.

Hoc capite, & sequentibus aliquot Bellarminus verè Iesuitam agit, hoc est, Sophistam, & calumniatorem: Quia sciens volens mentem eorum, quos oppugnat peruertit, indeq; blasphemias concludit. Calumniandi propositum ipse titulus prodit. Ex verbis ipsorum dicit se eorum sententiam in medium adducere. At ex verbis non corruptis, non detortis: sed ex mente illorum intellectis id erat faciendum: non enim in verbis, sed in sensu est hæresis: Sed sæpe sub verbis apparenter incommodis, latet commodus sensus: modo candor adsit. Denique scriptura eisdem phrasibus vtitur.

Defensio.

Toties repetitis næniis nouâ responsione nihil opus est. Si enim Sophista Bellarminus & Calumniator, quid facies omnibus Lutheranis, plerisque Caluinistis, Arminio, Castalioni, Vorstio, Tectandro, Coruino, Bertio, omnia isthæc atrocius Caluino exprobranti-

Inique queritur de Societate Iesu Pareus.

brantibus? an & illi, tot, tamq; suorum amantes, imò tam sua dedecora tegere solliciti sunt eadem interpretatione Iesuitæ? an verum est, quod de Pareo affirmauit Scaliger, *ne semel quidem verum dixit*? Quid de Lutheranis censes? lege librum ab iis scriptũ hoc titulo: Absurda absurdorum absurdissima, Caluinistica absurda. Annon vel illi sententias bene retulerunt, an male detorquent? an omnes intestabiles, vt libere sit mendax Pareus? Cur mitius habeat alios, imò ne quidem appellet, quorũ millies acriores sunt inuectiuæ, in Bellarminũ lenius agenté tam furéter incurrat, causas ipse multas habet, mihi quadruplex occurrit.

Cur nos asperius quã alios hostes tractet parens?

Prima: Idoneum est illud imposturæ, vt rudis auditorum simplicitas; quem vnum perstringi assiduè audit, solum hostem arbitretur, à cæteris pacem, & συμμαχίαν exspectet.

Altera: Satanæ astutia, hominem contra illum concitantis, quem sibi obesse sentit, inducias reliquis ad tempus indulget, quos etsi hac in controuersiâ veritatis non alienos, alio tamen errore constrictos tenet, & vtrumque diuersa sentientes intra suas mandras, vt proprium pecus coercet.

Tertia: Non magno negocio declamatores illos, ἀσύστατα dicentes, etsi in parte orthodoxos, non tamen in solido veritatis pedem fixos, sed inter variorum errorum lubrica titubantes de gradu deiicit. Bellarminum inuictũ armis, maledictis oppugnat, vt auditores ipsa vehemẽtiâ perculsi nihil falsitatis suspicari audeãt.

Quarta, Hunc solum proficere, nec ignorat, nec tacet, ab hoc argumenta suorum doctores esse mutuatos non falso deplorat. Damno igitur suo ad rabiem tantam inardescit. Nos vero non modo verba Caluini, sed totam seriem, connexionemque, antecedentia, consequentia considerabimus. Nam totum argumentum, sensus impios, &, vt Vermilius Caluinista docet, diabolicos habet. verum nunc aduersarium au-

um audiamus Eleusinia sua excusantem, & fœda sacrorum obtectu loquentiæ celantem.

Pareus pag. 197.

Primò, De causâ peccati duo sunt errores, Manichæorum, & Libertinorum: Deum esse causam. Pelagianorum de nuda permißione figmentum. Media veritas, Deum mala hominum opera, nec efficere, nec ociose permittere. Nam quæ sunt actiones, motus, efficit physice, quæ occulta Dei iudicia moraliter. Quatenus mala sunt, & peccata permißiuè se habet. **Sententia Parei de causa peccati.**

Secundo, Decretum Dei æternum duplex. Primum, *omnia in omnibus bonum approbandi, & efficiendi, alterum omnia mala permittendi.*

Tertiò, Permittere vel est non impedire, quo minus fiat: Vel concedere non prohibere. Priore, *non posteriore modo peccatum permittit. Posteriore modo Deus permisit patribus* Polygamiam, *& Moses diuortium non prohibens, non puniens, sed concedens in politiâ.*

Quartò, Mala opera vel considerantur per se, vt sunt mala, vel ex accidenti, vt sunt occulta Dei iudicia, quæ Deus per hominum peccata exequitur. Peccatum vt est actio, & quæ est iudicium Dei per accidens ascribitur Deo, non vt est ἀνομία.

Quintò, Hinc propositio prima sic exponitur: Deus non solum permittit peccata, sed etiam vult fieri. *Permittit non impediendo, non tamen concedit. Vult voluntate permißiuâ; non approbatiuâ, vel effectiuâ.*

Propositio 2. Deus non solum vult fieri, sed etiam decreuit ab æternitate vt fierent peccata, idque non præuisa determinatione voluntatis humanæ. Expositio: *Deus vult fieri peccata voluntate permißionis, non approbationis, vel effectionis.* Decreuit, *decreto permittendi, non impediendi, non decreuit decreto approbandi, efficiendi; Non præuisa determinatione voluntatis humanæ; Hoc falsum: quia sine eâ præuisione nihil decreuit, alias penderet à determinatione creaturarum.*

Pro-

Propositio 3. Deus non solum ab æternitate decreuit, vt fierent peccata, sed etiam imperat Satanæ, & improbis hominibus, vt concipiant maleficia: eosque ad hoc inclinat, impellit, cogit. Expositio. *Decreuit fieri, id est, decreuit permittere fieri, non efficere. Imperat Satanæ maleficia pœnæ, læsionis, afflictionis, non maleficia culpæ, peccati, sceleris. Inclinat, impellit; improprie cogit, nam ea phrasi vti nollem, minus tamen est violenta. quam Bellarmini ex Hugone dicentis, cap. 13. §. Sed si forte. Deum voluntates malas non solum regere, flectere, sed etiam TORQVERE. Hoc grauius est.*

Ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum.

Propositio 4. Deus non solum imperat, inclinat, &c. Sed etiam ipse operatur in mentibus hominum impiorum, & per eos, vt per sua instrumenta ipse tanquam causa prima facit ea omnia, quæ respectu hominum dicuntur, & sunt verè peccata. Expositio. *Imperat, inclinat, torquet modo iam dicto. Non vt inducat ad peccatum, sed vt per eos sponte male agentes sua iudicia exequatur. Eques equum impellit, vt ambulet, non vt claudicet; motus tamen non potest non claudicare. Deus prima causa rerum, non scelerum.*

Propositio 5. Hæc respectu Dei non sunt peccata, qui tantum materialiter efficit, vel vt iudicia sua, &c.

Defensio.

Censura sententiæ Pareana. Multa rectè, quædam malè, nihil pro defensione suorum: omnia inconsideratè, vt, quicquid eripere orthodoxis subdolè conatur, aliâ versurâ compenset.

Primò, verè dictum: *Deum opera mala nec efficere, nec ociose permittere.*

Secundò, *actiones physicas physice efficere.*

Ter-

Tertiò, *Decretum duplex, bona faciendi, mala permittendi in Deo esse.*

Quartò, *Peccata permittere, hoc est, non impedire, non tamen concedere.*

Quintò, *Mala, vt mala, Deo non ascribenda.*

Sextò, *Deum velle fieri peccata, hoc est, velle permittere, non approbare, vel efficere.*

Septimò, *Deum decreuisse, decreto permittendi, non efficiendi, vel approbandi.*

Sed hæc vera falsis deinde corrumpit. Falsum enim

Primò, *Secundum hæc sentire Caluinum, sunt igitur ἀπροσδιόνυσα.*

Secundò, *Falsum, Deum velle efficere peccata, vt sua iudicia.*

Tertiò, *Falsum sic mouere voluntatem peccantem, vt sic mota non poßit, non peccare.*

Quartò falsum: *Deum patribus permisisse, hoc est, concesßisse, hoc est, non prohibuisse, non puniuisse in Politia, Polygamiam, & diuortium.* De his breuiter.

Et quidem non iuuari distinctionibus illis Caluinistas docebo posterius, cum verba eorum proferentur Reliqua tria nunc refellam.

Secundum, *Deum velle peccata & efficere vt sua iudicia*, vt Caluinus & Beza exponunt impium est, & blasphemum. *Deus non vult peccata, vt sua iudicia.*

Quicunq; ita vult peccata, vt ad ea hominem prædestinet, moueat, impellat, vt peccatum ille euitare nullo modo posit, is auctor est peccati. Deus ita vult peccatum; autor igitur est peccati. Propositio perspicua est: Nam ille decreto efficaci, immutabiliq; efficacia statuit, ordinat, vt fiat peccatum, auctor ergo peccati. Assumptio illorum verbis conficitur. Duplex potest adhiberi solutio. Prior, *Deum tantùm velle, decreuisse permisßionem*: vera quidem, sed non accommoda Caluino ratio, quam aduersarius nunc reiicit, nunc approbat.

Alteri igitur solutioni insistendum est, *Deum velle peccata, non vt peccata, sed vt sua iudicia*, quam aduersarius, vt scurra ille suum; λήκυθον ἀπώλεσε, omnibus pene argumentis inspergit: Hunc igitur gradum primo obstruemus: quanquam crebrò deinceps incurret, sed nunquam impune. Argumentum nostrum est.

Duo Dei, iuxta Caluinum, decreta horrenda.

Deus voluntate effectrice, non solâ permissione hominem ad peccata, vt sunt sua iudicia, prædestinat; ergo ad peccata vt sunt peccata. Antecedens est aduersarii. Consequentiam probo. Caluinus, & Beza duo creatoris decreta agnoscunt.

Primum: *Reprobos ad æternum exitium nuda Dei εὐδοκίᾳ seu beneplacito destinatos, vt diuina in illorum cruciatu iustitia reluceret.* Secundum: ad peccatum, vt medium, eo fini consequendo necessarium, non modò præuisos, sed prædestinatos. Hinc peccatum illius ad exitium prædestinationis necessarium consequês, appellant plerique Caluinistæ, qui horridam primi rigoris hæresin amplectuntur. Illa duo scita Caluini arietem temperant, quo Parei distinctio quassatur, frangitur.

Deus hominem destinat ad peccatum, vt est peccatum ex Caluino.

Deus creaturam suam, decreto suo, omnes causas antegresso, absolute exitio destinatam, etiam ad medium, vt suo merito, miseriæ æternæ, arbitrâ iustitiâ infinitâ, reddatur obnoxia, destinat. Igitur ad peccatum, vt peccatum est, destinat. Non modo ad actum, seu materiale peccati, sed ad ipsam ἀνομίαν, formalitatem, fœditatem, abominationem destinat. Nam scelera media sunt, causæque suppliciorum, non vt actus, vt bona, vt opera, sed vt culpæ, vt inobedientiæ. Pœnæ, vt pœnæ, alternâ reciprocatione culpa vt culpa, respondet.

Verum ex ipsis hæc audire præstat.

Thesis 2. Caluinistarum in Colloq. Mompelgartensi est:

Cau-

Causa efficiens reprobationis est propositum Dei, quo placuit Deo, quosdam creare, & in EVM VSVM suscitare, vt iram, & potentiam suam ostenderet, vt in ipsis quoque glorificetur.

Reprobos in EVM VSVM, vt iram suam ostendat, suscitare placuit, ergo propositum habuit, suscitare ad hoc, vt *irâ suâ digni* inuenirentur, ergo ad peccatum vt peccatum, nam peccatum non aliâ ratione, quam suâ formali malitiâ iræ iustæ, qualis est iustitiæ creatricis, obnoxium est: Destinatur igitur homo ad scelera, vt iustitia Dei locum in eo habeat, vt sit dignus exitio, vt causam habeat æternæ miseriæ. Destinatur vt luat crimen quâ crimen, quâ crimen, inquam, destinatur, vt sit transgressor, inimicus, sceleratus, vas iræ, obiectum odii, Igitur destinatur vt sit peccator, quâ peccator. *Culpæ vt culpæ correlatiuum est pœna.*

Porrò Bezam audire quanquam animus horret, causa tamen hortatur. Colloq. Mompelg. pag. 523. *Cum iustitia præsupponat culpam, sine quâ iustitia exerceri non potest (vbi enim non est culpa, ibi iustitia locum habere non potest) ideo hominem quoque ita creari oportuit, vt seruata natura, aptus esset, in quo Deus iustitiam suam declarare posset; iustitiam enim suam in homine declarare non potuisset, nisi eum ad æternam damnationem destinasset.* Hæc sententia, & paratura est impii atque sacrilegi Bezæ, quæ nobis tota proficit. *Horrida Bezæ sententia.*

Qui enim hominem creauit ad suam iustitiam (vltricem, de hac enim agitur) declarandam, seu vt aptus esset, vt in eo declararetur, idem creauit ad id, sine quo iustitia exerceri, declarari, locum habere non potest; at sine culpâ hæc fieri non possunt: ad culpam igitur creauit, ad eam igitur & prædestinauit: Et quidem ad culpam quatenus eam iustitia vindex respicit, ad culpam quâ facit aptum exercendæ iustitiæ, ad culpam igitur quâ malum est, quâ

culpa est. Nisi cum Sebastiano Franck nugetur aduersarius, vt dicat: *Deum esse auctorem peccati, non mali,* quasi sit aliquod peccatum non malum.

Necessitas peccandi excusat à peccato.

Tertium æque blasphemum est. *Motum voluntatis peccatis necessarium esse, vt non possit, non esse.* Vnde & illud vulgi ignobilis: Was wir thun/ das müssen wir thun. *Mouet* (inquit) *vt sessor equum claudum, qui motus non potest non claudicare, sic Satan, improbi moti à Deo non possunt non peccare.* Si Angeli, Adam, Eua à Deo mouebantur, vt resistere nequirent, non peccabant igitur; non magis quam Astyanax à Graiis de turri præcipitatus, necessariò enim cadebat, non igitur ętas impos sui, ignaraque culpam ruinæ sustinebat. At *sponte prolapsi sunt.* Verum quod sponte fit, seu liberè, seu voluntariè (vt nunc generatim his vtar) id ipsum ita ordinauit, decreuit, mouit Deus, vt fieri non posset, quin spontè fieret, itaque spontem ipsam, vt ita loquar, voluit esse peruersam, cum decreuit esse ream, malam, pœnâ dignam. Mouet ergo vt spontè malum velint, quod volunt: v.g. vt scientes, volentes, lubentes Deum oderint: nec hoc per accidens, sed vt malum, vt causam iustam habeat, damnatione creaturæ gloriam suam, & potentiam declarandi. Verum de eo quoque recurret ex battologiâ Caluinisticâ disputatio.

Deus iuxta Lareum aliquando peccatum concessit.

Quartum euertit omnia priora. *Vel permissio* (inquit) *opponitur præcepto, seu interdicto; & permittere est concedere, non prohibere: sic Patribus Deus permisit Polygamiam, Moses diuortium, non prohibens, nec puniens, sed concedens in politiâ. Hoc sensu Deus non permittit peccatum, quia semper prohibet, nunquam concedit peccatum.* Caluino & Bezæ illæ Polygamiæ erant vera peccata, vide illum in 16. Gen. Nam Agar fuisse loco pellicis, legem Dei de vnâ vxore latam, non ergo concedebat, sed semper prohibebat, aut si hoc concedebat in politiâ, peccatum concedebat.

In-

Inchoat insignem hoc loco calumniam, paginâ scilicet 204, palmare mendacium, ex cap. 13. huc accersitum vt crebrius repeteret, nam facile vicies, & quidem grandiusculis characteribus expressum hoc libello spargit. Impostura tam effrons est, vt merito, nihil illi, ne iurato, nec iniurato in posterum sit credendum. Verba Parei recitabo, & Bellarmini, & quæ impostoriâ fraude tacuit, adiungam, vt hominis conscientiam cognoscant, quicunque non pertinaciter obluctari veritati, sed studiose illam inquirere satagunt. *Insignis Parei calumnia detegitur.*

Verba Parei.

Quod operetur in mentibus hominum impiorum, ipse aduersarius fatebitur infra sic scribens: Deus non solum permittit, impios multa agere mala, nec solum deserit pios, vt cogantur pati quæ ab impiis inferuntur, sed etiam præsidet ipsis voluntatibus malis, easq; regit, gubernat, & TORQVET ac flectit in eis inuisibiliter operando:

Ergo hic sentit cum Caluino.

Verba Bellarmini c. 13.

Sed si forte isti modi per omnia non satisfaciant, accedet alius, qui omnino satisfaciet. Deus igitur non solum permittit impios agere multa mala, nec deserit solum pios, vt cogantur pati, quæ ab impiis inferuntur; Sed etiam præsidet ipsis voluntatibus malis, easque regit ac gubernat, torquet, ac flectit in eis inuisibiliter operando, vt licet vitio proprio malæ sint, tamen à diuinâ prouidentiâ ad vnum potius malum, quam ad aliud non positiue, sed permissiue ordinentur.

Explicat hoc Hugo de S. Victore, lib. 1. de Sacramentis part. 5. cap. 29. his verbis. De illo autem modo diuinæ moderationis, quo malas etiam voluntates præ-

sidens occultâ, & inuisibili operatione ad suum arbitrium temperat, & inclinat, hoc sentiendum, vt credatur Deus malis voluntatibus non dare corruptionem, sed ordinem.

Et infra: *Voluntati ergo malæ vitium est ex ipsa, quo mala est, ordo autem ex ipsa Deo est, quo per velle siue ad hoc, siue ad illud est. In voluntate ergo vitium est, & ipsum malum est, & ex ipso voluntas mala est. In velle autem, & vitium est, in quantum velle ex voluntate malâ est, & ordo est, in quantum ad hoc, vel ad hoc ex disponente est. Et cum ipsum velle ad hoc aliquid est, malum est, quod ad hoc est, quia mala voluntate est: quod autem potius ad hoc; quam ad illud est, bonum est, quia ordo est, & ex bene disponente est. Potest ergo voluntas mala in se corrumpi, & resolui per proprium vitium. quod ei aliunde non datur: sed non potest per velle extra se præcipitari, nisi qua ei via aperitur. Vt qui præcipiti qua vult ad ruinam viam aperit, quodammodo ipsam inclinat, non impellendo, sed permittendo, & non tenendo; nec auctor illi est ruendi, sed incedendi ordinator.* Suo loco hæc clarius, nunc breui antithesi calumniam do in conspectum. Caluinus docet: Deum operari in mentibus hominum impiorum, eas physice mouendo, impellendo, cogendo, necessitando vt habeat, quos iure puniat.

Bellarminus docet. Deum mala facta permittere, deserere pios, præsidere malis voluntatibus, flectere eas & torquere, vt ad vnum potius quam aliud malum, non positiue sed permissiue ordinentur, non impellendo, sed permittendo, quæ quantum distent à calumniâ aduersarii suo loco apparebit.

Bellarminus.

Opinio Zvvinglii. Primum igitur Zvvinglius in sermone de prouidentia, quem scripsit ad Principem Cattorum Philippum Anno M.D. XXX. has tæterrimas, ac plane tartareas blasphemias habet. Nam cap. 5. ita loquitur:

Porrò

Porrò iniustitiam in sese vobis ostendere numen cum nulla ratione posset, vt quod vndique verum, bonum, sanctum natura sit, per creaturam iniustitiæ exemplum produxit, non quasi creaturæ illam suo marte produxerit, quæ nec est, nec viuit, nec operatur sine numine, sed quod numen ipsum auctor est eius, quod nobis est iniustitia, illi vero nullatenus est: Et infra: *Cum igitur Angelum transgressorem facit, & hominem, ipse tamen transgressor non constituitur. & cap. 6. Cum Deus operatur per hominem, homini vitio vertitur non etiam Deo.* Et infra. *Vnum igitur atq; idem facinus, puta adulterium, aut homicidium, quantum Dei est autoris motoris, impulsoris, opus est, crimen non est: quantum autem hominis, crimen, ac scelus est.* Et infra. *Cum mouet ad opus aliquod, quod perficienti instrumento fraudi est, sibi tamen non est, ipse enim libere mouet, neque instrumento facit iniuriam, cum omnia sint magis sua, quam cuiusque artificis sua instrumenta, quibus non facit iniuriam, si nunc limam in malleum, & contra malleum in limam conuertat. Mouet ergo latronem, ad occidendum, innocentē etiam, ac imparatū ad mortem.* Hæc ille.

Pareus pag. 207.

Primò, Nemo hanc Zvvinglii doctrinam initio reprehendit, ne Lütherus quidem. 2. Zvvinglius docet omnes creaturas, in Deo esse, moueri, peccatum tantum esse ex lege, sine lege nullum esse. ideo Deum non peccare, quia non sit sub lege, ideo cum Deum dicimus fecisse hoc vel illud crimen impropriè loquimur. 3. De prouid. ca. 5. Fortè offendit, quod dicit: Creaturam non produxisse iniustitiam suo marte. atqui hoc non vult, quasi homo non proprio ingenio, voluntate peccauerit: sed quod non suis viribus sine motione Dei, vt patet ex ratione additâ, quæ nec est, nec viuit, nec operatur, sine numine. Dicit numen esse auctorem eius, quod nobis est iniustitia. nempe ratione operis, sed sine peccato: quia Deus non mouet hominem contra legem, sed homo ipse sese.

Defensio.

Initio mox Zvvinglio contradictum.

Principio in ipso exortu tam nefandi erroris fuisse qui contradicerent, testis est ipsa Zvvinglii oratio, in obiectione diluenda in cassum desudans, Lutherani verò, vt auctori suo consulerent, timidius egerunt. Quantum enim egerunt, vt hæc verba Lutheri: *Mala Deus in impiis operatur, extererent?*

Deinde videt ipse quid offendat: 1. *Deum per creaturam exemplum iniustitiæ produxisse:* 2. *Creaturam non produxisse iniustitiam suo marte*, 3. *Deum auctorem esse eius, quod in nobis est iniustitia.*

Deus Zvvinglii non modo operis, sed & criminis est auctor.

Nec recte defenditur, Deum esse auctorem iniustitiæ ratione operis: Nam opus hoc cum omni circumstantiâ, prædestinando, determinando secundum Zvvinglium efficit, multo efficacius, quàm si hortator esset, & suasor, at suadendo opus, auctor merito haberetur. Non ergo ne malæ quidem motionis caussa, aut operis dicendus est, quasi ad hoc destinet, impellat. Rectius Augustinus libr. 12. capit. 11. confess.

Hoc solum à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te, qui es, ad id quod minus est, quia talis motus delictum atque peccatum est. Deniq; Deus eo motu, cum facit iniustitiam, seu id quod in homine est iniustitia, necessitaté homini imponit ineuitabilem; ipse igitur non homo auctor est.

Pareus pag. 208.

Cum facere dicitur angelum transgressorem, & hominem, ipse tamen transgressor non constituitur. Sensus est enim: per accidens fecisse transgressorem, dando legẽ.

Defensio.

Caluinus Zvvinglio resistit.

Sententiam Zvvinglii aduersarius reformat, quia à Bellarmino, mo & Caluino conuincitur. Nam Zvvinglius ideo Deum negat constitui trãsgressorem, quia contra legem non veniat. *Non est igitur,* inquit, *peccatum, quod Deus fecit, sed homini atque angelo est:*

Ecce

Ecce, non ait Zvvinglius: *Deus per accidens facit transgressores dando legem, sed non est peccatum, quod Deus facit, de eius operatione loquitur.* Quis enim dicat eum operari peccatum, cum legem dedit sanctissimam, quæ sine peccato violari non potest? De magistro ergo erubescit, nec tamen veritati cedit, inutili peruicacia. Nam Caluinus Zvvinglij præsumptionem exertè percussit. l. 3. instit. c. 23. §. 2. *Non fingimus Deum exlegem, qui sibi ipsi lex est, quia vt ait Plato, lege indigent homines, qui cupiditatibus laborant. Dei autem voluntas non modò ab omni vitio pura,* sed summa perfectionis regula, etiam legum omnium lex est. Sua ergo lege, suâ iustitiâ & bonitate bonum semper, nunquam malum vult.

At neque Zvvinglius, Pareano fuco adulteratus, defendi potest. Si enim Deus dando legem per accidens fecit homines, & angelos transgressores, ipse quoque ex paradoxis Caluinianis transgressor constituetur. Legem enim dedit eum in finem, immutabili consilio, vt illâ violatâ in crimen inciderent. Ita Beza pag. 525. *oportuit igitur Heuam, per Serpentem antiquum, Satanam persuaderi, vt legem à Deo, de fructu arboris scientiæ boni, & mali non gustando positam vna cum marito transgrederetur.* Legem igitur tulit, vt contra eam veniretur, quam violari oportuit, & vt oporteret ipse immutabili decreto constituit, finis ergo legis violatio, violationis exitium, lex ergo ad hoc data, vt instrumentum esset, & causa exitij. Atque hæ blasphemiæ sunt Caluinianæ, quibus nos opponimus scripturarum, & Ecclesiæ consensum; Verè Concil. Arausicanum cap. vltimo. *Aliquos ad malum diuinâ potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* Non ergo ne sic quidem defendi potest Zvvinglianus horror.

Deus Zvvinglii legem tulit eo fine vt violaretur.

At fortè ad permiſsionem confugiet aduerſarius, rectè quidem, ſed non conuenienter hæreſi, cui patrocinatur.

Beza pag. 525. Colloq. Momp. *Eua perſuaſioni ſerpentis aſſenſit. Idq; Deo neq; inuito, neq; ignorante, neque ocioſè præſciente, à cuius voluntate, nec paſſerculi excipiuntur, neque nuda, & ocioſa permiſsione aliqua quæ ab ipſius voluntate, & decreto ſeparetur. Quum enim fidem ordinauerit; neceſſe quoq; eſt, vt cauſas ad eum finem ferentes conſtituerit, niſi vel temere, vel cauſis ab aliquo Deo ex Manichæorũ opinione conſtitutis, eum finem eueniſſe contendamus.* Ecce permiſsio non ſeparatur à decreto, & voluntate, hæc ergo in ipſas cauſas, vt media ad finem ferebatur, adeóque media illa voluit, vt media, hoc eſt, vt peccata. Atq; hæc eſt ingenua Zvvinglianæ ſententiæ expoſitio.

Pareus pag. 209.

Dixit Zvvinglius: Quod Deus operatur per hominem, homini vitio vertitur, non Deo: Bellarminus rationem truncauit: Quia Deus non eſt ſub lege, ſed liber legis.

Defenſio.

C. 4. §. Tertia ratio. Rationem illam Bellarminus adfert ex Zvvinglio, & confutat. Eo & nos diſputationem reſeruemus. Eodem pertinet illa, de motu, & quæ in motu eſt, *ἀταξία diſtinctio.*

Pareus pag. 210.

An illud fortaſsè durius videtur, quod latronem moueat ad occidendum? non inficior. Id verò dum ratione motionis, in quantum latro non poteſt occidere alium, niſi motus à Deo: tum ratione occulti iudicii, quo Deus cogitat occiſum in cælum transferre, latronem in crucem agere.

Defenſio.

Extorſit veritas aduerſario non quidem confeſſionem

ſionem integram, animoſitatem defendendi tamen excuſsit. Verba Zvvinglij ſunt: *Mouet ergo latronem ad occidendum innocentem etiam, & imparatum ad mortem. Sunt enim capilli capitis noſtri numerati apud illum, quanto magis animi noſtri? Hic nemo dicet cur occidit per latronem iuſtum, & innocentem hominem? Non enim occidit, ſed viuificauit, hinc enim ad beatorum ſedem tranſtulit. Nec dicet quiſquam. Innocens igitur eſt latro: Deo enim impulſore occidit. Nam contra legem peccauit. At inquies: coactus eſt ad peccandum. Permitto inquam, coactum eſſe, ſed in hoc, vt & alter transferretur, & alter cruci affigeretur.* *Latro à Deo cogitur ad cædem iuxta Zvvingliũ.*

Fruſtra igitur duriſsima illa mollire conatur Aduerſarius. Flecti talia non poſſunt, frangi debent. Monet Deus, impellit, cogit latronem cruci, inferiſque iam ante, ſine culpa deſtinatum, vt neceſſario occidat, & ideo cogit, vt pœnam mereatur, vt iræ ſit obiectum, & iuſtitiæ. Deſtinat exitio, omnipotenti & irreſiſtibili vi, in crimen adigit, vt nolle non poſsit, velle malum, durum telum neceſsitas cogat, ſic decreto, præſcientiâ abſolutâ, motione, coactione miſeram creaturam, & imbecillam, poſtquam in facinus impulit, etiam nolentem, etiam renitentem, etiam repentinâ vitioſæ naturæ titillatione præuentam, immaui tyrannide doloribus excruciat ſempiternis. *Vis irreſiſtibilis Caluiniſtarum.*

Bellarminus.

Sed Caluinum audiamus. Is primum in lib. 1. *Inſt. c.* 17. §. 11. *ſic loquitur. Verum vbi in memoriam reuocant Diabolum, totamq; improborũ cohortem, ſic omnibus partib. manu Dei tanquam freno cohiberi, vt nec concipere vllum aduerſus nos maleficium, nec conceptũ moliri, nec ad perpetrandũ, ſi maximè moliantur, digitũ mouere queant, niſi quantũ ille permiſerit, imo, niſi quãtũ ille mãdarit, nec compedib. tantũ, eius teneri ligatos, ſed* *Caluini opinio.*

sed etiam ad obsequia præstanda freno cogi, habent vnde se prolixè consolentur. Nam vt Domini est eorum furorem armari, & conuertere, destinareq; quo libuerit; ita & modum, finemq; statuere, ne pro sua libidine licentiosè exultent. Hæc ille. In quibus verbis habemus tertiam propositionem, quam paulò ante notauimus in explicanda Caluini sententia. Hîc enim disertis verbis Caluinus dicit, *Deum non solum permittere, sed etiam mandare, vt Satan & improbi concipiant maleficia, & ea moliantur aduersus probos, & furorem ipsorum armari, & destinari à Deo, quò ipse voluerit, & tandem cogi quasi freno Satanam, & impios ad obsequia præstanda, id est, vt iuxta Dei mandatum maleficia moliuntur.*

Pareus pag. 211.

Sed insigniter calumniatur. Quod Caluinus dixit de maleficijs pœnæ, aduersarius torquet ad maleficia culpæ, quæ est improba calumnia. Nam permisit quatenus sunt δοκιμασίαι.

Defensio.

Maleficia pœnæ simul etiam scelera sunt.

Insignis hallucinatio. An maleficia illa ita sunt pœnæ, vt non & scelera? An qui mandat impijs, vt pios persequantur, pœnas, & læsiones solummodò, non etiam iniurias, facinoraque demandat? An Pharaonis, Sennacheribi, Neronis maleficia erant sine peccato scelera? ita Zanchius non ignarus Caluinismi. l. 5. c. 2. de naturâ Dei. Si igitur maleficia illa ad damnationem ordinata sunt, ideoque in illa compulsi miseri sunt, si ideo facti mali, vt fierent miseri, certe facti sunt mali, quatenus mali. Facinorosæ sententiæ non est opus manifestius Caluinum cõuincere. Nam ad hoc Deus ordinat miserorum peccata, vt pereant, maleficia illa ordinat ad exitium, ideoque vt scelera sunt, non modo vt pœnæ. Vana est igitur Caluinisticæ Theomachiæ defensio.

Pareus

Pareus pag. 211.

At longè minus est hoc, quàm quod aduersarius dixit: *Deum fecisse stupra Absolonis, in quantum erant pœna Danidis. c. 15. §. quod enim.*

Defensio.

Meritò Fredericus Princeps VVirtembergicus in præfatione, quæ Colloquio Mompelgartensi queritur de ingratis exulibus Caluinistarum: illis placere iuxta Theognidis sententiam illud: calumniare audacter, semper aliquid hærebit. Calumniæ tamen Pareanæ, non erit hoc præmI, nimis nuda est. Verba Cardinalis c. 15. sunt. *Quod enim primo loco dicitur, de incestu Absalon, dicitur Deus malum illud fecisse non qua culpa Absolonis, sed qua pœna erat Dauidis. Hucusque citatio calumniatoris.* At pergamus in Bellarmino. *Quamuis enim malum esset Absalonem peccare, quod non volebat, sed prohibebat Deus, bonum tamen, & iustum erat puniri Dauidem, quod voluit & fecit Deus. Fecit non excitando Absolonem ad malum, neq; illud ei suadendo, vel imperando, sed permittendo cum facilè impedire posset, vel etiam voluntatem eius ad multa scelera inclinatam auertendo, & cohibendo ab aliis, atq; ad hoc vnum illi viam aperiendo, id est sinendo in hoc, non sinendo ruere in alia.* Manifestæ igitur calumniæ teneris.

Frederici VVirtembergici de Caluinistis elogium.

Noua Parei calumnia.

Bellarminus.

Rursus in eodem lib. c. 18. §. 1. *Absurdum, inquit, videtur volente,* ac iubente Deo excœcari hominem, qui mox cœcitatis suæ pœnas daturus est. *Tergiuersando itaq; effugiunt, Dei tantum permissu, non voluntate etiam hoc fieri, ipse verò palam se facere pronuntians, effugium illud repudiat. Quòd autem nihil efficiant homines nisi arcano Dei nutu, vel quicquam deliberando agitent, nisi quod ipse iam apud se decreuerit, & arcana sua directione constituat, innumeris, & claris testimoniis probatur.* Et §. 2. *Et certè,* inquit, *nisi intus*

Caluinus excæcationem Deo tribuit.

intus operaretur in mentibus hominũ, non rectè dictum esset, auferre labium à veracibus, & à senibus prudentiam. Et paulò post: *Sed nihil, inquit, clarius potest desiderari, quam vbi toties pronuntiat, se excæcare hominum mentes, ac vertigine percutere, spiritu soporis, inebriare, incutere amentiam, obdurare corda. Hæc etiam ad permissionem multi reijciunt, ac si deserendo improbos à Satana excæcari sineret. Sed cum disertè exprimat spiritus, iusto Dei iudicio infligi cæcitatem & amentiam, nimis frigida est solutio.*

Pareus. pag. 212.

Quid ni? in quantum excœcatio peccatorum præcedentium est pœna. Sed de excœcatione cap. 14. ex professo.

Defensio.

Falsum est hoc sentire Caluinum: verum est, ne sic quidem posse defendi. Priorem partem probo. Nam Caluinus ibidem §.2. Quantum ad arcanos motus spectat, quod de corde regis prædicat Salomo: flecti huc vel illuc: pro vt Deo visum est, ad totum certè humanum genus extenditur, tantumque valet, ac si dixisset, quicquid animis concepimus, arcana Dei inspiratione ad finem suũ dirigi, & certè nisi intus operaretur in mentibus hominum, non rectè dictum esset, *Auferre labium à veracibus, & à senibus prudentiã.* 2. Asserit generatim: *Quomodo per illos* (reprobos) *agens nullam ex eorũ vitio labem cõtrahat, imo in opere communi, ab omni culpa sit immunis, ministros autẽ suos damnet, vix capit sensus carnis.* De primo etiam reproborum peccato hoc quæritur, quod non potest esse pœna præcedentium, aut si ad originale cõfugiat, fuit aliquis tamen in primo homine effectus obtenebrationis, licet in eo non perseuerauerit. Et in Angelis in omnem æternitatem mansurus, nec tamen pœna est peccatorum præcedentiũ. Multa sunt eo loco, quę ad

rem

tem nostram faciant. 1. *Hoc non capere sensum carnis.* 2. *Absurdum non esse volente, & iubente Deo excæcari hominem qui mox cæcitatis suæ pœnas daturus est.* 3. *Tergiuersando eos effugere permissu Dei, non voluntate fieri, hoc effugium Deum ipsum repudiare.* 4. *probationis Iobi Deum auctorem fuisse.* 5. *Quicquid agitent homines, vel Satan, Deum tamen clauum tenere,* &c. 6. *Mittitur* (Diabolus) *cum certo mandato vt sit mendax.* 7. *Ridiculum est iudicem tantum permittere. non etiam decernere, quid fieri velit.*

Caluinus aduersarij distinctiones reijcit.

Tandem concludit: *Ex quibus tamen satis, superq; liquet nugari eos, & ineptire, qui in locum prouidentiæ Dei nudam promissionem substituunt, ac si in specula sedens exspectaret fortuitos euentus: atq; ita eius iudicia penderent ab hominum arbitrio.* Euidens, & distinctiones simulatorias aduersarij repudiãs blasphemia. Si nuda esset in Deo scelerum permissio quasi in speculâ sedens, exspectaret fortuitos euentus, eius iudicia penderent ab hominum arbitrio, id nullâ in re, non in scelere, non in damnatione, non ergo est nuda permissio. De scelere quæstio est, nõ actione Physicâ quâ talis est. Sed de eo, quo de controuertimus. Si ἀνομία, & defectio Luciferi erat ex sola permissione, incertus ergo euentus. De peccato ergo, vt peccata sunt loquitur. Demonstrauit hoc præceptor meus Martinus Becanus, q. 1. contra Pareum. Eius verba. *Videamus iam, quod antea dixi, Deum ex sententia Caluini, auctorem peccati esse, non solum quoad actum, sed etiam quoad malitiam. Hoc dupliciter concludo ex dictis. Primo, quando Catholici docent peccata fieri Deo tantum permittente, loquuntur de peccatis, quatenus peccata sunt: ergo similiter Caluinus, quando contra Catholicos docet, peccata fieri Deo volente, ac decernente, loquitur etiam de peccatis, quatenus peccata sunt. Nam hæc duo Caluino idem valent Deum esse authorem peccatorũ, & peccata fieri Deo volente, & decernente,*

Deus Caluini peccata, vt peccata vult.

vt

vt paulò antè notaui. Secundò, Deus ex mente Caluini, vult fieri peccata, eodem sensu sumpta, quo illa prohibet: at prohibet peccata, non tantum quatenus opera quædam sunt, sed multò magis quatenus mala opera sunt: ergo etiam vult ea fieri, quatenus mala sunt: ergo sub eadem ratione est eorum auctor. Maior patet, quia nisi vellet, & nollet peccata eodem sensu sumpta non apparerent contrariæ in Deo voluntates; & obiectio contra Caluinum facta nullius esset momenti. Diceret enim Caluinus, Deum velle peccata, quatenus opera sunt; nolle, quatenus mala sunt; & ita cessaret obiectio. At hoc non dicit, sed potius confugit ad mentis nostræ imbecillitatem. Sentit ergo Deum esse authorem peccatorum, quatenus peccata sunt. Id magis confirmatur ex eodem cap. §. 4. vbi rursum obijcitur ex sua doctrina videri sequi, Deum scelerum omnium esse authorem, ac proinde immeritò damnari homines, si exequantur quod decreuit Deus, quia eius voluntati obtemperent.

Bellarminus.

Et paulò post de sceleribus Asyriorum: *Apparet,* inquit Caluinus, *certa destinatione Dei fuisse impulsas:* Et infra: *dicitur etiam idem Satan excœcare infidelium mentes: sed vnde hoc? nisi quòd à Deo ipso manat efficacia erroris, vt mendaciis credant, qui renuunt parere veritati.* Et §. 2. *Homo inquit iusto Dei impulsu agit, quod sibi non licet.* Ex his habemus quatuor propositiones, audimus enim Deum non solum permissione, & desertione, sed voluntate, decreto, impulsu, præcepto, internâ operatione efficere, vt homines cogitent, deliberent, agant, quæ sibi non licent.

Pareus.

Quem locum studio decurtauit Bellarminus. Nihil verò in illa prophetia manifestius, quam idipsum.

Defensio.

Isa. 10. 9. Mandabo ei, vt auferat spolia. Man-

dare

dare, sæpè permissionem significare Augustinus, Hieronymus, & deinceps Bellarminus docebit. Quia verò locum truncatum queritur, plura addam. Verba igitur Caluini. *Hæc etiam ad permißionem multi reiiciunt, ac si deserendo reprobos à Satana excœcari sineret. Sed cum disertè exprimat Spiritus iusto Dei iudicio, cæcitatem; & amentiam, nimis friuola est illa solutio.* At cœcitas, & amentia peccata sunt, hæc ergo infligit ipsis, & quidem sine illorum ministerio, non enim illi se cœcos, & amentes faciunt, sua aliqua actione peccatorum illorum productrice, sed à Deo infligitur, & quidem illa amentia, qua primò se scelere inquinant. Nam vt Iudæ amentiam, sic Adamo, vt fœminæ crederet, inflixit cœcitatem. Et paulò post. *Si indurare nudam permißionem sonat; ipse contumaciæ motus non erit proprie in Pharaone.* Non sequitur quidem illud, sed mentem Caluini satis superque indicat. Nam sic argumentor. Quod sola Dei permissione fit; non est propriè in Pharaone; aut: quod est propriè in Pharaone, non fit solo permissu Dei. Peccatum vt peccatum; est proprie in Pharaone, ergo non fit sola permissione. Eo sensu nisi loquatur Caluinus, aerem verberat, cum identidem nostros accusat; *Eludunt* (inquit) *insulso cauillo: dilutum ac insipidum esse.* &c. Docent Theologi nostri ad Physicas actiones requiri Dei concursum; nec ideo tamen authorem esse peccati, ad peccata ipsa, & scelera non nisi permissione. Aut ergo insc enter, & semet, & rectè sentientes oppugnat, aut maius monstrum alit, Deumque auctorem criminum, per has inuectiuas inducit.

Caluinò Deus verè auctor peccati.

Bellarminus.

Satanam ait excœcare mentes infidelium, & à Deo manare efficaciam erroris.

Pareus pag. 213.

Si hoc falsum, mendacij arguat Spiritum S. 2. Cor. 4. & 2. Thes. 2. 12. ita loquentem.

Defensio.

Nusquam dicit Spiritus S. *Deum agendo, mouendo, cogendo excæcare*. Sẽsus enim est. Excæcare, indurare *non largiendo gratiam, nequaquã id agere inserendo malitiam*, vt postea docebit Aug. Idem de impulsu quocunq; dicendum, iuxta ea quæ c.13. habet Bellarmin⁹. Eadem quæ ad vndecimum vsq; locum habẽt, de quibus Aduersarius cũ disputat, iam planè suæ distinctionis oblitus, de permissione nihil ingerit. Caluinũ porrò audiamus. Idem auctor l.2. c.4. §.2. inquit, *alioquin prauos Chaldæorum animos venenatis suis aculeis ad perpetrandum id flagitium instigat: illi ad iniustitiam furiosè ruunt, omniaq; membra scelere obstringunt, ac contaminant. Propriè ergo agere dicitur Satan in reprobis, in quibus regnum suum, hoc est, nequitiæ exercet. Dicitur & Deus suo modo agere quod Satan ipse instrumentum cum sit iræ eius, pro eius nutu, ac imperio, huc atq; illuc se inflecti ad exequenda eius iusta iudicia. Omitto hic vniuersalem Dei motionem, vnde creaturæ omnes vt sustinentur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt; de illa speciali actione tantum loquor, quæ in vnoquoq; facinore apparet. Idem ergo facinus Deo, Satanæ, homini aßignari, vidimus non esse absurdum*, ex detestabili blasphemiâ Caluini.

Pareus pag. 214.

Deus autor specialis actionis in scelere.

Deus etiam specialem actionem in scelere efficit, non modò vniuersali concursu.

Defensio.

De concursu speciali in consequentibus quæstio erit. Aduersario appono hic Caluinistam Vorstium, quem approbat etiam F. Broeckerus hostis Vorstij in antidoto cap. 14. *Quum ille Dei concursus quem nos hoc loco asserimus, non nisi generalis sit, & per se indifferens: ita vt à causis secundis, quarum naturas ipse non mutat, sed singulas in suo genere saluas relinquit, variè determinari poßit, & in Antibellarmino, &c.* Eadem

Causa indifferens, agnoscitur a Caluinistis.

distinctio

distinctio seruanda est: quum Deus vt prima vniuersalis causa, cum omnibus inferioribus causis, tam bonis, quam malis generali quodam influxu, in ipsa operatione concurrat, & motum in omnibus creaturis creat, seruata tamen vniuscuiusq; causæ secundæ natura, & proprietate: ex qua actionis ipsius præsertim, si mala sit, specificatio, seu specialis determinatio, æstimanda est.

Bellarminus.

Idem auctor l. 3. Institut. c. 23. §. 4. *Nonne ad eam, quæ nunc pro damnationis causa obtenditur, corruptionē Dei ordinatione prædestinati ante fuerunt? cum ergo in sua corruptione pereunt, nihil aliud, quam pœnas luunt eius calamitatis, in quā ipsius prædestinatione lapsus est Adam, ac posteros præcipites secum traxit, an non itaq; iniustus, qui creaturis suis tam crudeliter illudit?* Huic obiectioni ita respondet. *Fateor sanè in hanc, qua nunc illigati sunt, conditionis miseriam, Dei voluntate decidisse omnes filios Adam, atq; id est, quod principio dicebam, redeundum tandem esse semper ad solum diuinæ voluntatis arbitrium, cuius causa sit in ipso abscondita.* & §. 7. *disertis*, inquit, *verbis hoc exstare negant, decretum fuisse à Deo, vt sua defectione periret, quasi verò ille idem Deus, quem scriptura prædicat, facere quæcunq; vult, ambiguo fine condiderit nobilissimam ex suis creaturis.* Et paulò post. *decretum quidem*, inquit, *horribile fateor: inficiari tamen nemo potest, quin præsciuerit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, & ideo præsciuerit, quia decreto suo sic ordinauerat.* & §. 8. *Quanquam*, inquit, *nec ipsum quidem probabile est, sola Dei permissione, nulla ordinatione hominem sibi accersisse interitum.* Et paulò post. *Cadit igitur homo, Dei prouidentia sic ordinante.*

Decreto Dei homo cadit iuxta Caluinum.

Pareus.

1. *Distingue voluntatem permittentem, & efficientem, item lapsum vt lapsum, & vt probationem: & desines cauillari.*

2. *An tu ergo dices ambiguo fine hominem creatum?*

3. *Tu hoc inficiaris vel dubitas? audi Augustinum. Deus,* inquit, *quia cuncta præsciuit, ideo hominē quoq; peccaturum ignorare non potuit: secūdum id quod præsciuit, atque disposuit.* Et: *Deus sic non ordinauit Angelorum, & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium: deinde quid posset suæ gratiæ beneficium,* &c. *Vides Caluinum loqui cum Augustino.*

Defensio.

Caluinus expresse permissionem reiicit.

Næ tu in tuo æthiope dealbando, & lympham, & saponem perdis! Nam primò permissionis nulla apud Caluinum mentio, imo vix vnquā sine Catholicorum contumelia illam nominat. *Atqui vt centies Deum esse auctorem confitear, quod verißimum est, non protinus tamen crimen eluunt:* inquit ipse ibidem §. 3. Deinde vocat *diuinæ voluntatis arbitrium*, hoc nunquam de permissione apud Caluinum accipitur. Tertiò, *cuius inquit causa abscondita est.* Et: *Rationem nobis non constare*, videlicet, cur voluntate efficiente eos ad corruptionem prædestinet? & §. 5. *Dico cum Paulo rationem eius non esse reddendam, quia magnitudine sua intelligentiam nostram longè superet. Quid mirum? aut quid absurdum? Velitne Dei potentiam sic limitatam esse, vt ne quid plus ad agendum valeat, quam mens sua capiat:* Ad agendum, ad agendum, non permittendum, potentiæ illimitatæ hoc opus, non ergo permissio. Et. *Quinam estis miseri homines, qui Deo accusationem intentatis, quia operum suorum magnitudinem ad ruditatem vestram non attemperat?* an illa operum magnitudo voluntatis est permittentis? Caue ergo distinguas in Caluino voluntatem efficientem, & permittentem, veritatis est illa distinctio, non cauteriatæ vanitatis.

Altera parte, de lapsu vt lapsu, & lapsu vt probatione, aterrimum etiam magis denigras. *Agit enim de corruptione quæ pro damnationis causa obtenditur,* in quâ pereunt, ad eum ergo eos prædestinauit, vt causam exitij, vt iustè perirent, at lapsus, vt lapsus causa est exitij. *Crudeliter ergo creaturis suis illudit* iuxta Caluinum. Nam primo sine vlla causa quæ in ipsis hæreat destinat exitio, deinde vt iustum sit exitium, destinat ad scelera, vt causas exitij. Vtrobique idolum crudele, in posteriore etiam sceleratum. *Decretum Caluinus intelligit de peccato, vt est peccatum.*

Denique omnino causationes, & excusationes Parei, ratio Caluini repudiat. ibid. §. 2. *Si reputent, quantæ sit improbitatis, causas diuinæ voluntatis duntaxat percontari: quum omnium, quæ sunt, ipsa sit causa, & meritò esse debeat. Nam si vllam causam habet, aliquid eam antecedat oportet, cui veluti alligatur: quod nefas est imaginari.*

Elumbe est Sophisma Caluini, sed impium. Si in rationem reprobationis improbitas venisset, causam, quod nefas est imaginari, haberet diuina voluntas: ideo ostendere nititur omnia absoluto decreto constituta fuisse. Quòd si illa ratio disputandi admittitur. omnia pessum eant necesse.

Pari enim consequentiâ argumentabimur. Si hominem ad lapsum, vt ad probationem destinauit, ergo illi decreto interuenit aliqua causa, ergo diuina voluntas habet causam. Ergo eam aliquid antecedit. Si exitium peccatoris est finis, ad quem ordinatur peccatum, si alterius punitio vel probatio, nec tamen ideo diuinam voluntatem aliquid antecedit, licet rem aliam aliûs causam esse velit, cur non potius exitium æternum effectus esse scelerum poterit?

Secundò, non condidit ambiguo fine, præscius quid acturus esset, multò minus horribili decreto vt periret, & vt iusta esset pereundi ratio, peccaret. Nec tamen præuidendo eum peccare coegit, nec ordina-

uit culpam, quod enim Deus præuidit, est omniscientiæ, quod peccauit homo, propriæ malitiæ.

Quod obijcit tertiò ex Augustino lib. 14. de ciuit. Dei c. 11. Prauitate facilimâ peruertit textum Augustini. *Sed quia Deus cuncta præsciuit, & ideo quoq; hominē peccaturū ignorare non potuit: Secundum id, quod præsciuit, atq; disposuit, ciuitatē sanctā debem⁹ asserere: nō secūdum illud, quod in nostrā cognitionē peruenire non poterit, quia in Dei dispositione nō fuit.* Illa ergo dispositio S. ciuitatis est, non vero peccati, quanquam dispositio fuit peccati permittendi, & ex eo bonum efficiendi. *Non enim homo,* inquit, *peccato suo diuinum potuit perturbare consilium: quasi Deum, quod statuerat, mutare compulerit: cum Deus præsciendo vtrumq; præuenerit, id est, & homo quem bonū ipse creauit, quā malus esset futurus: & quid boni: etiā sic de illo esset ipse facturus.* Nusquam hactenus argutiore impostura auditoribus imponit cauillator. Improbior tamen ex eodem Aug. ex l. de correptione, & gratiâ c. 10. cauillatio. Nullo modo August. ait, homines, aut Angelos à Deo ad exitium ordinatos. Sed ordinasse sic hominū, & Angelorum vitā, ordinatio est vitæ, & libertatis faciēdæ propositū, atq; effectio, vnde cōsecuta sunt illa, vt ostēderet, quid arbitriū, quid gratia, qd iudiciū posset, ad hoc creauit angelos, & homines, dando liberū arbitrium in bonis, & iustis bonum valdè, sed non in summè bonis variabile. Quia verò Augustinum cum Caluino, quasi blasphemiarum communione iungit, cogor verba eius etsi pluscula asscribere, præsertim cū August. de malis loquēs sinendi verbo vtatur, non ordinandi deinde Angelos, & homines ita lapsos dicat, vt stare potuerint, atq; ita Caluino in os contradicat. Verba Aug. *Quapropter saluberrimè confitemur, quod rectißimè credimus, Deum, Dominumq; rerum omniū, qui creauit omnia bona valdè, & mala ex bonis exoritura esse præsciuit. Et sciuit magis ad suam omnipotentißimam bonitatē pertinere, etiam de malis benè facere,*

quam mala esse non SINERE; (*non dicit ordinare*) *sic ordinasse Angelorũ, & hominum vitã, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberũ arbitrium; deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæq; iudicium. Deniq; Angeli quidã, quorum princeps est, qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt. Refugientes, tamen eius bonitatẽ, qua beati fuerunt, non potuerunt eius effugere iudicium, per quod miserrimi effecti sunt. Cæteri autẽ per ipsum liberum arbitriũ in veritate steterũt, eamq; de suo casu nunquam futuro certissimum scire meruerunt. Si enim nos de scripturis sanctis nosse potuimus sanctos Angelos iam nullos esse casuros, quãto magis hoc ipsi reuelata sibi sublimius veritate nouerunt? Nobis quippe beata sine fine vita promissa est, & æqualitas Angelorum. Ex qua promissione certi sumus, cum ad illam vitam post iudicium venerimus, non inde nos esse lapsuros: quòd si de se ipsis Angeli nesciunt, non æquales, sed beatiores erimus. Veritas autem nobis eorum promisit æqualitatem. Certum est igitur hoc eos nosse per speciem, quod nos per fidem, nullam scil. iam ruinam cuiusquam S. Angeli futuram. Diabolus verò, & Angeli eius, & si beati erant, antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant: erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberũ arbitriũ in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tãquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est, vt magna per Spiritum S. data abundantia caritatis Dei, cadere vlterius omnino nõ poßẽt, & hoc de se certißimè nossent. Hanc plenitudinẽ non habebãt, sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidẽ, sed tamẽ beatitudine sine vllo vitio fruebantur. Nam si suum casum futurum nossent, æternumque supplicium, beati vtique esse non possent, quos huius tanti mali metus iam tunc miseros esse compelleret. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamuis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miserũ fieri in sua potestate esse sentiebat, In quo statu,*

recto, ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profecto sine vllo mortis, & infelicitatis experimento, acciperet illum meritò huiusmodi permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati, id est, vt cadere non posset vlterius, & hoc certissime sciret. Non igitur cum Augustino loquitur, sed contra Augustinum Caluinus, quod si eadem verba sonaret tamen diuerso sensu eadem vsurparet. Verbum Domini, Spiritum, assidue clamabant Libertini. Dixerat & Dominus Ioan. 6. Verba quæ loquor spiritus, & vita sunt. Et tamen c. 10. à Caluino reprehenduntur, quod falso illa sensu proferunt.

Bellarminus.

Et §. 8. *Quanquam nec ipsum quidem probabile est: sola Dei permissione, nulla ordinatione, hominem sibi accersisse interitum.*

Pareus pag. 216.

Audiuisti iam ex Augustino Deum sic disposuisse, ordinasse.

Defensio.

Augustino iniuriam te facere, verba eius ostendunt.

Bellarminus.

Caluinus item, §. 9. *Excusabiles, INQVIT, peccando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeũt peccandi necessitatem: præsertim cum ex Dei ordinatione sibi iniciatur huiusmodi necessitas, nos verò inde negamus ritè excusari, quandoquidem Dei ordinationi, qua se exitio destinatos conqueruntur, sua constet æquitas: nobis quidem incognita, sed illi certissima.*

Pareus pag. 217.

Loquitur de necessitate infallibilitatis, non coactionis.

Defensio.

Caluinus §. 8. *non dubitat simpliciter confiteri Dei voluntatem esse rerum necessitatem.* Itaque absolutè

Deo

Deo volente, *sic lapsus Adam, quia Dominus ita expedire censuerat. Cur censuerit nos latet.* cur latet? respõdeat; *Quia ita voluit, causam diuina voluntas non habet,* sic enim paulò ante delirantem audiuimus. Nunc verò: *Cadit homo Dei prouidentiâ sic ordinante.*

Bellarminus.

Caluinus de æternâ Dei prædestinatione. *Arcanum Dei consilium, quo præordinatus fuerat hominis lapsus, quâ decet sobrietate procul adoret fides nostra. Et pagin. 906. Ad iustam hominis damnationem satis erat in viâ salutis cum esset collocatus, inde sponte excidisse. At fieri aliter non potuit. Quid tum? An ideo culpa liberatur, quæ tota in eius voluntate residet? RVRSVS pag. 6 6. Non nisi sciente atque ita ordinante Deo cecidit Adam, seque & posteros perdidit. Et pag. 917. Quomodo autem Dei præscientia, & decreto statutum fuerit, quod de homine futurum erat: neq; tamen in culpæ societatem trahendus sit Deus, quasi transgreßionis vel auctor sit, vel approbator, cum longe altius humanæ mentis perspicacia esse arcanum palam sit, ne ignorantiam nostram fateri pudeat. immò ne quem ex fidelibus nescire pigeat, quod Dominus lucis suæ inaccessæ fulgore absorbet.*

RVRSVS pag. 944. Hinc certè iam colligere promptum est, *quam inane & fluxum sit illud diuinæ iustitiæ patrocinium, quæ mala sunt, non eius volũtate, sed permissu duntaxat fieri: equidem quatenus mala sunt, quæ malo animo perpetrant homines, vt statim planius exponam, Deo minimè placere fateor; sed quod ociosum ea permittere fingunt, quæ scriptura non tantum eo volente, sed authore fieri pronunciat, nimis friuolum est effugium. Et pag. 946. Ergo cum iusta de causa licet nobis ignota, à Domino procedant, quæ scelerate ab hominibus maleficia perpetrantur, etiamsi rerum prima causa sit eius voluntas, peccati tamen eum esse auctorem nego. Nec vero obliuione tegenda est illa, quam posui, causarum diuersitas, quod alia est propinqua, alia autem remota*

Peccata quæ peccata non solo Dei permissu fiunt opinione Caluini.

mota causa: vt sciamus quam longa inter æquabilem Dei prouidentiam, & turbulentos hominum impetus, sit distantia.

Idem Caluinus in instructione aduersus Libertinos cap. 14.

Magna est differentia inter opus Dei, & opus impii, cum eo Deus vice instrumenti vtitur. Impius enim sua auaritiâ, aut ambitione, aut inuidiâ, aut crudelitate incitatur ad facinus suum, nec alium finem spectat, ideo ex radice illâ, id est, ex animi affectione, & fine quem spectat, opus qualitatem sumit, & meritò malum iudicatur, sed Deus respectum omnino contrarium habet, nempe vt iustitiam suam exerceat.

Pareus pag. 218.

Sic ordinatione Dei ne pilus quidem cadit. ordinauit vt explorationem, vt viam ad Christi mysteria. 2. Necessitas non obstat, ne sit peccatum. nam ad peccatū sufficit, vt sit voluntarium. 3. Non decreuit Deus hominis lapsum efficere, sed permittere. 4. Id negat quidem Caluinus, sed tum intelligit de malis, quatenus occulta sunt iudicia. sic enim efficit.

Defensio.

Pareo hic necessitas non excusat, etsi inuoluntaria.

Solita Cantilena, *ordinauit bono fine*, deindè *permittere ordinauit*. Prius impium est, posterius nostrum, sed alienum à Caluino. vtrunque supra probatum. sic ad 1. & 3. Ad 2. Necessitas absoluta efficit, ne sit peccatum, quod alias futurum erat peccatum. Necessitas hypothetica minime liberat à culpâ. De voluntario quod addit, contra ipsum facit: Nam eius opinione quod est necessarium, nec voluntarium vere peccatum est. subiti motus vitiorum reluctante voluntate surgentes, ex mente aduersarii sunt necessarii, sunt etiam involuntarii, & tamen ex eâdem mente peccata mortalia.

Bellarminus.

Beza in resp. ad Castalionem de æternâ prædestinatione

tione *refut. 2. calumniæ. Deus hominem conditurus ad gloriam tum misericordiæ, tum seueritatis suæ declarãdam, Adamum condidit ad imaginem suam, id est, sanctum, ac innocentem, cur nam id verò? nempe quia bonus cum sit, non potest ab eo vitiosum quicquam creari: vitiosi autem sint, oportet, tum quorum constituit misereri, tum etiam quos iustè decreuit gloriæ suæ causa condemnare. Ideo oportuit Adamum condi sanctum & innocentem, sed qui sua sponte, & sine vlla Dei culpâ vitiosus factus viam patefaceret æternis Dei consiliis, id est, tum misericordiæ, tum seueritati ipsius declarandæ. Oportuit ergo Deum quoque hanc vnicam viam sibi aperire, id est, Adami lapsum ordinare, sed ad eum quem dixi finem, qui cum sit iustißimus, & sanctißimus, iustam quoque ipsius ordinationem esse consequitur.* *Opinio Bezæ. Adam ad lapsum creari oportuit.*

Pareus pag. 223.

Absit calumnia in verbo, *oportuit*: quo ipse seruator de se necessitatem ex hypothesi sæpè expressit.

Defensio.

Æterna Dei consilia, ordinatio lapsus, condemnatio ad suam gloriam, necessitatem indicant præeuntem, cuius nulla causa in homine, à nulla hypothesi actionis nostræ dependeat, ideoque respectu miserorũ est absolutissima necessitas. alia est ordinatio, quę ex conditione peccati, alia quæ liberè, nullo mali hypothesi in æternos ignes præcipitat.

Bellarminus.

Et paulo post. Querenda, inquit, est vitii origo in instrumentorum spontaneo motu, quo fit vt Deus iuste decreuerit, quod illi iniustè fecerunt. At enim dices, Non potuerunt resistere Dei voluntati, id est, decreto, fateor, sed sicut non potuerunt, ita etiam noluerunt. Verum non poterunt aliter velle. Fateor quoad euentum, & ἐνέργειαν, sed voluntas tamen Adami coacta non fuit.

De-

Defensio.

Aduersarius c.6.responsionem promittit: ibi igitur illam examinabimus.

Bellarminus.

Beza suam, & Caluini sententiam exponit 38. aphorismis, in his quinque rei summa consistit.

Aphorismi Bezani. *Aphorismus 18. Iam igitur ista ad Deum ipsum accommodemus, cuius efficacitatem ante probauimus in omnibus quæ fiunt, interuenire sine vllâ exceptione: & ita quidem, vt per ea, quæ condidit tanquam instrumenta, exequatur suo tempore quicquid ab æterno decreuit.*

Aphorismus 19. Quicquid agit Deus, bonum est, cum à summo bono nihil mali possit proficisci: omnia autem efficit, omnia igitur bona sunt quatenus à Deo efficiuntur: & discrimen illud boni, & mali in instrumentis duntaxat locum habet.

20. Nam si hæc instrumenta bona sunt, & respiciunt patefactam Dei voluntatem, benè agunt, & Deus quoque bene agit per illa. Quo fit vt id opus omnibus modis sit bonum.

21. Mala autem instrumenta, mala, inquam, non ex creatione, sed ex corruptione, quatenus quidem agunt, malè semper agunt, ideoq; iustè incurrunt in iram Dei. quatenus autem Deus per illa agit, bono Dei operi, vel inuita, vel per ignorantiam seruiunt. Nam Deus per quæcunq; agat instrumenta, semper bene agit.

22. Sic autem agit per illa instrumenta, vt non tantum sinat illa agere, nec tantum moderetur euentum, sed etiam excitet, impellat, moueat, regat, atque adeo, quod omniũ est maximum, etiam creet, vt per illa agat quod constituit. Quæ omnia rectè agit Deus, & sine vlla iniustitia.

At Aphorismo 31. sic loquitur. *Agit (Deus) sui operis respectu: permittit vero eius operis respectu, quod mala ipsa instrumenta sponte peragunt: siue quatenus actiua sunt,*

sunt, non paßiua instrumenta, vt vsitata in scholis verba retineamus. Iuste tamen permittit, quod ista iniustè agunt, quoniam peccata quatenus à Deo nolente permittuntur, peccata non sunt, sed peccatorum pœnæ. Iustum enim est etiam coram Deo peccata peccatis vlcisci. Sed istæ eædem actiones, quatenus à Satana, & à malis per Satanam, & per propriam concupiscentiam solicitatis proficiscuntur, eatenus demum peccata sunt, quæ Dominus iustè suo tempore vlciscitur. Nunquam enim Dominus peccata, quatenus peccata sunt permittit, imò semper prohibet ac vetat.

Sequuntur ex hoc pulcherrimo aphorismo tria notatu dignissima. *Consectaria aphorismorum.*

Primò sequitur, ea quæ fiunt ab instrumentis malis, sub eadem ratione permitti, & non permitti. Nam quæ fiunt ab instrumentis malis, quatenus ea instrumenta actiua sunt, non fiunt à Deo, sed permittuntur, vt habet initium huius aphorismi 31. & illa eadem sub eâdem ratione, id est, vt fiunt ab instrumentis malis, quatenus ea instrumenta actiua sunt, non permittuntur à Deo, Deus enim peccata non permittit, sed prohibet, vt habet finis eiusdem aphorismi, peccata autem sunt ea, quæ fiunt ab instrumentis malis, quatenus actiua sunt, vt habet aphorismus 31. igitur eadem opera sub eâdem ratione permittuntur. *1 Sub eadem ratione permitti & non permitti peccata.*

Secundò sequitur, & eadem illa opera sub eâdem ratione esse peccata, & non esse peccata. Nam quæ fiunt ab instrumentis malis, quatenus ea actiua sunt, mala sunt, id est, peccata, vt docet aphorismus 31. Sed rursus illa, eadem sub ratione, peccata non sunt. Deus enim peccata non permittit, sed prohibet, vt docet Aphorismus 31. permittit autem opera, quæ fiunt ab instrumentis malis, quatenus actiua sunt, vt docet idem aphorismus; igitur eadem opera, sub eâdem ratione peccata sunt, & peccata non sunt. *2. Sub eadem ratione esse, & non esse peccata.*

Tertiò sequitur. Instrumenta mala, quatenus actiua sunt *3. Peccata*

Deo vel ignorante, vel repugnante fieri.

ua sunt, inuito Deo, vel ignorante operari. Nam vel nouit Deus quid illa agunt, vel ignorat. Si ignorat, igitur ignorante Deo instrumenta Dei opera sua perficiunt. Si nouit, aut consentit, aut repugnat, aut permittit, neque fingi potest quartum membrum; nam qui permittit medius est inter consentientem, & repugnantem. Quocirca S. Augustinus in Enchiridio cap. 95. scribit, nihil omnino fieri posse, nisi Deo, vel faciente, vel permittente. Nam eo repugnante nihil fieri posse extra controuersiam esse credidit. At per aphorismum Bezæ, quæ fiunt ab instrumentis malis, quatenus actiua sunt, Deo nec agente, nec permittente fiunt, quia peccata sunt, & Deus peccata nec facit, nec permittit. Igitur illa Deo, vel ignorante, vel repugnante fiunt.

Pareus pag. 224. & seq.

Hinc aduersarius tanquam Araneus ex amaraco tria suxit absurda. Quis verò absque stomacho legat asininos ludos, &c. Permittit enim Deus peccata, hoc est, non impedit, non vero permittit, hoc est, concedit. Eadem in cæteris ὁμωνυμία.

Bezæ æquiuocatio.

Defensio.

Bene est, cum irascitur, se victum sentit. In Cardinale non est, est in Bezâ ὁμωνυμία. Hoc fatetur aduersarius, cum verba Bezæ eodem spiritu, eodem paragrapho, eadem intentione prolata duobus modis interpretatur, pro permittere, id est, non impedire, & permittere, hoc est, concedere. Nec tamen illo lubrico decurrens ab ἀντιφάσει potest esse liber.

Nam hæc sunt effata Bezana. Permittit Deus, id est, non impedit, quod agunt instrumenta, quatenus actiua sunt. Deinde quatenus à Deo nolente permittuntur peccata, non sunt peccata, sed peccatorum pœnæ.

At

At hæc notæ ſunt contradictionis. Nam quatenus permittuntur, eatenus ab inſtrumentis actiuis vt actiua ſunt fiunt, eatenus ergo ſunt peccata. Nam quatenus agunt, non quatenus patiuntur, peccant, alias in ſolum Deum peccata transſcriberentur. Cætera ex ipſo Bellarmino clariſsima ſunt. Fruſtra verò cum Bezâ de permiſsione litigamus, cum clare rem definiat Zanchius. l. 3. de natura Dei q. 5. *Iudas ſuapte naturâ poterat Chriſtum prodere, & non prodere: & eius voluntas ad vtrumque erat indefinita. Dico ſuapte naturâ: Quia ſi ſpectes cauſam ſupremam, id eſt, Deum, qui non ſolum præuiderat certò quid eſſet facturus Iudas, ſed etiam illum ad hoc opus deſtinauerat: non potuit aliter fieri, quam factum ſit à Iuda. Idcirco per operam Diaboli, qui exequitur iudicium Dei, voluntas Iudæ, quæ antea libera erat ſuâ naturâ in vtramque partem: poſtea inclinauit in vnam partem. Itaque ſimpliciter fuit illud opus liberum, & contingens, hypotheſi præſcientiæ, & ordinationis diuinæ neceſſarium fuit.*

Inſtrumenta vt actiua ſunt peccant.

Voluntas Iudæ indefinita à Deo per Satanam in alteram partem inclinata eſt iuxta Zanchium.

Adde, & neceſſarium quatenus peccatum, quia neceſsarium, vt via, & meritum iuſtiſsimi ſupplicii.

CAPVT IV.

1. *Fucus Parei in excuſatione Zvvinglij.*
2. *De coactione, de neceſſitate & impulſu ad crimen iuxta Caluiniſtas.*
3. *Deus Caluini imperat peccata.*
4. *Puerilis diſtinctio caſus, & lapſus.*
5. *Lumen naturale non omnino tollendum.*
6. *Corruptio naturæ non eſt vniuerſalis cauſa peccati.*

7. In-

7. Intentio bona non omnia facit esse bona.
8. Sua Deus ex lege agit.
9. Si Deus imperare scelera potest, facere etiam potest.
10. Aduersarius omnem religionem tollit.
11. Consectaria ex sententia Fr. Boekeri Caluinista.

Ex sententia Zvvinglii, Caluini, & Bezæ rectè colligi, Deum esse auctorem peccatorum, quæ à nobis fiunt.

Bellarminus.

Consectaria ex verbis Caluini. SEquitur ex sententiâ Caluinistarum, 1. *Deum auctorem esse peccati. 2. proprie peccare, 3. solum peccare. 4. Libertinorum opinionem veram esse.*

Pareus pag. 229.

Zvvinglius dicit: Deo impulsore egit, non autem Deo impulsore peccauit. Secundò dicit: coactum esse, non autem coactum esse ad peccatum. Tertiò: dicit permitto, non dicit: fateor. Quartò, non impellit inuitos, ideo ipse impulsus sponte peccans, est vna atque vnica causa peccati, vt si tu equum claudum impellas ad motum: Tu quidem eris causa motus: quia nihil nisi motum intendisti, claudicationis verò erit equus vltro claudicans.

Defensio.

Præstruximus iam aduersum istas præstigias. Nam primò, alii habent: *Deo enim impulsore occidit.* Deinde Deo impulsore non modo egit, sed egit more latronum, hoc egit vt cruci suffigeretur, peccauit igitur Deo impulsore.

Secundò, *Permittit, non fatetur*, inquit, an hoc diceret

ceret Pareus, si aliud esset, quod diceret? Quis non existimet rem sibi factam, *Permittente* aduersario factum esse? Dicat ergo: *Permitto Deum peccati auctorem esse:* An paruni sceleris habet tam flagitiosa permissio?

Tertiò, Sensus Zvvinglii omnino est: *Permitto coactum esse ad peccandum.* Obiectio enim est collocutoris: *At inquies, coactus est ad peccandum:* Responsio. *Permitto, inquam, coactum esse, sed in hoc vt alter transferretur, alter cruci affigeretur.* Si mente candidâ respondere voluit, eâdem lineâ occurrere debuit aduersario dicenti: *Coactus est ad peccandum*, & dicere: *Permitto coactum esse ad peccandum:* aut negandum: *coactum esse ad peccandum.* Quid dimidiato ore principem Cattorum eludit? & Lutherianos naso suspendit? Quid dicere statuerit Zvvinglius porrò inuestigare piget, cum vel ipsius respondentis, vel Parei interpretis ludibriosa sit impostura: Fœda quidem, sed non inusitata Caluinistis, vel teste ipso Caluino, Epistol. 32. *Philippus & Bucerus formulas de transsubstantiatione composuerunt ambiguas, & fucosas, vt tentarent an aduersariis satisfacere possent nihil dando.*

Fucus Parei in excusando Zvvinglio.

Fucus Philippi & Buceri.

Quartò, Nec ita quidem effugium vllum superest: Nam *coactus est in hoc vt affigeretur cruci*, vt iustâ pœnâ inuolueretur, igitur vt peccaret.

Quintò, Quod non inuitos impellat, non excusat Deum, nam si inuiti quod malum est facerent, etiam iudicio aduersarii extra noxam essent. Qui vero volentes cogit, hoc est, decreto, vi efficace, determinatâ inclinat vt in hoc necessario ruant, autor est earum voluntatum, quas ita præcipitat. Nam si Deus in brutis pabuli auiditatem, aut corporum iungendorum libidines excitaret, ipse naturalium appetitionum auctor haberetur, etsi illa non coactu violento, sed insitâ ὁρμῇ impetuque ad sua bona inardescant. Ipsa igitur, quæ in voluntate est lubentia, auctorem habet eum,

Deus non necessitat voluntatem ad culpam.

cuius omnipotente manu efficitur, cuius est decernentis, & iubentis ministra, primario agentis instrumentum, & in pœnas ordinantis mediũ necessarium.

Sextò, Indulgeamus & amplius aduersario, forte seipse respirans agnoscet. Ne iure nostro vtamur. Nã quò nunc excurrit, de sponte ruentium impulsu diuerticulum, immane quantum à Scopo Caluini abducit. *Ideo non est auctor Deus*, inquit, *quia non inuitos impellit, sed volentes.* Ratio nostra est.

Caluinistis Deus cogit inuitos in crimen.

Qui cogit igitur inuitos in crimen, vt puniat, ille auctor est criminis, non quem inualidum infinitæ potentiæ vis irresistibilis rapuit. Deus Caluini cogit inuitos, auctor igitur criminis. Propositio ex aduersarii responso constat. Assumptio probatur. Omnis cuiuscunque flagitii inuitis obrepens impulsus, peccatum est mortale Pareo, ad hunc autem Deus impellit & cogit, & cogit inuitos. Quòd enim nolunt hoc faciunt. An non cogebat inuitum eum, qui vel mortem pro illâ molestiâ optabat pacisci? Vnde motus ille rationem sceleris sortitur: & gehennæ reatum? Non ab infirmitate hominis contra voluntatem impulsi, ergo à violentissimi impulsoris coactu.

Septimò, Exemplum equi claudicantis sæpius producit. *Vt si tu equum, inquit, claudicantem impellas ad motũ, tu quidem eris causa motus: quia nihil nisi motum intendisti: claudicationis vero causa erit equus vltro claudicans.* Similitudo illa supra quam dici potest, claudicat, sed in aduersarium tamen tollutim graditur, viuidoque impetu, & frena ferox spumantia mandit. Si enim equum tu carnificinæ destinas, mediumque decreuisti, claudicationem, eumque impellis, vt non possit non claudicare. Quid insuper contumeliosius insultas iumento, qui ad hoc impellis vt claudicet, ad hoc claudicat ipsum, vt vitâ & corio luat? Intendisti claudicationem, dum pœnam claudicationis statuisti, qui finem intendit, is medium etiam eligit.

Bellarminus.

Sic Caluinus l. 1. inst. c. 18. §. 4. *Homo Dei impulsu agit, quod non licet.* & c. 17. §. 11. *Impios, ait, à Deo quasi freno cogi vt maleficia concipiant.*

Pareus pag. 232.

Mentitur Bellarminus. Non dicit Caluinus, impellere, cogere, vt maleficia concipiant.

Defensio.

Quod si regeram: mentitur Pareus: erit hoc eisdem fineis dimicare. verum tacebo, loquere tu Caluine, & doce, Cardinalem non esse mendacem. Caluinus: *Verum vbi in memoriam reuocant, diabolum, totamque improborum cohortem, sic omnibus partibus manu Dei, tanquam freno cohiberi, vt nec concipere vllum aduersus nos maleficium, &c. nisi quantum ille permiserit, &c. mandauit, &: Domini est illorum furorem armare. &: ad obsequia præstanda freno cogi.* & c. 18. §. 1. *Quod autem nihil efficiant homines nisi arcano Dei nutu, nec quicquam deliberando agitent, nisi quod ipse eam apud se decreuerit, & arcana suâ directione constituat.* De sceleribus etiam loquitur, ob quæ damnantur improbi. &: *mittitur cum certo mandato, vt sit spiritus mendax. & §. Quicquid animis concipimus arcana Dei inspiratione ad suum finem dirigitur.* Nota sic scelera in damnationem, vt media eius, iam constitutæ, & §. 2. *Assyrios apparet certa destinatione impulsos.* &: *Dei impulsu satan suas partes agit. &: Voluntas Dei omnium rerum est causa.* Hoc ad scelera etiam extendit. *Denique iusto Dei impulsu homo agit, quod sibi non licet.* alia & ante citata sunt, & deinceps plura legentur.

Caluinus ait Deum impios ad maleficia impellere.

Bellarminus.

Opera consensu gentium, magis pertinent ad imperantem, quam exequentem, Deus imperans est, homo exequens. ad Deum igitur magis, quam ad hominem pertinent.

Pareus pag. 235.

Coccysmus est.

Defensio.

Deus non imperat peccata. Affine est, non idem: Imperare & cogere, mandare & impellere, suadere & inoperari diuersa sunt. Firmum omnino argumentum. si Deus efficax est suasor, potens imperator, iniquus est osor, iniustus vltor.

Bellarminus.

Qui instrumentis vtitur, primarius est auctor operis, quod fit instrumentorum ministerio, Deus in operibus malis vtitur creaturis instrumentis, auctor igitur est operum.

Pareus pag. 235.

Operis, non vitii, quod ab instrumento causatur, auctor est.

Defensio.

Deus operis & vitii auctor Caluino. Coccysmus est: Auctor vitii est, qui vitium intendit, qui pœnæ iustæ causam præparat, qui inuitis instrumentis motus eorum peragit, vt illa, quasi id merita, iudex iustus exurat.

Bellarminus.

Qui procurat, & quidem efficaciter vt homo peccet, is auctor est peccati. Deus procurauit casum Adami, auctor igitur. Sic format aduersarius.

Pareus pag. 235.

Manifestum est ludere in medio, & facere quatuor terminos, nam peccatum, & casus primi hominis nequaquam sunt idem, quia casus miseriam, peccatum malitiam notat. Secundò, Deus decreuit non peccatum, sed permissionem peccati: causæ tres ex Aug. in Gen. ad lite. l. 11. c. 11. ad probandum, conuincẽdum, puniendum. itaq; tantum efficaciter procurauit ea, quibus positis homo certo, sed liberè esset lapsurus.

Defensio.

Puerilis euasio disiunctione casus & lapsus. Pueriliter mendax distinctio: Casus & lapsus primi hominis peccatum dicitur, non sola miseria. Ita Cal-

uinus

tinus loquitur. lib. 1. cap. 1. §. 5. 6. 7. aduersarius supra: In multis offendimus omnes. Cadere, & labi eadem sunt.

Pareus pag. 259.

Quòd Bellarminus consensum gentium, & lumen naturale allegat, nihil ad rem, quia hoc cœcum est, ad occulta Dei iudicia.

Defensio.

Non vsque eo naturale lumen, & ab eodem exortum gentium consensum deprimi oportet, vt veritas ipsa opprimatur. illo namque radio exstincto, ne illustrationis quidem sacræ reuelationem suscipere bruta cæcitas queat. Syllogismorum principia, & connexiones quasdam lux quædam à Deo mentibus insita sine qua nec humana, nec diuina percipi possunt, nobis pandit. sic natura nos docuit: Numen colendum, iniuriam non inferendam. sic eum esse causam supplicii, qui solo beneplacito, nullo sceleris respectu supplicium decernit. Auctorem esse criminis, qui illud vt causam habeat sæuiendi decreuit, imperauit, efficit. Cogit ad peccandum. Nullo colore talis excusari potest, vt non sit auctor, qui ista decernit, & facit, vt sui sit operis vltor. *Lumen naturale non omnino tollendum.*

Bellarminus.

Vnica distinctione hæc omnia sibi videntur eludere. Hæc vt à Deo impellente, cogente, imperante procedunt, non esse scelera, sed quatenus à voluntate impiorum. Cur autem hominum mala sit voluntas facinus eligentium tres causas adferunt. Prima, quia natura corrupta est. Secunda, quia Dei propositum bonum est, hominis malum. Tertia, quia Deo non est lex posita.

Prima causa in primo primorum hominum, & Angelorum peccato locum non habet.

Secunda falsa est. Non enim sunt facienda mala, vt eueniant bona: non igitur opus intrinsece, & ex obie-

cto malum intentione sola fit bonum. deinde ipsa intentio mala est peccatum, si à Deo, ergo auctor ille peccati. itaq; decreuit Deus, vt malâ intentione ageret homo.

Tertia, quam præcipue vrget Zvvinglius ex ipso refellitur, *nam quod nobis est lex, hoc Deo est ingenium, & natura, huic Deus repugnare non potest.* Si verò Deus impellit hominem, vt artifex instrumentũ, vult ergo sibi illud parere, tenetur ergo homo parere, non igitur peccat. 2. Zvvinglii sententia, Deo non est lex posita, quomodo iusto non est posita. At iusto non est lex posita, quę eum terreat, quia sponte legem seruat, non autem quod non peccet, si contra legem faciat. Sic ergo & Deo non est lex posita, quod natura eius voluntas sit conformis sapientiæ. 3. Deus auctor est operis à lege prohibiti, ergo criminis: Improbum verò est dicere à Deo puniri hominem, quia faciat id, ad quod Deus cogit.

Pareus pag. 242.

Ad primum. Non potest igitur negare aduersarius, causam hanc in omnibus aliis, præter primum, veram esse. 2. Primum peccatum processit ex voluntate se ipsum deprauante, vel pœna fuit confidentiæ. Sed nos dicimus, vt probationem, patefactionem creaturæ, occasionem iustitiæ declarandæ factum. Ad secundum Deus facit opera, non quâ mala, sed quâ opera. De intentione, calumniæ sunt decies refutatæ. Nã impellit ad volendũ, agendum, exequendum iustum eius iudiciũ, per sua peccata: ad peccata vero, quâ talia, nequaquã. Secũdo, Falsum est, peccatũ non esse sine mala intentione. Nam hypocritæ non raro bonâ, imò deuotissima intentione grauiter peccant. Tertiò l. 3. c. 2. Dicit misericordiam, & c. requisiuisse, vt tentaretur: aut igitur sine decreto, aut cum decreto id requisiuit. Si sine decreto, Deus imprudẽs, qui non decreuit quod misericordia requisiuit. Si decreuit: ergo aut decreuit, vt homo mala intentione ageret, aut futile est aduersarii, & calumniosum sophisma. Ad

Ad 3. Non esse contra Dei naturã impellere ad opera, sed ad scelera, quâ scelera sunt. Deus namq; mouet hominem vt instrumenta ad opera mala, non vt mala. Lege vetat peccata, præcipit improprie arcano motu. Deinde Deus fecit stupra Absolonis, ergo voluit. ergo tuas φλυαρίας ipse refutabis. Illa propositio: Qui agit contra legé, peccat, de creaturis vera est, non de Deo, quia non peccat abrogando Sabbathum. Falsa est ratio vniuersaliter, quod Deus agens contra legem, agat contra naturam suam. Non omnes leges à naturâ Dei, sed quædam à libero arbitrio fluxerunt, his si contraria vellet, contra naturam ageret. hæc ex verbis Zvvinglii ostendo. 2. Insto, lex non est posita quoad damnationem, coactionem, sed quoad regulam. Deo nullo modo lex est posita. 3. Propositio, & eius probatio vniuersaliter non est vera. Angelos porro fecit transgressores, non suadendo, vel infundendo transgresionem, sed per accidens dando legem. Nec punit Deus homines quòd ea faciant, ad quæ ipse cogit, sed quod ea, ad quæ facienda impellit, id est, sua iudicia, scelerate faciãt. Habemus ex his omnibus, Bellarminum ex Zvvinglii, Caluini, Bezæ doctrina sophisticè, & calumniosè conficere, Deum esse auctorem peccati. Quæ fuit prima aduersarii tęterrima, atq; tartarea calumnía.

Defensio.

Verbo poterat absoluere, solitâ vsus distinctione, sed Deus in quem adeo blasphemus est, miserum sinit altius assurgere, vt sit conspectior casus, non tamen volendo peccatum insanientis, sed gloriam suam, suorumq; innocentiam de culpâ illius illustrando. Nos ne patrocinio veritatis desimus, quæ speciem habent ad examen, quæ disceptatione indigna sunt, ad ludibrium vanissimæ impietatis reuocemus.

Refutatio causæ primæ. Non est causa vniuersalis naturę corruptio, nam integra etiam peccauit. Quòd, ait, voluntatem seipsam deprauasse, confidentiam

Cur facinus in homine sit peccatum.

non est causa vniuersalis, corruptio natura.

præcessisse, verum quidem est, non tamen nodum dissoluit. Nam prima illa aberratio qua voluntas integra seipsam deprauauit, & ipsa præsidentia iam peccatum est, in ea igitur, quæ difficultati soluendæ fingitur, delinquentia, reuiuiscit argumentum: nec Augustini locus l.3. de libero arb, c. 2. hanc causam iuuat, sed aliorsum illa dixit ipse. Nam primum peccatum non est ex corruptione naturæ, nec ipsa corruptio ex corruptione, nam in infinitum procederetur; omni enim corruptione prior esset alia corruptio. Refutatio causæ secundæ. Iterum eodem tenore funem trahit. Deus non facit mala vt mala, sed bona intentione. Firmum est tamen argumentum Bellarm. quod balbutientis senis spumâ vt rupes immota relidit. Nam opus natura sua malum, bona intentione non redditur bonum, odium Dei nũquam est, sine malitia: imò natura sua essentialiter includit malum, quod nulla externa bonitate posit expelli. Si enim intentionis sanctæ rectitudo scelerum prauitatem tollere potest, cur non & creatura suum odisse creatorem poterit, intentione bona, quæ odiendi malitiam vertat in pietatem? An angelus, aut homo velle potest, vel eligere, vt Deum aliquando oderit? an bona intentione id homini suadere potest homo, vt suasio sit exors criminis? an ergo sceleris προαίρεσις potest esse bona, si eligatur vt opus, vt bonum, vt in finem bonum? sed electio Dei bona, creaturæ mala. Verum vnde in eodem opere, in eodem faciendi proposito, dispar æstimatio agentium? Idem opus, vtrobique bona intentio. An quia creatura lege obstringitur, qua Deus vocat? Faciamus illud ita esse, dum modo & illi concedant: aut electionem Dei, esse malam, aut creaturæ non esse bonam, ex intentionis obtentu. De lege postea dicam. Nunc sic vrgeo causam æquissimã. Odium Dei vt est opus, non cadit in electionem creaturæ sine facinore, simul.n. opus elegerit, eligit & malum. causa est arctissima

Quædam justa nulla intentione bene fieri possunt.

ſima operis, & malitiæ connexio, vt diuidi non poſsit operis vt opus eſt, & operis vt crimen eſt, electio: idq; quantumuis intentionis bonæ ſpeciem prætendas. Vnde ergo in Deo illa diuerſitas? vt bona intentio in Deo opus malum faciat eſſe bonum? Quanquam & hoc ipſum falſum, vult enim Deus illud vt pœnæ meritorium, igitur vt malum.

Non omne peccatum, inquit, eſt cum mala intentione.

Non eſt peccatum ſine mala intentione.

Reſponſio facilis, quia obiectio puerilis. Intentio mala duplex: Externa, Interna. Externa cum furtum committitur vt ſuppetant libidinibus copiæ. Interna furari ſine alia improbitate, ſolâ illâ quæ in furto eſt prauitate, itaque intentio furandi ſemper mala eſt. Verum ſit aliquod peccatum ſine mala intentione, quod fieri non poteſt; An ergo illud Deus bonâ, homo malâ intentione patrat? An illud peccatum eſt, non peccatum? Lex illa membrorum repugnans legi mentis, an eſt peccatum malâ intentione hominis? Non poteſt: optimâ enim intentione voluntas reſiſtit motibus, quod Deus in corpore reſiſtentium, & gementium ſuſcitat. Sunt tamen illâ peccata.

Quod Bellarminus ait, iuſtitiam & miſericordiam Dei requiſiuiſſe vt homo laberetur. Non aliter intelligi voluit, quam opportuna fuiſſe oſtendendis illis Dei proprietatibus, deinde ratio illa hypothetica fuit, quæ neceſsitatem rebus nullam inferret: non Deus facere decreuit, ſed non impedire, quæ facturos homines omniſcius præuidit. Abſit enim à iuſtiſsimâ miſericordiâ, & iudicio, cui ſuperexaltat miſericordia, vt quacunque intentione id in homine vel decernat, vel faciat ipſe propter quod hominem iuſtè iudicaturus eſt.

Refutatio tertiæ cauſæ. Quemadmodum repugnant legi æternæ, quæ homines voluntate deliberatâ committunt flagitia, vt eſt odium Dei, ſic repugnat

Deus legem habet.

Deo vt decernat, impellat ad scelera. Tam enim impellens consulto ad malum deficit à naturâ suâ Deus, quam impulsus ille fertur contra Deum. Qui sua se manu conficit, & qui alium inuitum in se cogit, vt ruat, aut pari sunt in crimine, aut maiore posterior.

Secundò. Deo non vertitur vitio, quod operatur per hominē, quin Deus est liber legis, vt docet Zvvinglius. Ex eo sic rationem conficio. Nulli libero legis vitio vertitur, operanti per hominem id, quod homini vitio vertitur, Deus est liber legis. Igitur non vertitur illi vitio, quod homini. Quæ si vera sunt, omnia distinctionum suarum vela reijcit Pareus. Nam Deo, cum sit omnino liber à lege, non vertetur vitio, si ipsam malitiam turpitudinemq; flagitiorum, voluntate approbationis, & effectionis decernat: Liber est enim à lege, non ergo eius decretum est *ἀνομία*. Aut si id non potest, lege ergo sua aliqua prohibetur, quæ scilicet est summa omnis iustitiæ regula. Eâdem ergo tenebitur, ne cogat hominem ad opus, vt causam habeat sæuiendi in coactum.

Si nulla lege tenetur Deus, ipsam [illegible] potest [illegible] briam.

Tertiò. Si operari potest per hominem omnia opera quæ flagitia sunt, si decipere, si ad mendacia cogere, iubere fraudes, quia lege non tenetur, si illa ideo vitio hominibus vertuntur, quia in legem committuntur, planè poterit fallere, mentiri, ad quam blasphemiam meritò omnium piorum mentes, & impiorum aures cohorrescunt, Deus, & quidem absque culpa. Cur enim non ipse poterit, quod alijs imperare, decernere, in illis operari poterat? aut qualis illa lex, quæ facere suo marte vetat scelera, alios cogere, impellere ad eadem permittit? an ipse in se factor esse non potest, in alijs suasor, factor, coactor est? Sublato igitur illo sipario necesse est, vt appareat idoli Caluiniani fœditas. Quid enim est, quod natura sua, quæ est lex æterna, prohibetur operari?

Si Deus imperare potest scelera. potest & facere.

Peccata

Peccata vt peccata; sed an hæc in alijs operari potest? Non inquit, sed opera ipsa, quæ sunt peccata. An ergo opera vt opera potest ipse bona intentione operari, verbi gratia fallere, decipere, mentiri? An per Satanam fallere potest effectiue, non se solo, an non per Asinam Balaam idem potest? an non per aerem formare verba mendacia, aut silicibus inscribere, quibus hominem in fraudem inducat, imposturas? Posse videtur ex Caluinistarum ingenio. Qui enim bona intentione, ad iudicia sua exequenda Satanæ & impiorum ora determinate, effectiue, detorquet in verba mendacia, illa imperat, cogit, &c. Cur non idem asinæ linguam, aeris mobilem facilitatem in falsiloquia mouere queat? non characteres deceptorios exarare in marmore? nam ille in his effector est, & creaturæ suæ determinator? Quæ lex vel obstat, vel finit in parte alterutra? Nusquam legis freno tenetur, vtrobique recta intentio. Nec refert in Satana, & impijs esse etiam voluntatem creatam, hæc enim ministra est, impulsa, mota à voluntate principe, vt aliud non posit. Imò minor excusatio, cum in societatem facinoris creatura adsciscitur, ipsa enim voluntas humana hoc velle debet, quod eam velle vult voluntas omnipotens. In silice ergo potest mendacium insculpere, quod per prophetam impostorem potest eloqui. Nec illa de voluntate, replica Zvvinglij duritiem mitigat. Nam ratio de inuoluntarijs redit eadem, & multo neruosior: operatur hæc in ignorante, non consentiente, contra sentiente, dormiente, & sunt tamen illi motus peccata mortalia, non de malitia voluntatis, quæ laudabili caritate concupiscentiæ constanter obnititur, aut sine culpa præuenitur, sed de imbecillitate brutæ partis, quæ à Deo mouetur, vt resistere nequeat. Denique fallere potest Deus per pseudoprophetam volentem, an posit, & per dormientẽ? non de absoluta potẽtia, sed

Ex eo sequitur Deum posse mentiri.

Parens omnem religionem tollis.

de

de potentia iustâ, bonâque loquor, & quid lex æterna vel sinat, vel vetet, inquiro. Quod si Deus vt per Satanam, homines impios, sic per voces in rubo, per vocem quâ reuelatus est Samueli, per legem digito suo tabulis inscriptam fallere nos potuit. Concidit omnis religio, atheismus inducitur, ex Deo idolum constituitur, ex Deo Christianorum, Deus Calecutanorũ. Nam fortè quod facere potuit, reipsâ iam fecit, aut si non fecit, nos tamen quasi fecerit, timere, & quasi facturus sit expectare debemus.

Fortissimè tamen reuinci potest aliâ ratione Aduersarius.

Libro de gratiâ primi hominis c. 7. sic argumentatur.

Conuincitur Aduersarius ex suis verbis.

Si concupiscentia carnis fuisset naturalis, fuisset rebellio & concupiscentia in homine vt peccatum. Quia rebellio, & concupiscentia sunt peccatum, contra præceptum non concupisces, sic Deus auctor naturæ, necessario auctor peccati. At hoc falsum, ergo & illud. Analogiâ huius argumenti rationem Bellarmini facilè vindico. Primò; *Rebellio & concupiscentia ex errore Aduersarij sunt peccatum, ergo fuissent in homine vt peccatum.* Hæc est enim ratiocinatio. Quod si nunc inane effugium quærat: Deus est auctor odij, vt opus est, non vt peccatum.

Pleno mox ore clamabunt Libertini: Deum naturæ creatorem fecisse concupiscentiam & rebellionem, vt actus, seu res, non vt peccatum, fecisse bonâ intentione, ad sua iudicia exequenda, habuisse caussam iustam, nobis ignotam.

Deus concupiscentiam creans an auctor peccati?

Hinc & illud Zvvinglianum de lege confutatur. Deus lege suæ naturæ tenebatur, ne hominem crearet concupiscentiæ morbo corruptum, secus auctor esset ipse peccati, quamuis crearet talem bonâ intentione, & ad sua iudicia. Eadem ergo lege tenetur, ne conditum efficaciter moueat, impellat, cogat etiam inui-

inuitum, nescientem ad peccatum. Quod si hic auctor est operis, non malitię, cur non & ibi auctor concupiscentiæ, non vitij?

Quam verò sceleratum est pronunciatum illud: *Non punit Deus hominem, quod faciat, ad quæ ipse cogit, sed quod ea, ad quæ facienda impellit, id est, sua iudicia scelerate faciat?*

Non ergo punit hominem Deus, quod Deum oderit, sed quod scelerate oderit? Non quia Deum contemnit, sed quia sceleratè contemnit. Vbi igitur, & quo doctore odia, inuidiæ, superbia, flagitia sunt non scelerata? Cur non cum sceleribus, non sceleratis conditum primum hominis Deum inchoare poterat?

Cur Deus hominem puniat?

Concludit contumelijs in Cardinalem, perinde ac si nesciret, omnes idem sentire, qui crudo, rigidoq; Caluinismo nuncium remiserunt, vt de Lutheranis alijsque taceam. Nonne Vorstius cum Antibellarminum scriberet ipsâ veritatis vi adactus in aduersum, mox in Caluinum & Bezam calamum conuertit? idem Arminius, alijque præstitere, quos suorum doctissimos negare Caluinistæ non audent.

Libet pro auctario argumenta Caluinisticam sententiam confirmantia ex Frederico Broeckero in antidoto errorum Vorstij cap. 19. de præscientia Dei proponere, eorumque argumentorum consectaria, vt breui Synopsi clarissimè appareat idolum Gebennense. Consectaria vero illa facta non sunt à nobis. Ioannes Piscator Thes. 5. nota 60. Si Deus non decreuit absolute, vt peccata fiant: decreuit igitur sub conditione. Sed sub qua? & nota 62. Si peccata non fiunt ex decreto Dei, sequitur Deum peccata futura non nouisse. Nam quicquid Deus futurum nouit, id decreuit. At si Deus non nouit peccata futura, non est omniscius. In quibus obseruandum omnia illa de peccatis vt peccata sunt dici, quia à Deo vt media ad exitium constituta sunt.

Ratio

Ratio prima F. Broeckeri.

In Antidoto errorum Vorstij c. 19. de præscientia Dei.

Omnes causæ secundæ sunt propter primam. Omnia, quæ fiunt in mundo sunt secundæ causæ, decretum Dei prima: Ergo omnia sunt propter decretum Dei. Quomodo igitur Deus aliter præscire potest omnia, nisi quia illa ab æterno absolutè, & effectiuè, fieri decreuit?

Consectaria rationis.

I. Ergo odium Dei, est propter decretum Dei.

2. Quomodo igitur Deus aliter præscire potest peccata, nisi quia illa ab æterno absolutè, & effectiuè fieri decreuit. Nec operis, & sceleris distinctio ad rhombum est, ipsam malitiam, fœditatem, ἀνομίαν, reatum pœnæ præsciuit, absolutè igitur, & effectiuè fieri decreuit. Nec ad rem, quòd priuationes sint illa mala. Nam cœcitatem Bartimœi præsciuit, decreuit, & tamen illa est priuatio. Deinde laborabit Aduersarius deinceps persuadere suis, peccatum originale non in solâ priuatione, sed prauis etiam qualitatibus consistere, ergo illas saltem absolutè, & effectiuè fieri decreuit, sunt enim peccata, causæ peccatosæ, causæ secundæ.

Ratio secunda.

Prudentis gubernatoris est omnia efficaciter ordinare, cum potest, ita vt omnia fiunt, quemadmodum ille fieri voluit. Deus est prudentißimus gubernator, & est omnipotens, ergo eius est efficaciter omnia ordinare, ita vt omnia fiant, quemadmodum ille fieri voluit.

Consectarium rationis.

Ergo omnia fiunt, quemadmodum ille fieri voluit. At multa fiunt sceleratè, fieri ergo illa sceleratè voluit: nam quem ad modum ipse efficaciter ordinauit, & fieri voluit, eum ad modum fiunt, multis multa modis sæpe perperam.

Ratio tertia.

Si omnia quæ fiunt in mundo, quâ fiunt non fiunt efficaci Dei decreto. Ergo Deus certum finem in creatione rerum, non potuit habere propositum, aut si habuit propositum, non potest eum assequi, quandoquidem mutabitur finis pro ratione actionum creaturarum. Hoc autem absurdum, ergo & illud.

Consectarium rationis.

Si omnia peccata, priuationes, qualitates peccatosas, quâ talia sunt, non fiunt efficaci Dei decreto. Ergo Deus certum finem in dispositione eorum non potuit habere propositum, aut si habuit propositum, nō potest eum assequi, quandoquidem finis mutabitur pro ratione defectionum creaturarum. Hoc autem absurdum, ergo & illud. Sed tamen hoc illi, & illud huic necessario colligatum. Si finis esse non potuit, nisi omnia media sub efficaci decreto, iam determinata starent. Nec ergo damnatio reproborum certa, nisi omnia eius media, hoc est, peccata, quâ sunt peccata, immani decreto, necessitati irresistibili, vt eorum verbo vtat, fuerint delegata. Alias finis ille pro creaturarum actione mutabitur, si scilicet illæ scelera nollent exequi.

Ratio quarta.

Si Deus non præscit omnia infallibiliter, quia ipse absolutè, & effectiuè, omnia ab æterno fieri decreuit. Ergo habebit notitiam rerum, quæ futuræ sunt à rebus futuris. Sed Deus non potest habere notitiam rerum futurarum à rebus futuris, quoniam Deus ab æterno per suam essentiam, nouit omnia, quæ à se fieri poterant, etiam ea, quæ nunquam erat facturus, à quibus certè notitiam Deus accipere non potuit, quippe quæ nunquam futura sunt. Ergo Deus præscit omnia infallibiliter, quia ipse absolutè & effectiuè, omnia ab æterno fieri decreuit.

Conse-

Consectarium rationis.

Si Deus non præscit omnia peccata, & ἀνομίας infallibiliter, quia ipse absolutè, & effectiuè, omnia ab æterno fieri decreuit. Ergo habebit notitiam peccatorum quæ futura sunt, à peccatis futuris. Hoc non potest, quia per essentiam suam nouit omnia, quæ à se, & creaturis fieri poterant, etiam lapsus creaturarum nunquam futuros. Ergo Deus præscit omnia peccata infallibiliter, quia ipse absolutè, & effectiuè omnia peccata ab æterno fieri decreuit. Breuiter. Dei præscientia, vel est ab obiectis, vel effectiuo decreto: Non ab obiectis; ergo effectiuo decreto.

Ratio quinta.

Si quæ fiunt, non fiunt efficaci decreto Dei, omnia fiunt ratione Dei contingenter, & non habebit curam rerum mortalium.

Consectarium rationis.

Si quæ fiunt peccata, qualitates prauæ, non fiunt efficaci decreto Dei, omnia fiunt ratione Dei contingenter. Ergo cum creaturæ faciunt malum, qua malum, faciunt illud ratione Dei contingenter, & malum qua malum habebit se ratione Dei contingenter, & non habebit Deus curam mali qua malum est, vt vel misericorditer ignoscat, vel iuste puniat.

Ratio sexta.

Aut absolutum Dei decretum ex causa rerum omnium, aut res futuræ sunt causæ decreti Dei: Ergo decretum non erit prima omnium rerum causa, sed causatum à rebus creatis quod impoßibile est, quoniam æternum, infinitum est &c. non potest vllo modo effectum esse rei creatæ.

Consectarium rationis.

Aut absolutum Dei decretum est causa peccatorum, qua peccata, aut peccata qua peccata causæ decreti: non posterius, ergo prius. Nam sola permissio,

vt à

vt à rebus tollitur, ita quoque à rerum defectibus est amouenda. Si odium Dei est ex decreto, vel causa decreti, ergo & malitia eius. Odium enim Dei decerni non potest sine malitiâ.

Ratio septima.

Præscientia Dei non potest esse certa; de rebus in tempore futuris, contingenter se ratione Dei habentibus; quoniam rerum contingentium nulla potest esse certa scientia illi, quibus contingentes sunt. Ergo si Deus habebit certam rerum præscientiam; debent res fieri ipsi necessario, & propterea secundum esse causæ, hoc est, efficax decretum, quod de rebus omnibus constituit.

Consectarium rationis.

Præscientia Dei non potest esse certa de sceleribus, quâ scelera, prauis qualitatibus in tempore futuris, contingenter se ratione Dei habentibus, quoniam rerum contingentium, nulla potest esse certa scientia illis, quibus contingentes sunt. Ergo Deus si habebit certam scelerum, prauarum qualitatum præscientiã; debent scelera, prauę qualitates fieri ipsi necessario, & propterea secundum esse causæ, hoc est, efficax decretum, quod de sceleribus, prauis qualitatibus omnibus infallibiliter constituit.

Ratio octaua.

Si homines ne loqui quidem possunt sine voluntate, & decreto Dei, quid dicemus fieri posse sine eius voluntate? Sed non possunt loqui sine eius voluntate. Prouerb. 16. 1. Penes hominem sunt acies cogitationum animi, sed è Iehoua est sermo linguæ.

Consectarium rationis.

Si ne loqui quidem, ergo nec blasphemare, nec scelera concipere. At blasphemant, scelera concipiunt, ergo non sine decreto Dei, absoluto, & effectiuo scilicet, nam alias nihil contra Conradum Vorstium, qui permissionem in his, & decretum permissionis agnoscit.

Ratio nona.

Causa prima non potest adipisci cognitionem causarum secundarum, per causas secundas, sed per se ipsam, quoniam secundæ causæ cognoscuntur per primas, & primæ non per secundas, nisi cognitione ὅτι. Deus decernens omnia, est prima omnium rerum causa. Ergo non cognoscit secundas causas, hoc est, omnia creata, nisi per se ipsum. h. e. quoniam illa absolutè, & efficaciter fieri decreuit.

Consectarium rationis.

Causa prima non potest adipisci cognitionem causarum secundarum, legem Dei scelerate violantiũ, per causas secundas, sed per seipsam. Quoniam secundæ causæ legem Dei violantes cognoscuntur per primas causas &c. Deus decernens omnia, est prima omnium rerum causa, ergo non cognoscit causas secundas legem suam violantes, & ipsam legis transgresionem quatenus est causa æternæ damnationis, hoc est, omnia peccata, nisi per se ipsum, hoc est, quoniam illa absolutè & efficaciter fieri decreuit.

Ratio decima.

Aut omnia fiunt vi decreti Dei, aut non fiunt. Si fiunt, quomodo negabitur ipsum scire omnia, quoniam omnia fieri decreuit efficaciter? Si non fiunt omnia vi decreti Dei. Ergo poterit aliquid dari, quod vi Dei decreti non fit, atq; hoc non fiet.

Consectarium rationis.

At peccata fiunt, & sunt causæ peccatorũ peccatosæ, iuxta Aduersarium, non sunt solum gratiæ priuationes, sed prauæ qualitates: Ergo decreto efficaci fiunt. Præscit enim Deus, quid homines facturi sint mali scelerate.

Ratio vndecima.

Si vniuersa futura, quæ Deus infallibiliter præscit, à Deo decreta fuerunt, vt fierent, idq; necessariò, quomodo futura, aliter præscire potuit, nisi quoniam illa efficaciter fieri decreuit?

Con-

Consectarium rationis.

Si scelera futura quæ Deus infallibiliter præscit,
ierent, idq; necessario, quomodo futura aliter pre-
e potuit, nisi quoniam illa efficaciter fieri decreuit?
niuersa futura decreta fuerunt, vt fierent, ex ra-
ie decimâ. Quod enim decretum non est, non fiet.
creta igitur, & peccata, vt peccata, & ex peccatis,
eccatis, pœnæ, vt pœnæ.

Non potest intelligi hoc de solis bonis, sed malis et-
, par enim ratio est malorum ex argumentis noui-
Caluinastri. Ostendo ex eius verbis & sensu. Nam
xercitatus fallendi, totum simul negotium pro-
Sic Vorstius argumentatur. c. 19. fol 58. *Sed infal-
lis futurorum omnium præscientia, præsupponit in-
ibilem existentiam futuram, & quidem futuram vt
sæ illius immutabilis, vnde futuritio certa proficisci-
Ergo ab æterno cõstituta est antecedẽs aliqua, omniũ
um necessitas, quæ nulla ratione flecti, & euitari po-
, & propterea nihil attinet, orare, laborare &c.* Re-
ndet Fredericus. *Esse antecedentem aliquam neces-
ẽ, quæ nulla ratione flecti, aut euitari possit. Hanc
cedentem necessitatem idem censet ex decreto Dei
Deinde est omnium,* vt Vorstius loquitur, *futuri-
um,* ergo futuritionum etiam, vt Pareus loquitur,
catosarum. Horrendum verò est, quod in solutio-
abiungit. *Sciendum est inquit, Dei decreto absoluto,
efficace non tantum necessario illa fieri, verum et-
media, per quæ vult fieri, ita vt quemadmo-
impossibile est, vt non fiat id, quod Deus fieri decre-
ita impossibile est etiã, vt non adhibeantur illa me-
per quæ Deus fieri decreuit. Imò fieri non potest, vt
l, quod decreuit Deus fieri, fiat sine medio, per quod
it fieri.* Paulò post. *Liquet ergo, nõ tolli media, ora-
es, labores, pietatem, per decretum Dei efficax, sed
ssario poni, ita vt decretum non exequatur Deus si-
lis medijs, quæ ad executionem decreti sui ordinauit.*

Impossibile est homines non peccare iuxta Caluinistas.

Responsionem illam exemplo declarabo. Decretum Dei absolutum, & efficax fuit, vt damnaretur Cain, exitij igitur illius fuit necessitas antecedens, omnes causas antegrediens, triste diuinæ seueritatis effatum. Eodem absoluto, efficace decreto sancitum, vt fratri Abelo inuideret, liuore victus occideret.

Duplex huius decreti finis. Primus, vt sic Abel in cœlum transferretur. Alter, vt iustè æterno igne mancipari posset Cain, vt inuidia illa medium esset ad pœnam: adeò vt quemadmodum impossibile fuit, eum non dari exitio, quod Deus decreuit, ita fieri non potuerit, vt media illa, hoc est, scelera inuidiæ, & cædis non adhiberentur. Imò fieri non potuit, vt damnatio infligeretur sine medio, per quod damnationem decreuit. Ideoq; & eodem decreto medium statuit, quod ad damnationem ordinauit, inuidiam, inquam, & cædem, non vt opera, non vt bona, sed mala: à suâ, iure, meritoque ærumnas æternas trahentia, itaque vt scelera decreuit, ordinauit.

An obsecro obscurum est, quid Caluinista ille nondum flexuosas edoctus ambages sentiat: non ergo teterrima, & tartarea calumnia est Bellarmini, sed blasphemia quam tu senior tartarorum leno, cum nec excusare, nec tegere valeas, irasceris Bellarmino Reuerendissimo, atque Illustrissimo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali.

CAPVT V.

1. *De concursu generali; eum omnes concedunt.*
2. *Calumnia eius in Bellarminum.*
3. *Deus etiam ob generalem concursum colẽdus.*
4. *Orare cur non possint sine præsidia Caluiniani?*
5. *Voluntas omnia appetit sub ratione boni.*

6. Causa

6. *Causa vniuersalis quæ?*
7. *Peccata iudicat aduersarius necessaria.*
8. *Deus ad materiale cogens, etiam ad formale cogit.*
9. *Sæuitia Caluinistarum.*
10. *Deus instrumenta creat, vt sint mala secundum Caluinum.*
11. *Aduersarij Flaccianismus.*

Ex Zvvinglij, Caluini, Bezæ sententia sequi, Deum verè ac proprie peccare.

Bellarminus.

SEquitur Deum ipsum peccare verè ac propriè. Notandum verò est, vt quis verè ac propriè peccet, nō requiri vt peccatum velit sub ratione peccati, seu turpitudinem intendat. Sed vt causa sit actionis, quatenus ex ea sequitur malitia. Neq; enim facinorosi in peccatis turpitudinem, sed lucrum, aut voluptatem, aut bonum aliud spectant.

Ad peccatum porrò tria requiruntur, Primò, vt repugnet legi. Secundò, vt sit à causâ liberâ. Tertiò, vt actionē efficiens, eam vt causa particularis, & ad speciē determinans faciat. Hinc Deus causa non est peccati, quia ad eam generali & indifferente influxu cōcurrit.

Pareus. pag. 255.

1. Pandit hic ingens Theologiæ Iesuiticæ mysterium, à sæculo absconditum, de Deo vniuersali tantum influxu ad hominum actiones indifferenter concurrente, quem hominum voluntas benè vel malè determinet. 2. Itaq; infra per gratiam, auxilium, influxum indifferentem intelligit. 3. Hinc sequitur nec metuendum Deum, nec orandum, non esse prouidentiam, nec iustitiam.

Defensio.

Censen' lector cum Theologo mihi negocium, an cum triconotriuiali? quæ enim tam barbara ruditas, vt de concursu generali indifferente vocet doctrinam Iesuiticam, cum sit omnium Theologorum? De orthodoxis sileo.

Concursum generalem omnes agnoscunt. 1. Lutherans.

An Philippus Melanchthon hunc concursum doctus est à Iesuitis? qui cum disputationem de generali concursu difficilem putat, per hoc illum ipsum agnoscit concursum. At Polycarpus eius expositor, c. 5. inscribit de generali, & speciali actione Dei. *Nota, inquit, debet esse distinctio de actione Dei alia generali, alia speciali. Dicitur generalis, quod generalem, communem & vsitatum cursum in natura ordinata fouet, &c. &c. 5. arg. 3. ait dici vniuersalem, quia non est determinata ad vnum effectum*, quod est indifferentiæ. Quatuor idem argumenta soluit contra generalem actionem, questus de Caluino in hunc modum. *Manifestum igitur est, & verum esse hanc distinctionem, & necessario retinendam. Vt autem eo diligentius retineatur obseruandum est, quod nostro sæculo à multis illa distinctio labefactata, & planè reiecta est. Nam Caluinus, & alij multi ita disputant. Deum non tantum positum à se ordinem tueri, sed homines etiam nihil cogitare, proponere, deliberare, eligere, &c. nisi quod Deus inspirarit, nihil velle, nihil expetere, cuius voluntatem, & expetentiam Deus non dederit, &c.*

Deinde Caluinista.

Sed Lutheranum stentorem, vt vocas, tu contemnis, & merito, nam eius quoq; sunt hac in materia graues, & idiotici errores. Quid facies F. Broeckero Caluinistæ Batauo? Eius sententia in Antidoto contra Vorstium cap. 14. *Eadem distinctio seruanda est: quam Deus vt prima, & vniuersalis causa, cum omnibus inferioribus causis tam bonis, quam malis* GENERALI *quodam influxu, & ipsa operatione concurrat, & motum in omnibus creaturis creat, seruata tamen vniuscu-*

iusq; causæ secundæ natura & proprietate: ex qua actionis ipsius, præsertim si mala sit specificatio, seu specialis determinatio æstimanda est, &c.

Et c. 14. ex Vorstio respondit. *Nec tamen hic, vllo modo sequitur, Deum per se causam peccati esse: quum ille Dei concursus, quem nos hoc loco asserimus, non nisi generalis sit, & per se indifferens, ita vt causis secundis variè determinari poßit.* Itaque & illi, notæ non pessimæ Caluiniani hoc mysterium Iesuiticæ Theologiæ amplectuntur, ex eoque reddunt causam cur Deus non sit causa peccati, fassi alio modo id defendi non posse: iudicant igitur ex Parei delirio hoc sequi. Quis credat hunc vllum vel suorum librum seriò legisse? idem Arminius, Bertius, Coruinus, alij sentiunt.

Ad secundum. Vbi in tot voluminibus Bellarminus gratiam Dei, & auxilium vocat influxum indifferentem benè vel malè determinabilē? *ne semel quidem, dixit verum* (Pareus) inquit Scaliger, q, etsi falsum est, quod tamē hic asserit parum purū & calumniosum est mendaciū. Bellarminus .n. l. 1 . de gratia & libero arbitrio c. 6. Gratiam gratum facientem reipsâ non distingui à caritate docet. Caritatem vero benè vel malè determinabilem vbi gentium docet? semper benè determinata est, semper carum Deo, & amantem Dei efficit, quod semper benè fit, quo feruentius eo melius, & cum fine modo, totis viribus, optimè. Auxilum verò gratiæ cum semper ducat in bonum, aut naturâ suâ eo dirigat, quomodo malè determinatur? Vide c. 11. lib. 1. de gratiâ, & libero arbitrio, & ingenuè te mentitum agnosce, me sponsore Cardinalis ignoscet.

Iniqua calumnia [illegible] ardinem.

Ad tertium. *Neq; verò non adorandus, aut non metuendus Deus, si duntaxat, indifferente influxu hominum actionib. inoperaretur.* Quis .n. tam nefariè atheus est, vt numini, generali influxu ad actiones concurrenti sit ingratus? an non & ille influxus, est beneficiū creatoris spontaneâ bonitate creaturæ suæ coope-

Deus etiam ob generalem concursum colendus, &c.

rantis? Quoniam, vt inquit Aug. in Ps. 118. *Si operatoria Dei potentia subtrahatur, intereunt: nec aliquid omnino, siue de mundi elementis, siue de genitoribus, siue de seminibus nascitur, si ea non operetur Deus.* Nam tu adoras eum sine cuius operatoriâ potentiâ esse non potes? non metuis cuius virtute recedente intereunt omnia? Adorandi verò causa etiam in fidelibus alia, quos singularissimis viuæ fidei, & donis caritatis, specialissimo, efficacissimoq; auxilio vt filios dignatur.

Caluiniani orare nõ possunt. Orare vos non posse, aut sine euersione perfidiæ non posse docet Vorstius. Verba eius: *Si quicquid vult Deus fit in mundo, Cur igitur precari iubemur, vt voluntas Dei fiat in terra, sicut in cœlo?* Vos ergo orare non posse docet vester. Et reuera antagonista F. Broeckerus respondet, vt facile appareat eum orare non posse. Verba eius. *Resp. Negatur consequentia maioris. Nam diximus illa, quæ fiunt in mundo, fieri duplici modo: simpliciter enim, & secundum quid. Quicquid fit simpliciter, illud diximus Deum velle, quoniam bonum est, & omne bonum vult Deus. Quod autem fit secundum quid, malè nempe, hoc non vult Deus, quâ malè, & propterea rectè precamur fiat voluntas tua, sicut in cœlo, sic etiam in terra.* Non, inquam, qui ita iudicat orare potest. Nam primò nihil petimus, vt fiat eorum, quæ Deus simpliciter vult iuxta hanc responsionem. Hæc enim Deus definiuit, hæc vult, hæc fient. Vt ergo non petimus à Deo, nisi stultè, vt sit omnipotens, ita nec vt illa volũtas fiat, nam omnino de decreto fiet: simpliciter fit nec panem nostrum petimus, quia ex illis est, quę simpliciter fiunt, bonum enim est; nec vitam æterná, quia magnum bonum, q nec ocul⁹ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit: nõ ergo petimus, vt nos regat, tueatur, &c. Sed nec de eo quod fit secundum quid. Nam vt non fiat actus peccati, quâ actus est, seu res bona, nõ petimus, hoc enim vult Deus, & cũ fit, iam fit voluntas Dei, & semper fit.

Quid

Quid ergo petimus? nec fiant mala, quâ mala ſunt. reſtringitur igitur mirum in modum illa orationis dominicæ petitio. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, ſic etiam in terra. Senſus enim eſt, ne fiant mala, quâ mala ſunt. Sed ne hoc quidem manet reliquum vt petamus. 1. Deus decreto ſuo effectiuo, & abſoluto vult fieri actum malum, vt opus eſt, verbi gratia, odium ſuæ bonitatis, at fieri non poteſt, vt cum hoc fit à creatura intelligenter, & libere agente, ſeparetur ab eo malitia. Stulte igitur oramus vt fiat, quod fieri non poteſt. 2. Deus vult malum, vt cauſam damnationis, malum igitur vt malum. Quem enim ad exitium deſtinauit, eum ad certos omnibus circumſtantiis definitos cruciatus deſtinauit, reſpondentes certis, eodem decteto, definitis, peccatis, hæc ergo voluit. 3. Omnia bona, inquit, quæ fiunt Deus voluit, mala vt mala non vult; Et quid eſt, non vult? Reſpondeo de Caluini ſententiâ. *Non vult voluntate reuelatâ, nam prohibet, non vult voluntate ſigni, nam ſignificat ſe nolle. vult tamen voluntate arcana, & omnia eo ordine diſpoſuit, vt neceſſario fiant.* Quid igitur petitis, cum dicitis. Fiat voluntas tua? &c. Vel enim hic ſenſus eſt, fiat voluntas tua reuelata; at hoc ſtolidum, nam ſemper vetat, quod vetat. Vel fiat voluntas arcana, illa enim contraria eſt in malis reuelatæ, at illa etiam ſemper fit. Fruſtra ergò petunt, vt fiat voluntas.

Pareus pag. 255.

Voluntas finem vult ſub ratione boni, media ſub ratione peccati in electionem ſæpe veniunt. Deus per ſe non eſt cauſa malæ actionis, quâ mala eſt, nec proximè, ſed remotè. Per ſe proximè, actionis malæ cauſa ſemper eſt voluntas mala hominis, vel ſatanæ.

Voluntas ſemper appetit ſub ratione boni.

Defenſio.

Media vt media in electionem veniunt ſub ratione boni, quia veniunt in electionem vt ordinata in finem, at finis ex confeſsione aduerſarii bonum eſt,

eumq; voluntas intendit vt bonum. Naturalis enim appetentiæ rationalis inclinatio, ita conciliata est bono, vt non poſsit velle malum, niſi ob aliquid quod in malo vel eſt, vel putatur eſſe bonum. Nec adulter eligit flagitium ſuum, vt malum, quamuis ſciat eſſe malum, ſed vt voluptarium, ſequiturque ſuum in malo vero, & grandi, cupiditas bonum. De idolo Gebennenſi ſolo eſſe poteſt quæſtio, eligatne malum ſub ratione mali, quia decreto, operatione, coactione vult illud, vt reciprocum pœnæ, aut cauſam reatus, vt occaſionem iuſtæ iræ, ſed tamen & illud malum, electum vt malum, in bonũ finem confert, iuſtitiæ ſuę, & miſericordiæ declaratione͂. Quod voluntatem ſemper ait cauſam actionis malæ, verum eſt, non tame͂ Pareanum: cur enim l. 1. c. 1. & 2. Voluntarium à peccati definitione remouit? Cuius enim cauſa ſola voluntas, id voluntarium. Cur igitur ibi, & Auguſtinum & Bellarminũ vexauit, ſi nunc alio malo preſſus, vltro donat?

Sola voluntas cauſa mali.

Pareus pag. 25[illegible]. & ſeq.

Primo influxus vniuerſalis ſit vitioſus, peccatum magis erit à cauſa vniuerſali, quam à particulari: v. g. impoſtor, qui agit vt cauſa vniuerſalis magis peccat, cum cœtum in errorem inducit, quam ſinguli ſeducti.

Secundò, Cauſa vniuerſalis magis ad deformitatem influit, ideo magis peccat.

Tertiò, Exemplum cœli eſt ἀπροσδιόνυσον, *non enim de phyſicis, ſed de moralibus actionibus hic agitur.*

Quartò, Deus nunquam ſit cauſa particularis, ſed ſolus eſt: & ſemper agit, vt cauſa vniuerſalis, licet alias generali, alias ſpeciali influxu: ſi igitur peccatum eſt à ſolâ causâ particulari, ſequitur Deum nunquam proprie peccare, ſed Bellarminũ proprie mentiri, blaſphemare.

Quintò, vt peccet, opus eſt peccatum intendat, per ſe producat effectum.

Defenſio.

Ad primum, Inſcite hoc exemplum adducitur. Nun-

Nunquam enim Deus est causa vitiosa, aut concursus vitiosus. Deinde nescit ipse quid sit causa vniuersalis, non enim impostor, Ecclesiam seducens, hac significatione causa est vniuersalis, atque hic pueris ludibrium debet. *Ignorat quid sit causa vniuersalis.*

Ad secundum, Negamus causam primam ad deformitatem concurrere, quia eius influxus est indifferens. Si causa vniuersalis magis ad deformitatem influit, quãto magis causa vniuersalis proprie determinans causam particularem, intendens pœnã, & culpã?

Ad tertium, Moralia, similitudine physicâ benè exponuntur, si male, cur physicâ similitudine iam tertium vtitur aduersarius, deducens cantherium in fossam claudum? Exemplum equi ἀπροσδιόνυσον est, quia hic de moralibus agitur, aut si equus est ad διονύσια multo magis cœlum.

Ad quartum, Deus semper causa vniuersalis, interdum agit vt causa particularis. Ipse aduersarius paulò post actionem eius in vniuersalem, & specialem diuidet, ne negare possit se esse mentitũ. Rex semper rex est, persona publicæ dignitatis, agit tamen interdum non iure regio, sed modulo priuato. Caluinistæ dum ei causalitatem particularem tribuunt, decernentis, impellentis, cogentis, agentis, cur non etiam eidem peccata transscribant causam nullam possunt dicere.

Ad quintum, Non opus est, vt intendat malum quâ malum est, vt sæpius demonstratum: satis est actionem malam intendere quâ est via ad inferos, quâ digna odio Dei, digna pœnis: Quæ pag, 262. & seq. citat. c. 11. exponentur, ne opus sit tam crebrâ repetitione: Rationes vero c. 17.

Pareus pag. 267.

Si vniuersali tantum influxu concurrit, quomodo operatur omnia in omnibus, secundum εὐδοκίαν voluntatis suæ? potius dicendus erit operari secundum voluntates hominum, quippe à quibus influxus ipsius indifferens benè vel malè determinatur non ipse determinat.

Defenſio.

Deiconcurſus vniuerſalis ab homine determinatur. Vniuerſali influxu non ſolo in omnibus, ſed ſolo in malis. Nec tamen quod operatur, non operatur ſecundum voluntatis ſuæ conſilium: conſtituit enim cum libere agentibus eo influxu concurrere, qui hominum malas voluntates malè nunquam determinat, ſed à quibus ipſe in fluxus bonus male determinatur.

Non poteſt aduerſarius recedere à malitiâ, nec idolum ſuum Eleuſinianis ſipariis tegere. Nam ſi homo nullus Dei concurſum male determinat, & male tamen determinatur, à Deo vtiq; eſt illa mala determinatio, & peccatum, vt Deus, non homo peccet.

Caluini deinceps philoſophiam ex c. 14. inſtructionis contra Libertinos recitat, ex qua nos obiter hæc colligimus.

Primò, *Eſt primum*, inquit (Dei) *vniuerſalis operatio, quâ dirigit omnes creaturas.* agnoſcit ergo vniuerſalem.

Ob vniuerſalem influxum eſt, Deo gloria tribuenda. Secundò, *Vniuerſalem, inquit, prouidentiam ſæpe attingit ſcriptura, vt diſcamus gloriam Deo tribuere in omnibus operibus eius.* Caluino ergo vniuerſalis influxus eſt cauſa, ratioque, cur Deo honorem tribuamus.

Tertiò, Expoſitâ ſuâ de operatione ſpeciali ſententiâ ſubdit: *Quæ cum libertini audiunt, temere atque incogitanter irruentes neque longius ſpectantes, nihil amplius agere creaturas, &c.* ſunt ſpuria Caluini vitulamina Libertini.

Quartò, *Sumunt, inquit, omnia (opera) qualitatem à propoſito, & voluntate auctoris.* Recte. Abelis in precibus, quæ inuito obrepſit mentis auocatio, qualitatem non habuit à propoſito & voluntate eius, qui paſſus eſt, cum reniſu voluntatis, ſed à Deo, ſiquidem peccatum eſt Caluino,

Bel-

Bellarminus.

Caluinus l. 2: Inst. c. 4. §. 2. *Idem Deo, homini, Satanæ facinus asſignat.* Nec de vniuerſali ſed de ſpeciali actione agit, illam actionem intendit, & lib. 1. Inſt. ca. 18. §. 2. dicitur, *operari Deum mentibus hominum omnia. 2. Vt proprie pios Deus illuminat, ita proprie impios, iuxta Caluinum excæcat.*

Pareus pag. 277.

Primò, idem facinus Dei est, & hominis, ſed varietas in modo, & fine. Secundo, Bellarminus dicit eum Torquere. Tertio, Per Theologiam Ieſuiticam Deus non operatur in mentibus hominum.

Defenſio.

Modus Dei, quem illi tribuunt Caluiniſtæ, eſt, vt decernat, imperet, actione ſpeciali inoperetur vt cauſa particularis, ipſe ſuum concurſum benè, vel malè determinet. Finis vt damnet, ideo præcipitet in culpam, ſic illi facinus aſsignatur. Homini ſæpe inuito, ſæpe volenti, ſed cum vult, neceſſario volenti aſsignat.

Noſtra Theologia eſt, Deum in mentibus hominum, operari bona, ſinere mala, ex quibus eliciat bona, ac proinde non eſſe facinorum, quæ mente concipiuntur operatorem. Pareus ſtrenue Libertinorum cauſam agit. diſputabant illi teſte Caluino, c. 14. ſcriptura in vniuerſum pronunciat, *Deum omnia efficere in omnibus.* Reſpondet ille: *Cum hac ſententia vtitur Paulus, tantum loquitur de gratiis Spiritus ſancti.* Si vere reſtrinxit Pauli pronunciatum Caluinus, vt reſponderet Libertinis, Libertino igitur errore ſuffragatur Pareus, cum extendit ad alia, etiam mala, quæ de ſolis gratiis ille pronunciarat. *Pareus Caluino repugnat.*

Bellarminus.

Zvvinglius in ſermone de prouidentiâ cap. 5. *Dicit neceſſariam fuiſſe iniuſtitiam, vt iuſtitia cognoſci poſſet, & c. 6. fuiſſe neceſſarium mendacium, vt veritas cognoſce-*

gnosceretur, & ideo Deum impulisse Angelum, & hominem ad mendacium, & iniustitiam.

Pareus pag. 279.

Non est hoc Theologi, &c. Sed Diaboli in hunc modum agere. non enim dicit illa Zvvinglius. non igitur Bellarminus legit Zvvinglium.

Defensio.

Peccata Caluinistis iudicantur necessaria.

Immemorem sui senem, vt tranquillum efficiam, nunc cautio est. Cum Zanchius lib. 2. de natura Dei, l.5.c.2. *omnia media ad mortem, nempe impiorum peccata à Deo prouisa, ad illorum vsque interitum in finem ordinata* dicat, cum Beza colloq. Momp. pag. 169. sic pronunciet: *Nisi diuino illo decreto cognoscat Doctor Andreas, non tantum finem vltimum, sed etiam causas intermedias discerni, quod proinde ipse derelectioni praeeat, ergo temere, & ignorante Deo ipso, qui eas dereliquit, perituri derelinquuntur, quod non est aliud, quam prouidentiam Dei singularem negare.* Cum idem Beza dicat, *oportuisse hominem labi, vt in eo misericordia & iusticia locum habere posset.* Quomodo hoc tanto opere fugit & amolitur à Zvvinglio. Secundò, Dicit Zvvinglius: *cum Dei bonitas non minus in se contineat aequitatem, & iustitiam, quam beneficentiam, & misericordiam: necesse fuit, vt cum angeli, & animi creandi essent, hac ratione conderentur, vt Dei iustitiam perinde, ac benignitatem cognoscerent. Indicat vero hanc non potuisse cognosci sine iniustitia,* vt etiam Beza pag. 525. colloq. Mompelg. *oportuit suam persuaderi, vt legem transgrederetur, &c. Verum vt Deus finem creationis hominis consequeretur, oportuit Heuam, & Adamum per Satanam decipi, vt misericordiae in condonando delicto locus esse posit.*

Et pag. 524. *Si Deus immutabiles homines creauisset, vt labi, & peccare non possent: Deus sibi neque ad misericordiam, neque ad iustitiam viam aperuisset. Si*

ergo

ergo via illa fuit aperienda, necessario per iustitiam aperienda. Sic Beza.p.523. sic, cum iustitia præsupponat culpam, sine qua iustitia exerceri non potest (vbi enim non est culpa, ibi etiam iustitia locum non habet) ideo hominem quoque ita creari oportuit, vt seruatâ naturâ aptus esset, in quo Deus iustitiam suam declarare posset. Iustitiam enim suam declarare non potuisset, nisi eum ad æternam damnationem destinasset. Hæc ergo clara.

Huc omnia crimina, quæ Bellarminus mendacia appellat, pertinent. Non ergo Caluinistæ est id negare, quod magistri eius etiam apertius, quam Bellarminus arguit, dixero. lenius retulit Cardinalis blasphema, quam illi protulerint. Sycophantæ ergo, imo Diaboli ista negare. Sed quo propius Gebennensem Priapum retegit Cardinalis, eo fuerit atrocius idoli perituri myſtes.

Sic specus, & laci detecta apparuit, ingens
Regia, & vmbrosæ penitus patuere cauernæ, &c.

Mendacium igitur, & omnia peccata necessaria fuerunt, virtutibus contrariis cognoscendis.

Bellarminus.

Beza aphorismo 22. agere per instrumenta, & ad hoc illa creare, de quo supra. Ergo speciali actione intendit. Itaq; cum sit auctor, ipse etiam continuo peccat. Neq; verò similitudo satisfacit illa de sole, & cadauere, quam Caluinus adducere solet, vt ostendat Deũ non peccare, licet sit causa, cur alii peccent. Quã quidem similitudinem adeo propriam, & ad rem illustrandam appositam existimauit, vt eam multis locis repetierit, vt lib. 1 o. Instit. cap. 17. §. 5. in instructione contra Libertinos cap. 14. vt in epist. contra Franciscanum quendam Libertinum. est autem hæc similitudo, quam verbis eius referam ex lib. 1. Institut. *Et vnde quæso, inquit, fœtor in cadauere, quod calore solis, tum putrefactum, tum reseratum fuerit? Radius solis excitari omnes vident, nemo tamen illos fœtore*

ideo

ideo dicit. Ita cum in homine malo subsideat ma'i materia, & culpa. Quid est, quod inquinamentum aliquod contrahere putetur Deus, si ad suum arbitrium vtatur eius ministerio?

Pareus pag. 280.

De similitudine solis, & cadaueris à Caluino loco supra allegato, & alibi vsurpata non laboramus. Facilè damus aliquid esse dissimile: cum simile omnino diuinæ gubernationis dari nullum possit. Neq; enim viæ Iehouæ sunt sicut viæ hominum. Lutherus dedit simile, equitis agitantis equum claudum: statuarii fabricantis statuam ex ligno carioso: sed nihil prorsus simile nisi hactenus vitium instrumenti non esse à Deo, ab equite, à statuario. Sed ab hominibus, ab equo, à ligno, &c. calumnias tamen aduersarii etiam hic minime feremus.

Defensio.

Similitudo qua Caluinus vtitur contra ipsum est.

Non modo sunt dissimilia, sed in eo, in quo similitudo versatur, dissident. Negat aduersarius Dei esse, quemadmodum solis influxum generalem. Deinde Caluinus, fœtoris causam esse solem eo modo, quo suaueolentiæ existimat, vt eo simili conficiat Dei in bonis & malis operibus exercendis puritatem. Nam vt vera sit comparatio, necesse est, vt sol cadauer efficiat, fætorem velit, eques vitium equo, statuarius cariem ligno ad certum finem indat.

Deus ad materiale cogens, etiam ad formale peccati cogit.

Non ignotum tuum nugamentum. Fecisse Deum, materiale, non formale culpæ, ad illud destinasse, non hoc, quod est ἀνομία. Cum enim lex iustitiæ inflexibilis, norma æquitatis, superbiam, inuidiam, contemptum, odiumq; creatoris supremo iure vetat, an metaphysicas duntaxat formalitates, an vero ipsas actiones in mala propensas, à Satana, suaque corruptione concitatas, inuiolabili interdicto coercet? odisse Deum, invidere proximo, nunquam, nusquam, nullo modo, nec materialiter quidem permissum est. Non igitur hoc Deus statuit. Aut si decreuit, eo impellit, cogit,

cogit, cooperatur. peccati reus est, nõ creatura, quam immutabile decretum, omnipotens impulsus, irresistibilis (verbum est Caluinianum) coactio, sese speciali actione determinans; à voluntate malâ non malè determinatus influxus, inq; materiale peccati, iniurioso pede, proruit, Cui materiali ita connexa est deformitas, seu formale; vt ne quidem omnipotentiâ æternâ seiungi queat.

Bellarminus.

At tribus in rebus peccat hæc similitudo. Primum quod ante actionem solis ponatur cadauer; id est, corpus iam corruptum. Neque enim ex corpore integro solis radii fætorem excitare potuissent. At Deus ab aduersariis affirmatur; peccatum excitasse in voluntate primi hominis, cum adhuc ea integra, & omnino sana, & innocens esset.

Pareus pag. 281.

Vtvt prius de sole se habeat, posterius est Diabolica calumnia, refutata supra c.4.§. Deniq; Deus. Non Deus, sed homo excitauit in voluntate sua peccatum sponte obtemperans Diabolo. Instrumentis Deus vtitur minime integris, sed corruptis. Ergo similitudo.

Defensio.

Quæ cap.4. supra dicta sunt, nec rationem habent, nec prætextum, *diabolicam vocat calumniam*, ipse calumniator, rem excutiamus. *Non Deus, sed homo excitauit in voluntate suâ peccatum*, inquit. Orthodoxè, & piè, at parum conuenienter scitis Caluinianis. Nam Deus, vt Beza inquit, causas medias constituit, & eodem quidem decreto: & pag.527. *Oportuit hominem peccare, non nuda & ociosa permißione Dei, ab eius voluntate, & decreto separatâ*: Ergo iuncta, & negotiosa voluntate peccauit, & fœtorem contraxit, tabemq; vitale cadauer. An tu negabis ex tuorum sententiâ, (blasphemiam refero, quam detestor) fætorem cadaueris viuentis esse à Deo? Increpabit te magister tuus.

Similitudo Dei & solis magis excutiunt.

eius verba, colloq. Mompelg. pag. 528. NECESSE ERGO est, ideo lapsos quoque esse homines primos, Deo sic ordinante, vt quidam damnarentur.

Bellarminus.

Deinde sol est causa vniuersalis, neque corruptionem, sed calefactionem intendit: quæ calefactio ex se indifferẽs est ad effectus varios producendos, & à causis particularibus limitatur, & determinatur ad hoc potius, quam illud efficiendum. Itaq; cur ex cadauere calefacto excitetur fætor, ex pomo, aut aromate similiter calefacto existat odor, non in solem, sed in causas particulares causa referenda est. Deus autem, vt supra docuimus, non solum vt causa vniuersalis, sed etiam vt particularis ex doctrina Caluini & Bezæ, concurrit ad actiones malas, quæ ab hominibus fiunt. eas enim in particulari Deus intendit, imperat & per humanas voluntates vt per sua instrumenta perficit.

Pareus pag. 110.

Improbum hoc esse mendacium in refutatione prioris argumenti ad §. id aduersarii: abũde est destructum: Discrepantia nulla est, nisi quod sol naturaliter, Deus liberè operatur. Cætera conueniunt. Sicut enim sol causa vniuersalis in cadauer radiis suis specialiter agens non putrefactionẽ (quæ vitio cadaueris existit) sed calefactionem intendit: ideo putrefactionis causa non est nisi per accidẽs. Ita Deus causa vniuersalis, in malas hominum voluntates specialiter agens, non malas eorum actiones, sed iusta sua iudicia per eas intendit, perficit: Ideo malarum actionum causa non est, nisi per accidens.

Defensio.

Abunde illa discrepantia sufficit confutãdo aduersario, nec tamẽ sola est. vtrumq; probo. Deus voluntate, & proposito, vt fœtor ille flagitiorũ excitaretur, prædestinauit, idq; libere cum posset contrarium cõstituere. Quòd verò ille constituit vt necessario fieret, eius sine dubio causa est vt fieret, & culpabilis causa,

quia

quia libera, liberè enim eligit flagitium: Deus itaque peccator, quod horrendum auditu. Rectè Tert. lib. de hort. ad castitatem. *Excusabitur omne delictum, si dixerimus nihil fieri à nobis sine Dei voluntate.* Nec sola tamen est illa diuersitas, alio negocio non minus efficax. Solis influxus, vt supra fatetur aduersarius, est indifferens, est enim calor, qui non modò graueolentiæ sed vigoris, fragrantiæ, animationis est auctor, at Dei influxum negat ipse, sic esse posse indifferentem.

Bellarminus.

Deniq; sol etiamsi esset causa particularis, nō tamen corrumperetur corrumpēdo alia, quæ non agit libera voluntate, neq; per actionem vllam immanentem, sed per actionem in aliud transeuntem, & necessariā: at qui liberâ voluntate facit alium peccare, is etiā cōtinuo peccat, nec potest corruptione peccati aliū putrefacere, nisi simul ipse etiam putrescat. Nam ea voluntas, quâ vult alium peccare, in ipso est, non in alio, & cum ea sit mala, quippe quæ liberè fertur in o ie- ctum cum rectâ ratione non congruens; sequitur etiam vt ipse sit malus, & peccet. Pareus p. 283.

Horresco, talia referens: quia verò aduersarius tantam blasphemiā mendaciter excogitare, docere, scribere, publicare non horruit: quid nisi cauteriatā frontem orbi Christiano prodidit, quæ iudicium Dei non effugiet. De solis actione libera, immanente, transeūte nulla cura. Qui libera volūtate alium peccare facit per se, peccat haud dubie. Quòd Deus hoc faciat, malam voluntatem habeat, non Caluini sententia, sed aduersarii est blasphema calumnia. Durādus è Scholasticorum grege non infimus, ipso aduersario infra fatente scripsit, potentiam peccandi formaliter esse à Deo. Potentia, an actus peccandi formaliter sit à Deo quid interest, cum vtrumq; sit ἀνομία in statu peccati? A Deo itaque peccatum erit formaliter. Cur hunc Sophistā non refutauit? nisi quia similes habent labra lactucas.

Defensio.

Meritò sanè, & quidem magno tremore concussus horrescis, tæterrimum idolum mundo exhibetur adorandum, Deus peccator: sed mysten tam enormis Deastri defendendo, qui est, vt Lutherani dicunt, sanguinarius Moloch, Deus Calecutanus, te quoque non dissimili idololatria inquinatum ostendis.

Duo sunt effugia. Primum, Deus non per se, sed per accidens intendit peccatum, non igitur causa peccati. Falsum est ita sentire Caluinum & Bezam. Intendit peccata, vt media ad finem, per se ergo intendit: & ne sit in verbis litis occasio. Eligit illa media, & potenter efficit vt damnet. *Necesse ergo est, ideo lapsos quoque esse primos homines, vt Deo sic ordinante aliqui damnentur.* Horrenda vox; addit glossa Lutherana, & vere. Quid enim Chorresco referés) crudioris potest esse sæuitiæ. Quam Deum miseræ creaturæ sic illudere, vt primo destinet, absoluto decreto sempiternis cruciatibus? Horrendum auditu & blasphemum & impium ingeminant in colloquio Mompel. Lutheriani. Quid iniquius, quá velle, vt exitio destinatus seruulus, sine suæ respectu culpæ destinetur, impellatur, cogatur ad opera mala, ne pereat insons, sed cogatur esse nocens, vt in eo Dei iustitia refulgeat. Vetat voluntate reuelata, & fieri vult absoluta. *Non enim est voluntas Dei, vt impii legem Dei seruent*, si magistro Parei Zanchio credimus.

Sæuitia idoli Gebennensis.

Verum latius se extendit huius Idoli, quo nullum execrabilius, feritas; Reprobos sine eorum culpa destinauit exitio, quod vt iustum esset destinauit & culpæ, & quomodo culpæ? vt omnis eorum voluntas, omnis amor Dei, & proximi, omnis synceritas animi, si fratri succurrant, si filium incendio eripiant, si Deū agnoscere studeant: omnia illa scelera sunt æterna morte puniéda: ad hæc destinauit eos vt sine fine, sine misericordiâ cruciaret. Hæc enim faciendo iram Dei

in se

in se concitant, & tormentis suis gradus addant. Ecce omne opus optime factum, illis in damnationis occasionem conuertitur.

Bellarminus.

Caluinus eò simile adducit, vt ostendat Deum non peccare, licet causa sit, vt alii peccent.

Pareus pag. 280.

Falsum hoc. Ostendit eo simili Deum non contaminari peccatis hominum, licet eorm vtatur ministerio, quando peccant: quia malitia hæret in ipsis instrumentis, sicut radii solares non fœtent, licet radius solis resolutum cadauer fœtorem emittat: quia fœtoris materia in ipso cadauere residet. Lector aspiciat loca annotata: & malitiam aduersarii obseruabit.

Defensio.

At hæret difficultas, & aduersario inenatabile ὑποζεύχιον. *Deus non contaminatur peccato, cum vtitur instrumentis peccantibus.* Verum est. Sed cum instrumenta ipsa creat, vt peccent, creat enim vt pereāt, vt ardeant: cum creat ad omnia media, quibus eo deueniant, vt iustè ardeant; non minus ipse peccat, nec radii solares à scelere immunes essent, si potenti voluntate fœtorem excitarent, nam si sulphur vrat, aliaue graueolentia homo, eo proposito vt δυσωδίαν efficiat, is causa fœtoris est, non tantum sulphuris malignitas multo magis Deus, non modo ignem applicans, sed fœtorem adiuuans, necessitatem perditionis adferens, adeo certò destinata est ex gratuito odio damnatio, & eodem decreto, testante Beza fœtor peccati, Deo abominabilis, vt in executione sit iusta damnatio.

Deus instrumenta creat, vt sint mala, iuxta Caluinum.

Vtrobique fingitur Dei beneplacitum. Nec tantæ seueritatis vlla in miserrimmâ creaturæ causa quam exitio suo immite fatum destinat. Loca annotata à Bellarmino aspice Lector: & ecce: *Nos contra,* inquit,

obseruare debemus, creaturas in suo gradu opera sua in terris efficere, quæ prout effecta fuerint hoc vel illo fine, sic aut bona, aut mala existimanda sunt, interim omnia gubernat Deus, &c. Finis hominis sæpe nullus, cum est subreptio: finis Dei damnatio, minime minimi peccati cogitationi debita. Vter his peccat? Sic Caluinus lib. 3. Inst. c. 25. *Reprobos Deo exosos esse, & quidem optimo iure: quia eius spiritu destituti nihil proferre queunt, quam maledictionis causam.* Omnia igitur eorum bona sunt causa maledictionis, etiam quâ laudabilia ex hæresi aduersarii. Quia væ, inquit, vitæ laudabili, quâ laudabilis est.

Alterum effugium est, in magnum labyrinthum implicatio, cum insigni mendacio. Falsum est, Bellarminum fateri, Durandum docere potentiam peccandi esse formaliter à Deo. Tantum, ait, eum in li. 2. sent. dist. 1. q. 5 & dist. 37. dicere; *Deum omnia operari, quia potentias operatrices dedit, non quia ad actiones efficiendas ipse nobiscum concurrat*, quem eius errorem eodem loco refutet, qui error etiam est, quorundam Lutheranorum, vt Polycarpi Leiseri in explicatione locorum communium Philippi, de causa peccati. Potentia peccandi est à Deo efficienter, estque vis operatrix qua benè, & malè agere homo potest ipsa scilicet volendi, nolendique liberrima facultas, quæ à Deo non est data formaliter, vt peccetur, sed vt imago Dei perfecta, libero amore se, suaque in auctorem suum referat. Quam verò hoc absurdum perinde esse potentia, an actus peccandi formaliter sit à Deo: cum vtrumque sit ἀνομία in statu peccati? Quantum inter Deum, & diabolum, tantum inter hæc discrimen est. Potentia peccandi fuit data Adamo, & Angelis, quia peccauerũt, actus verò nequaquam est à Deo, sed potentiæ abusu. Neque nunc arbitrium nostrum, aut intellectus crimen est, sed voluntarius error, & intellectualis malitia, facultatum illarum, non malarum

Parei Flacianismus, potentiam peccandi esse peccatum, & non à Deo.

pessi-

pesſima progenies. Si potentiæ illæ ſunt ἀνομίαι, cur non eſt cauſa earum anima ipſa, & eſſentia hominis eſt ἀνομία? cur non igitur ad Flaccum deficimus, vt peccatum originale ſit ipſa hominis ſubſtantia? Cur non videndi, odorandi potentiæ ſunt ſcelera? Cur Dominus miſericorditer cæcis lumen, ſurdis auditum, mutis loquelam reſtituens excuſatur à peccato? Tot enim ſceleribus miſeros illos cumulauit, & gehennæ magis fecit obnoxios. Non igitur potentia peccatum eſt, ne quidem in ſtatu peccati, ſed bona valde, at potentiæ bonæ malus vſus ipſe peccatum eſt. Sufficiunt hæc lectori non æquo modò, ſed alieno etiam, verum aduerſario rudi, & puerilibus præſtigiis euaſiſſe perſuaſo, etiam amplius addam quippiam.

Caluinus lib. 2. Inſtit. c. 2. §. 9. concedit, *fidem, vt eſt particulare donum Dei, ſeu facultatem miraculorum, donum linguarum etiam impiis dari.* Secundò, *credunt plurimi Deum eſſe.* Tertio, *Simonem credidiſſe qualicunque fide non ſimulaſſe.* & §. 11. *Reprobos ſimili ſenſu, atque electos affici, vt ne ſuo quidem iudicio ab electis differant. Quare nihil abſurdi eſt, quod cœleſtium donorum guſtus ab Apoſtolo, & temporalis fides à Chriſto illis aſcribitur: non quod ſpiritualis gratiæ ſolidè percipiant, ac certum fidei lumen: ſed quia Dominus, vt magis conuictos, & inexcuſabiles reddat, ſe inſinuat in illorum mentes, quatenus ſine adoptionis ſpiritu guſtari poteſt eius bonitas.*

Et. *Nec vero nego, quin huc vſque mentes eorum irradiet Deus, vt eius gratiam agnoſcant.*

Et. *Gratiæ ſuæ ſenſu aliquos illuſtrat.* & §. 12. Eos arbori comparat, *quæ per aliquot annos non flores tantum, & folia emittat, ſed etiam fructus.*

Et. *Deum illis gratiæ ſuæ radiis illucere reprobis, quos poſtea exſtingui patitur.* Et.

Reprobos interdum ita affici, vt quoddam mutui amoris desiderium in cordibus eorum excitari sit necesse. Sic in Saule ad tempus viguit pius affectus. Quorsum hæc? Vt Deus illusor, & auctor peccatorum, qualis reuera fingitur, protrahatur.

Deus auctor est pij affectus in reprobis, &c at ille est peccatũ, non à reprobo qui hæc potius patitur igitur à Deo.

Nam Syllogismo rem ita concludo. Fides quâ fiunt miracula, donum linguarum, donum prophetiæ, sensus similis sensui electorum, cœlestium donorum gustus, & gustus bonitatis diuinæ, insinuatio domini in mentes hominum, irradiatio mentium, gratiæ agnitio, ex his flores, folia, fructus, spiritus operatio, amoris desiderium, pius affectus habent auctorem Deum, non hominem, sunt enim supra hominis naturam. Voluntas humana in quibusdam, vt in dono linguarum, nihil agit, aut si agit, consentit huic irradiationi, gustui, quâ in re male non agit. Vno verbo, opera sunt illa Dei, non hominis, iuxta mentem Caluini, sunt enim dona cœlestia non naturalia. Sed hæc omnia sunt naturâ suâ peccata mortalia, tum quia sunt in reprobis, quorũ omnia sunt abominatio. Tum quia per hæc sunt inexcusabiles, & dantur non vt illuminentur, sed vt damnentur, & cum fiduciari se vere miseri arbitrantur, inani carnis securitate delusos inueniunt. Immane idoli Gebennensis in homines odium, vt dona supernaturalia infundat, etiam dormientibus, insinuet se in animos eorum & cœlestia dona conuertat in scelera periturorum, eo fine vt pereuntibus addat ludibria, vt scenico regiorum filiorum ornatu, & vmbratili adoptionis pompâ inflatos, maiore risu in tartarum præcipitet. Palmare hæreseos Caluinianæ flagitium; Omnia illa dona, gratiæ, propriè sunt à Deo, non ab homine, nam supra omnem hominis facultatem sunt. Sunt tamen peccata mortalia. Horum ergo arbor Deus, ex his propriissime peccator.

CAPVT VI.

1. *Sequi ex ſententia Caluiniſtarum homines non peccare, ſed Deum.*
2. *Omne peccatum voluntarium ex Auguſtino probatur.*
3. *Iniuſta eſt pœna, ſi peccatum occupat inuitum.*
4. *Itaq; nemo peccet neceſſario.*
5. *Integritas non eſt ſine bona voluntate.*
6. *Auguſtinus defenditur.*
7. *Caluiniſtarum maius eſt, quam Stoicorum fatum.*
8. *Aduerſarius deprauat Auguſtinum.*
9. *Peruertit verba Bellarmini.*

Ex doctrina Caluini, Zvvinglij, Bezæ, & ſimilium colligi, Deum ſolum vere peccare, non homines.

Bellarminus.

DEus ſolus, ex horum ſententiâ peccat, non homines. Ratio eſt. Nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt. Primi parentes noſtri in ſtatu innocentiæ actiones malas vitare non potuerunt. Igitur primi parentes noſtri in actionibus malis non peccauerunt. Quod ſi primi parentes quo tempore gratiâ Dei, & libero arbitrio præditi erant, peccatum vitare non poterunt, ac per hoc non peccabant, etiamſi malè agerent; certè multo minus poſſunt homines poſt Adæ peccatum, malas actiones vitare, cum gratiâ *Homines non peccare, ſed Deum.*

Dei, libero arbitrio, ex Aduersariorum sententiâ careant, ac proinde non peccant; etiamsi in omnia scelerum, & flagitiorum generà dilabantur.

Pareus 284.

Primò, probat hominem non peccare, de Deo nulla mentio. Secundò, propositio falsa: quia ad peccatum sufficit, si sit voluntariè contra legem admissum. Diabolus enim non potest non peccare, & intemperans non potest non indulgere crapulæ, peccat tamen, nec excusatur. Tertiò. Primus homo poterat vitare peccatum, & iam possunt vitare homines, quoad libertatem voluntatis, non quoad prauitatem: imò quo magis necessario peccant, hoc magis peccant.

Defensio.

Ad primum, Firmum est argumentum Cardinalis. Si enim in actione communi Deo, & homini scelus est, vel illud Deo, vel homini, vel vtriq; asignabitur: non homini, Deo igitur. institutum itaq; probat Bellarminus.

Probatur Deum non homines peccare.

Ad secundum. Exceptio de voluntate euertit illa, quæ lib. 1 cap. 1. contra Sanctum Augustinum nugabatur. Deinde peccata sunt etiam involuntaria ex hæresi Caluinistarum, subiti motus, operationes Spiritus sancti, pij affectus in reprobis, donum linguarum, & eius generis gratiæ supercœlestes in ruinam impiorum concessæ, & hæc tamen voluntati humanæ, non possunt imputari, quæ in plerisque nullas agendi, mouendique partes habet, à diuinâ voluntate rerum illarum abominationem manare dicendum est. Illa enim est, quæ actiones illas efficit, charismatum dona ἄδωρα, irradiationes, illustrationes, fidem, paternæ affectionis simulationes in reprobos confert. Non igitur reprobis illa, sed Deo asscribenda sunt.

Ad tertium. Argumentum illud de dœmonum obstinatione, pro nobis militat. Non enim in nouam pœnam

nam

nam imputatur, vti nec damnatorum. Si namq; omnibus dæmonum, hominumq; in illo cruciatu miserrimorum, & in miseriâ pessimorum actionibus, supplicium exaggeratur, crescitq; doloris continuo sine intermissione acerbitas, idq; in omnem secuturi sæculi æternitatem, infinitum quoddam tormentorum pondus imponitur, cum nihil de suo iure Deus, vt sentiunt Caluinistæ rigidiores, possit remittere.

Non crescunt continue dæmonum tormenta.

Ad Quartum. *Quam turpe & illud; Intemperantem non posse non indulgere genio?* Potest omnino intemperantiæ tentationi obniti, colere sobrietatem. Habitus enim inclinant, non cogũt. Mansuete agere potest, qui iracundus est. Exemplum in sanctis electis Caluiniani commatis, euidentissimũ est. Illi in omni facinorum atrocitate, omni flagitiorum fœditate, fidei, & caritatis habitum, Spiritusque S. gratiam retinent, nec dona tamen tam cœlestia, non ipse inhabitans corda scelerata Spiritus S. cogunt eos bene agere, pessimus machinationibus abstinere: cur igitur habitibus malis tanta violentia tribuitur, cui obsistere voluntas non possit.

Intemperans potest sobrius esse.

Bellarminus.

Propositio probatur: Nam vt S. Aug. lib. de verâ religione. c. 14. *Ita manifestũ est, peccatũ non esse, quod non est voluntariũ, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Neq; verò debet eo loco voluntarium distingui, contra coactionem, sed contra necessitatem. Nam paulò infra explicans idem August. quid sit voluntate benè facere, aut malè: *Tales*, inquit, *seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent.* Et in fine capitis: *Quod autẽ*, inquit, *homini à peruerso Angelo persuasum dicitur, etiam ad hoc vtiq; voluntate consensit. Nam si necessitate illud fecisset, nullo peccati crimine teneretur.*

Omne peccatum voluntarium ex D. Aug.

Hæc

Hæc ille. Vbi vides primum hominem non potuiſſe teneri crimine, ſi neceſsitate peccaſſet, id eſt, peccatum vitare non potuiſſet. Quod etiam affirmat idem S. Auguſt. li. de Correp. & gratia, quem librum iam ſenex conſcripſit orta iam hæreſi Pelagiana (ne forte Caluinus librum de verâ religione contemnendum cenſeat, quod ab Auguſtino iuuene ſcriptus fuerit) in libr. igitur de corrept. & gratia c. 11. ſic loquitur S. Aug. de Adamo. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: In illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, dederat adiutorium, ſine quo in ea non poterat permanere ſi vellet; vt autem vellet, id eius reliquerat libero arbitrio. Poſſet permanere ſi vellet, quia dederat adiutorium per quod poſſet & ſine quo non poſſet perſeueranter bonum tenere; quod vellet. Sed quia noluit permanere profectò eius culpa eſt, cuius meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet.*

Pareus pag. 286.

Primò, probat non auctoritate Scripturæ, ſed Auguſtini. Secundò, De neceſſitate coactionis propoſitio eſt vera, non de neceſſitate immutabilitatis. Ita intelligendus Auguſt. Nam defectus, inquit, qui peccatum vocatur, ſi tanquam febris inuitum occuparet, damnatio iniuſta videretur.

Defenſio.

Ad primum. Cardinalis eo modo probat, quo Auguſtinus, quia hinc nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat.

Ad ſecundum. De illâ diſtinctione ſuo loco ex inſtituto diſceptandum, neceſsitatem enim antecedentem illi agnoſcunt. Nam huic loco nihil obſtat, & quia Aduerſarius calumniatur Auguſtinum, & deprauat. Ecce integrum caput de vera religione c. 14.

Iniuſta pœna peccatum occupat inuitum.

Defectus autem iſte qui peccatum vocatur, ſi tanquam febris inuitum occuparet, rectè iniuſta pœna videretur, quæ peccantem conſequitur, & quædam ratio nuncu-

nuncupatur. Nunc verò vſq; adeo peccatum voluntarium eſt malum, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium: & hoc quidem manifeſtum eſt, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare autem negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi. Non autem rectè negat peccaſſe animam, qui & pœnitendo eam corrigi fatetur, & veniam pœnitenti dari, & perſeuerantem in peccatis iuſta lege Dei damnari. Poſtremò, ſi non voluntate malè facimus, nemo obiurgandus eſt omnino, aut monendus: quibus ſublatis Chriſtiana lex, & diſciplina omnis religionis auferatur neceſſe eſt: voluntate ergo peccatur, & quoniam peccari non dubium eſt, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim ſeruos ſuos meliores eſſe Deus iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter, quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſeruirent, liberaliter igitur Deo Angeli ſeruiunt, neq; hoc Deo, ſed ipſis prodeſt.

Conficiunt illa Auguſtiniana Aduerſarium. Nam eo iudice iniuſta eſt pœna, ſi peccatum occupet inuitum, at multi motuum occupant inuitos, non igitur ſunt pecccata, nec iuſtæ pœnæ obnoxia. Secundò, aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi. Non igitur peccata ſunt quibus voluntas repugnat, quæ inuitum occupant. Nec ſolam neceſsitatem coactionis excludit, verùm etiam immutabilitatis antecedentem, quam adferunt Caluiniſtæ.

Seruirent, inquit, *liberaliter, non neceſſario.* Deinde liberum inde probat arbitrium: *voluntate ergo peccatur.* Et *quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas voluntatis arbitrium.* Hoc arbitrium Auguſtino liberum eſt ab omni neceſsitate. De eo dicit enim; Poſſet manere ſi vellet, ſi neceſſariò cadit, falſum eſt manere poſſe.

Bellar-

Bellarminus.

Neq; id responderi potest (quod Caluinus & Beza solent) videlicet eos qui non possunt vitare peccatũ, verè tamen peccare, quia volunt peccare. Nam qui non possunt vitare peccatum, non possunt non velle peccare, quia si possent non velle, possent etiam non peccare, cum in voluntate peccatum sit: qui autem non possunt, non velle peccare, non habent adiutorium, quo in bonâ voluntate manere posśint. De his autem pronuntiat S. August. eos non suâ culpâ cadere, quibus tale adiutorium fuerit denegatum.

Pareus pag. 289.

1. Si non possunt non velle peccare, necessariò peccare volunt. At necessariò peccare, est summa voluntate peccare.

2. Augustinus de primo homine dicit, non de cæteris.

3. Augustinus dicit: hominem excusatum fuisse, si ei defuisset adiutorium permanendi in integritate, si vellet. Non dicit, si defuisset ei adiutorium permanendi in bonâ voluntate. Hoc enim adiutorium si homo habuisset, omnino lapsus non fuisset.

Defensio.

Necessariò nemo peccat, ita Venator Caluinistà.

Ad primum. Necessariò peccare, est non peccare. Nemo in eo peccat, quod vitare non potest. Consentiunt cum Augustino & orthodoxis Caluinistæ minus impudentes, Adolphus Venator, *Vi huius* (verba sunt declarationis) *necessarij, & à Deo ipso ordinati lapsus Adami negat omnes homines ab ipsa conceptione, & à matris vtero, maledictioni esse traditos, & anima simul, & corpore correptos; ingenio planè excœcatos, voluntate ad malum necessariò inclinatos, qui quod verè bonum est intelligere nequeant, nec aliud quid operari poßint, quam omne*

omne malum: latronem quoque à latrociniis suis non posse abstinere; nec posse aliud quam Dei gratiam, quantumuis oblatam repudiare: imo non posse aliud, quam Deum, & proximum necessario odisse. Tam fieri non posse, vt bonus sit, aut beneficia Euangelica iam oblata credat, aut amplectatur; quàm vt lapis per se emollescat, albescat AEthiops, Leopardus pellem mutet, & mortuus reuiuiscat: Omnem externam illam vocationem nihil magis ad salutem prodesse, nec hominem magis illam amplecti posse, quam si quis loquatur mortuis, qui in sepulchro sunt; aut ad ianuam pulset, intra quam exanimum cadauer decumbat.

Satis hoc erat Antitheitarum impietati. Necessario enim peccare, est, vt loquitur Augustinus, non suâ culpâ cadere. E contrario, summâ voluntate peccare, est liberrimâ malitia peccare. Si enim voluntas cogitur velle, vt non possit non velle, si pronitates in malum, earumque motiones coactæ sunt, peccata esse non possunt, aut si peccata sunt, eius sunt qui coegit, non eius qui resistere non potuit.

Ad secundum. Fortius stringit hoc sumptum à primo homine argumentum. Si enim primus homo liber fuit à necessitate coactionis & immutabilitatis eadem etiam libertas est in posteros traducta. Quod sic ostendo. Primus homo vtraque necessitate liber fuit ex sententiâ Sancti Augustini, posteri eâdem ratione liberi fuere. Nam necessitas diuini decreti, non fuit in posteris quam primo homine iuxta Pareum durior, & arctior. Si maior ergo fuit in posteris necessitas illa non immutabilitatis fuit, sed coactionis, coacti ergo peccare posteri si Pareo credimus, ideoq; nec peccarunt, si veritatem audimus.

Ad

Integritas non est sine bona voluntate.

Ad tertium. Ridiculo ludit cauillo. Si enim defuisset adiutorium permanendi in integritate, fuisset & permanendi in bona voluntate: nisi constare homini sua iudicetur integritas cum malâ aut vitiosâ voluntate. Etsi aliquando bona voluntas est, vbi residet vitiositas, non tamen potest esse mala voluntas si est integritas.

Deinde Augustini formalia verba non dicunt, *defuisse adiutorium in integritate, vel in bona voluntate permanendi*; sensu tamen vtrumque dicit, clarius, *in bona voluntate.* Nam primo ait, *istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus; sed sanè habuit in qua si permanere vellet; nunquam malus esset.* Et *quod adiutorium si homo non deseruisset, semper esset bonus.* An ô Augustine bonus, sine bonâ voluntate? Clarissimè verò: Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe fecerat eum, qui fecerat rectum. Dederat & adiutorium, sine quo in eâ (bonâ voluntate) non posset permanere si vellet, vt autem vellet in eius libero reliquit arbitrio. De eo deinde adiutorio dicit: *si autem hoc adiutorium* (quò in eâ, scilicet bonâ voluntate permanere posset) *vel angelo, vel homini defuisset, non vtique sua culpa cecidisset.* Impudens ergo S. Augustini est in his deprauatio, & stolidè causæ deploratæ subsidium quæritur, ex eo, qui totis illam viribus oppugnat. Verba enim Augustini sunt: *Si autem hoc adiutorium vel angelo, vel homini quam primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtiq; sua culpa cecidissent. Audiutorium quippe defuisset, sine quo manere non posit.* Et tamen si hoc Adiutorium defuisset, nihilominus iuxta Aduersarium voluntariè; & lubentes à Deo defecissenr, ergo ad defectionem illam non suffecisset, quod non inuiti reciderent; neq; ergo nunc sufficit.

Rudes nugæ Aduersarij.

Bellar-

Bellarminus.

Iam verò assumptio primi argumenti; videlicet primos parentes nostros in statu innocentiæ non potuisse vitare peccatum, disertis verbis ab aduersarijs affirmatur; Nam vt supra c. 4. citauimus, hæc sunt verba Zvvinglij de prouidentia. *At, inquies, coactus est homo ad peccandum, permitto, inquam, coactum esse.* Hæc ille. Et vt in 3. c. recitauimus, hæc sunt verba Caluini lib. 3. Inst. ca. 23. §. 7. *Decretum quidem horribile, fateor, inficiari tamen nemo potest, quin præsciuerit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, & ideo præsciuerat, quia decreto suo sic ordinauerat.* Vbi docet Deum Caluinus ex suâ sola voluntate antequam determinationem liberi arbitrij primi hominis præuideret, decreuisse hominis lapsum, & quia Dei voluntati resistere nemo potest, sequitur, non potuisse primum hominem effugere lapsum illum, quod idem Caluinus agnoscit, cum adiungit §. 9. *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi necessitatem: Præsertim cum ex Dei ordinatione sibi injciatur eiusmodi necessitas, nos verò inde negamus ritè excusari, quandoquidem Dei ordinationi, qua se exitio destinatos conqueruntur, sua constet æquitas, nobis quidem incognita, sed illi certissima.* Vbi non negat Caluinus, hominem necessariò peccare, sed dicit esse inexcusabilem, quia Deo constat sua ratio, cur homini peccandi necessitatem iniecerit.

Caluinus iudicat, hominem necessario peccare.

Pareus pag. 290.

1. *Lapsus respectu Adami fuit contingens, respectu Dei necessarius.* 2. *Quod Zvvinglius de latrone dicit, id Bellarminus, de primis parentibus. Sic Caluinus loquitur de necessitate euentus, non coactionis. Non potuerunt ergo vitare lapsum per accidens.*

Defensio.

Nugæ meræ, & fuci: Absoluta illa neces-

 sitas

ſitas Stoico fato multò eſt vrgentior, quâ omnia media, vi decreti immutabilis, conſtituta ſunt. Ná primò, talis eſt lapſus Adami reſpectu decreti illius, qualem eum Deus fieri decreuit, ſed Deus eſſe neceſſarium voluit, neceſſarius ergo erat, etiam reſpectu hominis, nam euitare non poterat. Quanquam euentum ille ignorabat, ſeq; liberum arbitrabatur, non tamen aliud potuit, quam fecit.

Fatum Stoico maius ſtatuunt Caluiniſtæ.

Secundò. Par in latrone & primis parentibus ratio. Legitur ille ad occidendum, vt occiſus transferatur, in crucem figatur ipſe, Primi parentes coguntur, vt Chriſtus naſcatur, vt multi damnentur: hæc etenim ſcita ſunt Caluiniana.

Tertiò Non loquitur Caluinus de ſolâ neceſsitate per accidens, ſiue ineuitabilitatis. Quia verba agendi, impellendi, interprete Aduerſario actionem, & quidem voluntates hominum determinantem ſignificant. Secundò Caluinus etiam neceſsitatem antecedentem nomine neceſsitatis, ſeu ineuitabilitatis intelligit, nam contra Catholicos eam negantes diſſerit.

Quartò, ait pag. 293. *Hominem potuiſſe lapſum vitare ratione ſuæ voluntatis.* At illud in hodiernis peccatoribus eſt falſum. Nam magna pars peccatorum præuertunt omnem voluntatis actionem. Si omnis motio, vt hæretici volunt, peccatum eſt.

Bellarminus.

Quod autem Caluinus & Beza dicunt *primum hominem neceſſario quidem, ſed tamen ſponte peccaſſe:* nihil eos iuuat: Iam enim ex Auguſtino docuimus, primos parentes ſi neceſsitate peccarunt, nullo culpæ crimine detineri, etſi non habuerunt adiutorium, quo poſſent permanere in bona voluntate, id eſt, quo poſſent non velle peccare, non ſuâ culpâ cecidiſſe. Alioquin ſi ſufficiat ad peccandum ſponte aliquid velle, & non requiretur non neceſſario aliquid velle, nulla eſſet ratio cur pueri, atq; amentes, & ipſæ etiam beſtiæ

Peccatum non eſt etſi ſit voluntarium, ſi ſit neceſſarium.

non

non peccarent, cum hominem lædunt, aut aliquid magni pretij destruunt. Agunt enim ista omnia sponte, & sponte appetunt, non coacte ea, quæ non possũt non agere, aut non appetere. Habemus igitur, quod initio proposuimus ex doctrinâ Zvvinglij, Caluini, & Bezæ, Rectè colligi Deum esse peccati auctorem, ipsũ etiam peccare, & solũ ipsum propriè, & verè peccare. Quanquam de eo, quod homo non sit reus culpæ, si necessariò peccat, in tractatu de libero arbitrio copiosius disseremus.

Pareus pag. 294.

1. Tantum Augustinus ostendit, primos parentes culpa vacaturos fuisse, si coacti peccassent.

Deinde, Augustinus de adiutorio permanendi in integritate, ipse allegat de adiutorio permanendi in bonâ voluntate.

3. *Adiutorium interpretatur, posse non velle peccare, cum sit, posse velle non peccare. Hanc enim bonam voluntatem homo habuit, non illã, alioqui non peccasset.*

4. *Homo sponte, & ἐκ προαιρέσεως agentes contra legem Dei peccant. Hi soli peccant, quando sponte ἐκ προαιρέσεως agunt.*

Defensio.

Torquet eo Augustinum hæretici prauitas; non dixit id Augustinus. *Non peccarent,* inquit, *si adiutorium defuisset, sine quo manere non possent.* Si deesse adiutorium illud, est, vt interpretatur Aduersarius, coactus peccare. Omnes igitur nunc qui peccant, coacti peccant, nam omnibus peccantibus tale deest adiutorium, ex sententiâ Caluinisticâ. *Omnia in hac summa verti:* (verba sunt Adolphi Venatoris:) *Quod nolit Deus omnes homines saluos fieri; eosq; in hanc impotentiam labi permiserit: nec tantum gratiæ præstare velit, quantum sufficiat, vt ex hac impotentia emergãt, vt ne aliquando vna salui fiant.* Deinde sua verba D. August. exponit. *Acceperat, inquit posse si vellet, sed* *Deprauat Pareus August.*

 non

non habuit velle, quid posset. Eius verò ſententia; ſi abfuiſſet poſſe, quod vellet, non peccaſſet: abfuiſſet verò poſſe quod vellet, ſi neceſsitas illa ineuitabilitatis adfuiſſet.

Ad ſecundum. Iterum mendacij Cardinalem, ſed mendaciter arguit ante probatum eſt.

Nequiter verba Bellarmini inuertit.

Ad tertium. Quam φορτικὸν eſt, inſulſa in re ſeriâ deliratio: Imò manifeſtũ mendacium? Cardinalis *adiutorium intelligit, quo poſſent permanere in bona voluntate, ſeu quo poſſent non velle peccare.* Aduerſarius verba Bellarmini: *Quo poſſent non velle peccare:* mutato modo ſic retulit: *Quia adiutorium permanendi in bona voluntate interpretatur, poſſe non velle peccare.* Inſigni fraude interpretatur Bellarminum, quaſi dicat: *accepiſſe adiutorium, quo poſſent peccare, non tamen vellent peccare.* Ideo argutatur: *hanc bonam voluntatem eos non habuiſſe.* Et quidem horum verborum: *interpretatur poſſe, non velle peccare*, ſenſus eſt ambiguus: nam ſignificat primò potentiam peccandi adeſſe, non voluntatem. Secundò, adeſſe potentiam non volendi peccatum. Hic eſt neceſſariò ſenſus Bellarmini, cum dicit: *Quo poſſent non velle peccare.* Aduerſarius nequitiâ ſenili, verba mutauit, ne calumnię deeſſet occaſio. At, *poſſunt non velle peccare*; non eſt, *poſſunt peccare, ſed nolunt peccare. Sed poſſunt abſtinere peccandi voluntate.*

Subiti motus cum non ſint ἐκ προαιρέσεως, non ſunt peccata.

Ad quartum. Vel talento æſtimanda ſolutio. Quantum etenim nobis vltrò largitur? ecce non ſufficit ſpontanea voluntatis in ſcelus inclinatio, vt peccetur, opus eſt vt voluntas agat ἐκ προαιρέσεως. Rectiſſimè. Sed vbi tum ſubitanei motus, & celeres ante omnem electionem illecebrarum, irarum, aliorumque vitiorum impulſus? ſi hæc peccata ſunt, ergo in pueris amentibus, non enim προαίρεσις neceſſaria eſt. Si opus eſt προαιρέσει, non igitur peccata ſunt, quæ ſenſuum appetitiones ſine deliberatione, conſenſuq; voluntatis impellunt tentamenta.

CAP.

CAPVT VII.

1. *Peccatum secundum Caluinistas nihil nisi falsa opinio. Idq; ex Pareo probatur.*

Ex doctrina Zvvinglij, Caluini, Bezæ, non malè colligi, nihil esse peccatum, nisi falsam opinionem, vt volunt Libertini.

Bellarminus.

NAm neque homines peccant, cum quicquid agunt, Deo iubente, & impellente, atque adeò necessitatem adferente faciant: neq; Deus etiam peccat, cum ipse, qui summum bonum est, nihil facere posit mali. *Peccatum nihil nisi falsa opinio.*

Pareus. 297.

Quo argumento nihil falsius, impudentius.

Quicquid homines agunt contra legem, id nequaquam agunt, iubente, impellente, necessitante Deo, sed persuadente Diabolo, & propria sua voluntate, supra explicatum est, & fusius explicabitur.

Defensio.

Quasi conuitiari sit respondere. Argumentum inuictum est.

Deus decernit, impellit, cogit ad opus, cui indiuiduo nexu est iuncta malitia. Agit vt causa particularis, determinat ad hoc voluntatem, efficit, quod decreuit, vt iuste sæuiat, in causam ministram inexcusabilem, non ergo eius peccatum est, quæ tot modis

 agitur,

agitur, vt non possit aliud. Videlector declarationem Adolphi Venatoris de prædestinatione. Omnes idem in Caluino reprehendunt, quod Bellarminus, quomodò igitur solus ille impudens?

Verum Aduersarius suo iugulandum se gladio mihi offert.

Ex Pareo probatur aut non esse Dei esse peccatum.

Libro de gratiâ primi hominis cap. 5. pag. 56. 57. & 62. 63. *Negat pugnam duarum propensionum in homine naturalem. Qua opinione*, inquit, *Deus causa peccati palam argueretur, quæ enim naturalia per se, eorum Deus auctor, quia auctor naturæ.* Ex quo sic argumentor. Deus decernens, ordinans, imperans in pœnam hominis peccatum, non est auctor illius, opinione Aduersarij, nec insuper speciali influxu concurrens, quia ad opus, vt opus, non ad opus vt malum concurrit. Ergo Deus idem, in natura efficiens rebellionem, seu qualitatem, & propensionem mentis & carnis in diuersa tendentes, easque dono supernaturali coercens, ne in prælia consurgant, pacemque paradisi rumpant, non esset causa peccati, Nam causa esset qualitatum qua res sunt, qua opera, & fine bono, ad iudiciorum suorum executionem. aut ergo hic non potest excusari à peccato, aut ibi potest. Ibi non posse contendit Aduersarius, neque hic igitur. Deo igitur trãscribi debet peccatum, si est peccatum, at rectius negamus esse peccatum, quam affirmamus Deum esse peccatorem. Multoque minus nocentes defendere, quam malitiæ accersere creatoris infinitam puritaté. Exemplo rem declaro. Lazaro

Probatur exemplo.

resuscitato à mortuis, inhæserũt qualitates morbidæ, non suâ voluntate susceptæ, quæ veri nominis erant peccata, secundũ Caluinistas liber illis erat iã mortuus, de integro illas ergo Deus fecit sine volũtate peccatoris: peccata erant igitur opinione, non veritate. Nam si in primo creaturæ conditu pugnantium affectionum appetitiones homini inseruisset, non esset crea-

turæ

turæ peccatum innocentis, nam vt non ita fieret, efficere illa non poterat, quæ nihil erat, sed fatente Aduersario Dei solius, cuius nullum potest esse peccatũ. Igitur & in vitæ restitutione peccata illa, quæ morte iam desierant, cum redeunt, solius sunt Dei viuificantis, vt ante fuissent creantis. nec enim Lazarus reuiuiscens magis peccato inficitur, quam Adam de terrâ formatus. Nam ab originali iam liberatus est morte, illud autem recontrahere non potuit, beneficio Saluatoris in vitam resurrectione. Non enim peccatum est de supernaturali gratiâ, sed propagatione naturali. Atque peccatum aut Dei est, aut nihil est, nisi opinio. Dei autem non est, opinio igitur est.

At dicet: Primo rerum conditu non potuisse ista facere Deum, nunc posse, quia facit peccatum materiale, in pœnam peccati, tum locum non fuisse pœnæ. Sed fugitiuo hic quoq; tragulam inijcere, est perfacilè. Qui inferos, summum supplicium, statuit ante omne peccatum, cum sit pœna tamen peccati, cur non & peccatum faceret, vt pœnam peccati?

CAPVT VIII.

1. *Deus non peccat.*
2. *Nec vult iniquitatem vt sua iudicia.*
3. *Nec tentat vt ad actum peccati alliciat.*
4. *Augustinus oppositus Pareo.*
5. *Refellit Pareum Aretius Caluinista.*
6. *Peccatum proprium est creaturæ.*
7. *Duas fingunt Caluiniani in Deo voluntates.*
8. *Ea posita tollitur fiducia, & fides.*
9. *Peccatum naturæ non insertum sed inflictum Pareus ait.*

Probatur ex diuinis literis Deum non esse auctorem peccati.

Deum non peccare.

SEx sunt huius probationis classes. Probatur enim Deum non esse auctorem peccati. 1. facto. 2. decreto. 3. Imperio. 4. impulsu. 5. ad virtutem adhortatione. 6. peccatum creaturæ esse proprium.

I. Argumentum. 1. *Non facto.* Gen. 1. 31. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Deuteron. 32. *Deus fidelis, & absque vlla iniquitate.* Habacuc. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Rom. 3. *Nunquid iniquus est Deus? absit, alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* Rom. 9. *Nunquid iniquitas apud Deum? absit.* 1. Ioan. 3. *Peccatum in eo non est.* Sapientiæ 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* & Sap. 14. *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Neque Aduersarij tam sunt impudentes, vt apertè dicere audeant, à Deo peccata fieri, ita vt ipse peccet: quamuis id ex eorum doctrinâ, vt supra ostendimus, colligatur.

Pareus pag. 300.

Erant concilianda alia loca in speciem contraria. vt 1. Reg. 12. 24. & v. 15.

Defensio.

Fatetur id facere eum infra. Non tamen dicit fuisse à Deo, quâ pœnæ fuerunt, more Caluiniano, sed à permittente.

Bellarminus.

Secund. Argumentum. Non voluntate, vel decreto: Psal. 5.

Pareus pag. 301.

Huic argumento obstant non pauca. vt Gen. 45. 8. Act. 2. 23. & 4. 28. Vult ergo permittere, vel decreuit, vt sua iudicia.

Defen-

Defensio.

Fœda ſcripturæ deprauatio, de quâ poſtea. Nobis placet ſententia Cyrilli Alexandrini l. 11. c. 11. in 16. Ioan. *Perditionis filium appellat, quia prauitate periit ſuâ. Non enim diuino, inexpugnabilique conſilio in Diaboli laqueum, proditorem incidiſſe credendum. Nam ſi ſic eſſet nullo modo culparetur, cum iudicio Dei nemo reſiſtere queat.* Verum ſcripturas à calumniis vindicemus. Primus locus Pſal. 5. 3. *Mane aſtabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Non tollit voluntatem permiſsiuam.

Sed eam, quâ dicitur velle peccata, vt ſua iudicia, ideo grauiter labitur alterâ ſolutione aduerſarius. Dauid enim inter procellas, & turbas ad Deum recurrit, fiduciæque ſuæ argumentum profert, quia exoſa ſit Deo malorum impietas, quia nolit iniquitatem. At reſponderi poterat. nolle quidem vt malum, velle vt ſua iudicia. at ne impii quidem ſic peccatum volunt, vt malum, ſed vt ſuum, qualecunque bonum. *Deus non vult iniquitatem vt ſua iudicia.*

Omnem ergo fiduciam tollit. Si reus iudicem obteſtetur: Erue me de carcere, ceſſent inſtrumenta torquentium, nam malum odiſti, vt malum, fieri tamen vis, vt gloriam tuam augeas, bellum vt malum auerſaris, vt triumphi materiam decernis. Me ad exitium deſtinas, & media conſtituis. Nihil immenſæ bonitati plus, quam peſsimo tribuit Dauid. Idem facinus Deus amat, & creatura. Rebellionem Galli vt libertatis vindicem, Cæſar vt gloriæ ſegetem. At Dauid: *odiſti, perdes*, non vis mendacium, vt perdas mendacem, non vis iniquitatem, vt perdas iniquos, nam *virum ſanguinum abominaris.* Quæ conſolatio nobis ſupereſt, ſi peccata Deus odit, vt mala ſunt, amat vt cauſas, & media exitii noſtri? *Illa opinio omnem conſolationem tollit.*

Alter locus, Pſal. 72. 27. *Quia ecce, qui elongant ſe à te peribunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.* 70. vertunt ἐξωλόθρευσας. Aduerſarius, & Bellarminus *Sæue expoſitiones ſcripturæ.*

X 5 odiſti.

odisti. Quomodo *odisti*? an & hic scribet sacrilega interpretatio, *odisti vt malum, amasti vt gloriæ tuæ instrumentum necessarium*? *Perdidisti* eos qui fornicando recedunt, voluisti tamen, amasti, fecisti illorum fornicationem, vt perirent?

Tertius locus Ezechielis 18.23. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, nõ recordabor: In iustitia suâ, quam operatus est, viuet. Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat? idem pronunciat contrarium in eos, qui à suâ iustitiâ defecerint.*

Suauissimæ consolationis argumentum ex sanctissimæ Triados bonitate per prophetam, fidelibus pronunciatum, ex animis euellere subdola distinctione tentat. Tam emphatica est in Hebræo sententia. Nunquid desiderando desidero mortem impii, חפץ voluntatem beneplacitum, εὐδοκίαν cum desiderio, & voluptate propensam: Iun. & Threm. in hunc Psalmum. *Argumentum est à naturâ Dei, studioque in res creatas suas: Nã ego vt omniũ, sum creator, ita paterno studio erga omnes ducor. Non possum à me quenquam temere abalienare. Sed si quis abalienatur, id ipsi suâ iniustitiâ euenit, non meâ iniuriâ. Omnium iniquitatum non recordabitur amplius*: Et quare? *Quia non est meæ voluntatis mors impii.* Nunc impiam distinctionem adhibeamus. Non est meæ voluntatis mors impii, sed vt conuertatur, scilicet, quâ crimen est mors, quâ contumacia scelus est, at quâ iudiciorum seges est, quâ media perditionis, meæ voluntatis est, vno verbo: Nolo tuum scelus, vt scelus, volo vt pereas. *Imo*, inquiet impius, *tuæ voluntatis est mors mea*, quia ante quam mea voluntas esset, ante quam mea peccata tuæ præuisioni oblata fuissent, iam mors mihi decreta fuit, & nigrum theta consilio æternitatis præscriptum, non delectaris meâ, vel morte, vel contumaciâ, vt peccata sunt, sed vt tua iudicia exequaris, ideo & vitâ subtrahis, & dæ-

Horrenda scripturæ deprauatio.

moni

moni me tradis, nunc in scelera, olim traditurus in supplicia. Bonitatem tuam à quâ ducitur argumentum agnosco: sed illa me non consolatur, si creaturas suas sine culpâ illarum addixit exitio, & decreto præparat flagitia. Dicet Adolphus Venator Caluinista (in declaratione) *Vnâ voluntate Deum dicere peccatori eidem: Conuertere, nolo mortem tuam: Altera vero loqui: volo vt iste homo, absque conuersione, & damnatus maneat. Esse in Deo fœdus duplex, externum & internum: Quos in externo declarat amicos suos & hæredes, vitæ æternæ, eos in interno, iam antequam nati essent, hostes declarasse, & ad æternam damnationem immutabili decreto ordinasse.* Dicet: *Quantumuis Deus reprobos inuitet, vocet, oret, obtestetur, ad conuersionem admoneat, verbum illis annuntiari curet, salutem polliceatur, rem eo pacto proponat ac si tantum per ipsos staret: ista tamen omnia Deo cordi non esse, sed fieri tantum ab ipso: vt istos (quos tamen nolebat credere & conuerti, & in quibus nunquam operari voluit) ob ipsorum infidelitatem & impœnitentiam grauiori damnationis pœna afficiat.* Sic ille suorum popularium mentes, à quibus longè recedit, exponens.

Eam suis exprobrat Caluinista

Penitus itaque Prophetæ verba, contra Deum insurgens blasphemia deprauat. Multo atrocius idem in Dordracenses inuehitur pag. 150. & 151.

Quartus locus, 2. Petri 3. 9. *Non tardat Dominus promissionem suam, vt quidam existimant: sed patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.* His verbis aduersarius suam cantilenam adaptat: *non vult peccata, quâ peccata, sed quâ suâ iudicia, vult permittere non vult efficere.* Postremum verum, sed non ex mente Caluini, Perditionem ille decreto Dei effectiuo adscribit.

Crudelis opinio, Deum velle peccata, vt puniat.

Vult enim plerosque perire absoluto, nulla merita in rationem ducente decreto. Quæ vero consolatio perditionis reis, & timore fluctuantibus, si Deus non

est amator peccatorum, quâ peccata, sed qua sua iudicia, media exitii sempiterni? an non hoc est, vel grauissimo damno perire. Secundò μακροθυμεῖ, patienter, longanimiter agit: at verò in eo diuina misericordia non relucet, quod non velit peccata, vt peccata, sed vt sua iudicia, vt sarta sit atrocioris supplicii iustitia. ira est illa, non misericordia. Vult enim culpas vt iudicia, ineuitabili labendi necessitate propositâ, & immutabili voluntate non miserendi.

Hæc non est μακροθυμεῖν.

Tertiò, Vult omnes conuerti ad pœnitentiam, non ergo vult aliquos peccare ad iudiciorum suorum seueritatem exercendam. Nam si peccare aliquos vult, vt exitio involuantur, certè non vult eos conuerti ad pœnitentiam.

Bellarminus.

Tertium argumentum. Non imperio. Ecclesiastici 15.21. Ierem. 19.5. denique quia prohibet.

Pareus pag. 301.

Non imperat quâ peccata, sed quâ sua iudicia v.g. stuprum Salomonis, quâ pœna iusta Dauidis.

Defensio.

Non mandat Deus scelera.

Improbum commentum textui repugnat: *Nemini, inquit, Siracides, mandauit impie agere, & nemini dedit spacium peccandi.* Causa subiungitur: *Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.* Ratio illa contrarium concludit. Si vera est expositio Caluinistarum, Deus concupiscit multitudinem filiorum infidelium, quia ad hoc eos prædestinauit, ideo mandauit eis impiè agere, vt punire posset. Nonne responderet Semei: Maledixi Dauidi, tu imperasti voluntate ineffabiliter arcanâ, & immutabiliter potente, opus quod mandasti feci, secuta est deformitas sceleris, sistere ego eam non potui, tu iussisti vt redderer vas iræ vtile, vas in ignominiam.

Nec minus adultera interpretatio Ieremiæ c. 19.5. *Quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt*

in cor

in cor meum. Quæ verò sunt ista? *Eo quod dereliquerint me, &c. libauerunt deis alienis, ædificauerunt excelsa Baalim, ad comburendos filios, &c.* Quid ad ista nouus Libertinus. *Non præcepit vt malum, sed vt iustas exitii causas*, noluit illa fieri, vt Iudæi essent mali, sed vt iure merito miseri, ideoque vt mali. Non præcepit, non locutus est, vt peccata, sed vt actus facerent. Deus meus, Deus zelotes, Deus meus, misericordia mea, hæc audis, & nōdum fulminas? *Illi* (v. 15.) *indurauerunt ceruicem suam, vt non audirent sermones tuos*, Caluiniani hos audisse dicunt, illa fuisse præcepta tua, & tamen temporariis æternisque calamitatibus attritos, quòd illa fecerint, quæ tu mandaueras. Tu quidem negas ascendisse in cor tuum, ὃυ διενοήθην ἐν τῇ καρδίᾳ, illi cogitasse vt pœnas, non vt scelera. Te volente, hoc est, te auctore factum.

Bellarminus.

Quartum argumentum: Non impulsu, aut incitatione. Iacob. 1. 13. Eccl. 15. 11. 1. Cor. 10.

Pareus pag. 302.

Non incitat, non impellit ad ista, quâ sunt peccata, sed quâ iusta iudicia, pœnæ, probationes. Nos vno igitur verbo ista conciliamus cum aliis locis.

Defensio.

Si hoc est conciliare, verba pueris dare, & scripturas sacras, in blasphemos sensus trahere. Verba S. Iacobi sunt. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat. Vnusquisq; autem tentatur à suâ concupiscentiâ abstractus, & illectus.* obseruandum in illis verbis est. Quod noster vertit: *Intentator malorum* est, in græco haberi: ἀπείραστος τῶν κακῶν, quod actiuam habet & pasiuam significationem. Nouatores pleriq; pasiue accipiunt, vt significet, *Deum à malis motibus non tentari*. Verum vtrouis modo intelligas idoneum sumitur hinc argumentum. Nam Deus neminem

Deus non tentat vt ad actum peccati illiciat.

tentat,

tentat, seu impellit ad actus peccati, etiam quâ suâ iudicia sunt. nam neque concupiscentia, & diabolus ad peccata vt peccata, sed vt bona quædam alliciunt. Profectò si Deus Dauidem in libidinem concitat, vt ad sua iudicia, non minus tentatur is à Deo, quàm à suâ concupiscentiâ. Deus neminem tentat, hoc est, ad irá. latrocinia, adulteria, furta, vi irresistibili incitat, & occulto fune trahit, sed non vt peccata sunt, sed vt sua iudicia, vt quos iam ante peccata præuisa exosos habuit, iure damnet, vt meritò possit odisse. Et nonne sathan eandem tentationis causam habet constitutā? Exposuit verba illa variis locis D. Augustinus Epist. 146. ad Consentium, l. 1. q. super Genes. *Tentatio, inquit, illa de qua Iacobus loquitur, non intelligitur, nisi qua quisq; peccato implicatur*: Lib. 2. de consensu Euangelistarum. *Illa* (de qua Iacobus) *seductionis est, illa* (Deut. 13. 3.) *probationis*. Lib. 2. de sermone Domini in monte, Lib. 2. de dono perseuerantiæ. *Deus neminem tentat, tentatione scilicet noxia, nam est & vtilis tentatio, qua nō decipimur, vel opprimimur, sed probamur*. item tract. 43. in Ioan. & de verbis Domini in Matth. serm. 11. Ex his totidem argumenta ducimus. 1. *Tentatio, de qua loquitur Apostolus Iacobus, non intelligitur nisi qua quis peccato implicatur*, sed tentatione quâ quis ad peccatum incitatur, vt iusto Dei iudicio damnetur, homo peccato implicatur, non igitur illâ tentatio est à Deo. 2. Deus non tentat tentatione seductionis, sed impulsus ad scelera, vt Dei iudicia, vt merita damnationis, est tentatio seductionis: non igitur à Deo. Minor clara. Si ad furtum iudex incitet quempiam, vt iure furcæ addicatur, magis eum seducit quam si de solo furto tentet. 3. Deus neminem tentat tentatione noxia, quâ decipiatur, vel opprimatur. At cum quispiam incitatur ad actus scelerum, vt in eo vindex iustitia torquendi causam inueniat, non modò noxiâ tentatione, sed miserabiliter etiam deceptrice

Expositiones D. Augustini in Iacob. 1. Opposita deprauationibus Parei.

tentatur. Si contra Augustinum excipit aduersarius, audiat saltem fratrem suum Aretium. *Deus neminem tentat ad tentati subuersionem, sed prodit euersos iam per propriam malitiam*. At si tentat, vt tentatus actum sceleris perficiat, atque ita in iudicium iustæ damnationis incidat, negare non possumus, quin maxime ad tentati subuersionem faciat, tam maligna tentatio. itaq; Iacobo, Augustino, suis, vno spiritu contradicit Caluinista. Alter locus est Ecclesiastici c. 15. 11. *Ne dixeris per Deum abest: quæ enim odit ne feceris. Non dicas ille me implanauit. non enim necessarii sunt ei homines impii.* Noster legit ἄπεστι, scilicet ἡ σοφία de quâ egerat, alia exemplaria habent ἀπέστην defeci. Interpretatio Caluiniana. Per Deum stetit, vt deficerem, nō quâ peccatum est ἀποστασία, sed quâ medium sententiæ damnatoriæ iuste à Deo proferendæ. Decepit me, ἐπλάνησε, non vt culpa, quatenus culpa est, inuoluerer, sed vt actum peccati faciens mea culpa perirem. Non sunt ei necessarii homines impii vt impii, sed necessarii sunt impii, vt iustitiæ instrumenta, & obiecta, ideoq; sunt necessarii impii vt impii, nam vt impii, sic iustitiæ sunt correlatitii. Audiamus & hic Drusium Caluinianum, vtcunque suorum scelera damnanté. Nam verba de illis interpretatur, *qui Deum auctorem faciunt nequitiæ suæ, qui se credunt ab eo creatos ad scelera perpetrāda*, at hoc credit Pareus, & Beza, ad pœnas & scelera ordinatos, creatos reprobos, illos ergo Dei spiritus arguit. Idem Drusius: in illa verba: *Non indiget Deus homine improbo: Deus*, inquit, *non eget homine improbo, quasi non possit absq; illo facere, quod vult, aut opera ipsius indigeat. Sic dico non est eorum similis, qui homines corrumpunt, vt eorum postea opera vtantur ad faciendum, quod in animo habent.* Beza verò opus fuisse, *oportuisse hominem labi*, deinde ideo eodem decreto ad finem & media destinari, vt Deus illo vtatur ad sua iudicia, ad faciendum quod in animo habet. Ad III. locum 1. Corin. 10. euidentia victus, nihil respondet.

Refellit Pareum Aretius Caluinista.

Necessarii Deo impii non sunt.

Bellarminus.

Quintum argumentum. Proprium esse creaturæ peccatum. Oseæ 13.9. Ioan. 8.44. 1. Iohan. 3.8. 1. Iohan. 1.5.

Pareus pag. 302.

Non directè, sed consequenter probat, neque enim dicit: peccatum est ex te: sed perditio tua ex te, nempe tanquam peccati effectus, & consequens.

Defensio.

Peccatum est proprium creaturæ.

Consequenter veritatem asserens probatio, etiam proba est, & efficax. sed cum aduersarius illa scriberet; nondum falsi erant doctores Durlacēses, impossibile esse Serenissimo principi Vadimontio articulos propositos in scripturâ ostendere, opus esse consequentiis, & exercitationibus stagiriticis. Argumentum Cardinalis est, si perditio non est à Deo, nec ergo peccatum, à quo enim illa, ab eodem & illud, à quo causa ab eo effectus, vt sæpius monet aduersarius.

Argumentum sextum. Hortatur ad virtutem; non est ergo causa peccati. Psalm 44. *Nolite obdurare, &c.* Apoc. 3. *Ego sto ante ostium, &c.* Matth. 11. *venite ad me, &c.*

Pareus pag. 304.

De istis infra, vbi de libero arbitrio. Deinde decem calumniæ Bellarmini hoc capite numerantur. 1. Quia probat Deum non esse auctorem peccati eo fine, vt Caluinistas refellat. 2. Quia dicit se probasse eum esse errorem Caluini. 3. Id colligi ex scriptis Caluini dicit, sed non fit, nisi dialecticâ Iesuiticâ, hoc est, sophisticâ, diabolicâ. 4. Dicit Caluinum respondere, Deum non velle peccatum fieri voluntate in verbo reuelata, siue signi: Velle verò alia voluntate occulta: & hoc refutat tribus rationibus Primò: quod occulta voluntas non sit in scriptura reuelata, sit ex proprio nostrorum capite deducta. Deinde quia in Deo non possint esse contrariæ voluntates, quibus peccata velit, & non velit.

tertiò. Quia voluntas reuelata seu signi à Theologis tantum referatur ad præcepta, vel prohibitiones, non ad indicatiuas Scripturas. Sed hoc totum est impudens commentum. In locis ex Caluino, Beza supra citatis, de reuelatâ signi, & occultâ Dei voluntate ne verbum quidem habetur, sed aduersarius fingit sibi, quod calumnietur. Nostri perpetuò vtuntur distinctione peccatorum, quâ sunt vel actiones, vel peccata, vel iudicia Dei. Ex Martyre etiam nihil habet quod proferat. Itaq; ratiunculæ eius inaniter auram feriunt: nec sunt veræ, vel solidæ. Distinctio reuelatæ, vel occultæ voluntatis Dei, licet huc non pertineat, est tamen vera, & necessaria, nec à nostris conficta: sed omnibus ferè Theologis recepta, non quod duæ sint in Deo voluntates: sed quod vna Dei voluntas sit partim reuelata, quantum ad salutem nostram pertinet: partim non reuelata: de qua dicitur: Inscrutabilia Dei sunt iudicia &c. Quis nouit mentem Domini? Neque contrariæ sunt voluntates. Deus enim interdum aliquid vult reuelata, non vult occulta voluntate, vel contrà, alio, atq; alio respectu, vt crucifixionem, & mortem filij sui non voluntate reuelata: Non occides: quia sic erat cædes innocentis: Voluit tamen voluntate occulta, quatenus erat redemptio generis humani: Sic consilium eius, & manus decreuerat.

5. Mendacium est, colligi ex sententia nostra, Deum cùm imperat quæ sine peccato non possunt fieri, dicendum auctorem esse peccati.

6. Martyrem variè calumniatur. Nam primò, ait, martyrem dicere: duobus modis Deum impellere homines ad opera mala, vno modo deserendo, vt nulla ratione homo possit tentationi resistere: Altero modo præbendo peccati incitamenta in animo, & etiam extra: quod vtrumq; dicit refelli dicto Siracidæ cap. 15. 11. Non dicas, per Deum abesto: & vers. 12. Non dicas, ille me implanauit: Sed mira est hominis vertigo. Hic

Probatur ex diuinis literis Deum non esse auctorem peccati.

Deum non peccare.

SEx sunt huius probationis classes. Probatur enim Deum non esse auctorem peccati. 1. facto. 2. decreto. 3. Imperio. 4. impulsu. 5. ad virtutem adhortatione. 6. peccatum creaturæ esse proprium.

I. Argumentum. 1. *Non facto.* Gen. 1.31. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Deuteron. 32. *Deus fidelis, & absque vlla iniquitate.* Habacuc. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Rom. 3. *Nunquid iniquus est Deus? absit, alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* Rom. 9. *Nunquid iniquitas apud Deum? absit.* 1. Ioan. 3. *Peccatum in eo non est.* Sapientiæ 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* & Sap. 14. *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Neque Aduersarij tam sunt impudentes, vt apertè dicere audeant, à Deo peccata fieri, ita vt ipse peccet: quamuis id ex eorum doctrinâ, vt supra ostendimus, colligatur.

Pareus pag. 300.

Erant concilianda alia loca in speciem contraria. vt 1. Reg. 12. 24. & v. 15.

Defensio.

Fatetur id facere eum infra. Non tamen dicit fuisse à Deo, quâ pœnæ fuerunt, more Caluiniano, sed à permittente.

Bellarminus.

Secund. Argumentum. Non voluntate, vel decreto: Psal. 5.

Pareus pag. 301.

Huic argumento obstant non pauca. vt Gen. 45. 8. Act. 2. 23. & 4. 28. Vult ergo permittere, vel decreuit, vt sua iudicia.

Defen-

Defensio.

Fœda scripturæ deprauatio, de quâ postea. Nobis placet sententia Cyrilli Alexandrini l. 11. c. 11. in 16. Ioan. *Perditionis filium appellat, quia prauitate periit suâ. Non enim diuino, inexpugnabilique consilio in Diaboli laqueum, proditorem incidisse credendum. Nam si sic esset nullo modo culparetur, cum iudicio Dei nemo resistere queat.* Verum scripturas à calumniis vindicemus. Primus locus Psal. 5. 3. *Mane astabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Non tollit voluntatem permissiuam.

Sed eam, quâ dicitur velle peccata, vt sua iudicia, ideo grauiter labitur alterâ solutione aduersarius. Dauid enim inter procellas, & turbas ad Deum recurrit, fiduciæque suæ argumentum profert, quia exosa sit Deo malorum impietas, quia nolit iniquitatem. At responderi poterat. nolle quidem vt malum, velle vt sua iudicia. at ne impii quidem sic peccatum volunt, vt malum, sed vt suum, qualecunque bonum. *Deus non vult iniquitatem vt sua iudicia.*

Omnem ergo fiduciam tollit. Si reus iudicem obtestetur: Erue me de carcere, cessent instrumenta torquentium, nam malum odisti, vt malum, fieri tamen vis, vt gloriam tuam augeas, bellum vt malum auersaris, vt triumphi materiam decernis. Me ad exitium destinas, & media constituis. Nihil immensæ bonitati plus, quam pessimo tribuit Dauid. Idem facinus Deus amat, & creatura. Rebellionem Galli vt libertatis vindicem, Cæsar vt gloriæ segetem. At Dauid: *odisti, perdes*, non vis mendacium, vt perdas mendacem, non vis iniquitatem, vt perdas iniquos, nam *virum sanguinum abominaris.* Quæ consolatio nobis superest, si peccata Deus odit, vt mala sunt, amat vt causas, & media exitii nostri? *Illa opinio omnem consolationem tollit.*

Alter locus, Psal. 72. 27. *Quia ecce, qui elongant se à te peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* 70. vertunt ἐξωλόθρευσας. Aduersarius, & Bellarminus *Saeue expositiones scripturæ.*

odisti. Quomodo *odisti*? an & hic scribet sacrilega interpretatio, *odisti vt malum, amasti vt gloriæ tuæ instrumentum necessarium*? *Perdidisti* eos qui fornicando recedunt, voluisti tamen, amasti, fecisti illorum fornicationem, vt perirent?

Tertius locus Ezechielis 18.23. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, nō recordabor: In iustitia suâ, quam operatus est, viuet. Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat? idem pronunciat contrarium in eos, qui à suâ iustitiâ defecerint.*

Suauissimæ consolationis argumentum ex sanctissimæ Triados bonitate per prophetam, fidelibus pronunciatum, ex animis euellere subdola distinctione tentat. Tam emphatica est in Hebręo sententia. Nunquid desiderando desidero mortem impii, חפץ voluntatem beneplacitum, εὐδοκίαν cum desiderio, & voluptate propensam: Iun. & Threm. in hunc Psalmum. *Argumentum est à naturâ Dei, studioque in res creatas suas: Nā ego vt omniū, sum creator, ita paterno studio erga omnes ducor. Non possum à me quenquam temere abalienare. Sed si quis abalienatur, id ipsi suâ iniustitiâ euenit, non meâ iniuriâ. Omnium iniquitatum non recordabitur amplius*: Et quare? *Quia non est meæ voluntatis mors impii.* Nunc impiam distinctionem adhibeamus. Non est meæ voluntatis mors impii, sed vt conuertatur, scilicet, quâ crimen est mors, quâ contumacia scelus est, at quâ iudiciorum seges est, quâ media perditionis, meæ voluntatis est, vno verbo: Nolo tuum scelus, vt scelus, volo vt pereas. *Imo*, inquiet impius, *tuæ voluntatis est mors mea*, quia ante quam mea voluntas esset, ante quam mea peccata tuæ præuisioni oblata fuissent, iam mors mihi decreta fuit, & nigrum theta consilio æternitatis præscriptum, non delectaris meâ, vel morte, vel contumaciâ, vt peccata sunt, sed vt tua iudicia exequaris, ideo & vitá subtrahis, & dæmoni

Horrenda scripturæ deprauatio.

moni me tradis, nunc in scelera, olim traditurus in supplicia. Bonitatem tuam à quâ ducitur argumentum agnosco: sed illa me non consolatur, si creaturas suas sine culpâ illarum addixit exitio, & decreto præparat flagitia. Dicet Adolphus Venator Caluinista (in declaratione) *Vnâ voluntate Deum dicere peccatori eidem: Conuertere, nolo mortem tuam: Altera vero loqui: volo vt iste homo, absque conuersione, & damnatus maneat. Esse in Deo fœdus duplex, externum & internum: Quos in externo declarat amicos suos & hæredes, vitæ æternæ, eos in interno, iam antequam nati essent, hostes declarasse, & ad æternam damnationem immutabili decreto ordinasse.* Dicet: *Quantumuis Deus reprobos inuitet, vocet, oret, obtestetur, ad conuersionem admoneat, verbum illis annuntiari curet, salutem polliceatur, rem eo pacto proponat ac si tantum per ipsos staret: ista tamen omnia Deo cordi non esse, sed fieri tantum ab ipso: vt istos (quos tamen nolebat credere & conuerti, & in quibus nunquam operari voluit) ob ipsorum infidelitatem & impœnitentiam grauiori damnationis pœna afficiat.* Sic ille suorum popularium mentes, à quibus longè recedit, exponens.

Eam suis exprobrat Caluinista

Penitus itaque Prophetæ verba, contra Deum insurgens blasphemia deprauat. Multo atrocius idem in Dordracenses inuehitur pag. 150. & 151.

Quartus locus, 2. Petri 3. 9. *Non tardat Dominus promissionem suam, vt quidam existimant: sed patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.* His verbis aduersarius suam cantilenam adaptat: *non vult peccata, quâ peccata, sed quâ suâ iudicia, vult permittere non vult efficere.* Postremum verum, sed non ex mente Caluini, Perditionem ille decreto Dei effectiuo adscribit.

Crudelis opinio, Deum velle peccata, vt puniat.

Vult enim plerosque perire absoluto, nulla merita in rationem ducente decreto. Quæ vero consolatio perditionis reis, & timore fluctuantibus, si Deus non

est

est amator peccatorum, quâ peccata, sed qua sua iudicia, media exitii sempiterni? an non hoc est, vel grauissimo damno perire. Secundò μακροθυμεῖ, patienter, longanimiter agit: at verò in eo diuina misericordia non relucet, quod non velit peccata, vt peccata, sed vt sua iudicia, vt sarta sit atrocioris supplicii iustitia. ira est illa, non misericordia. Vult enim culpas vt iudicia, ineuitabili labendi necessitate propositâ, & immutabili voluntate non miserendi.

Hec non est μακροθυμεῖν.

Tertiò, Vult omnes conuerti ad pœnitentiam, non ergo vult aliquos peccare ad iudiciorum suorum seueritatem exercendam. Nam si peccare aliquos vult, vt exitio involuantur, certè non vult eos conuerti ad pœnitentiam.

Bellarminus.

Tertium argumentum. Non imperio. Ecclesiastici 15.21. Ierem. 19.5. denique quia prohibet.

Pareus pag. 301.

Non imperat quâ peccata, sed quâ sua iudicia v.g. stuprum Salomonis, quâ pœna iusta Dauidis.

Defensio.

Non mandat Deus scelera.

Improbum commentum textui repugnat: *Nemini, inquit, Siracides, mandauit impie agere, & nemini dedit spacium peccandi.* Causa subiungitur: *Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.* Ratio illa contrarium concludit. Si vera est expositio Caluinistarum, Deus concupiscit multitudinem filiorum infidelium, quia ad hoc eos prædestinauit, ideo mandauit eis impiè agere, vt punire posset. Nonne responderet Semei: Maledixi Dauidi, tu imperasti voluntate ineffabiliter arcanâ, & immutabiliter potente, opus quod mandasti feci, secuta est deformitas sceleris, sistere ego eam non potui, tu iussisti vt redderer vas iræ vtile, vas in ignominiam.

Nec minus adultera interpretatio Ieremiæ c. 19.5. *Quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor*

in cor meum. Quæ verò sunt ista? *Eo quod dereliquerint me, &c. libauerunt deis alienis, ædificauerunt excelsa Baalim, ad comburendos filios, &c.* Quid ad ista nouus Libertinus. *Non præcepit vt malum, sed vt iustas exitii causas,* noluit illa fieri, vt Iudæi essent mali, sed vt iure merito miseri, ideoque vt mali. Non præcepit, non locutus est, vt peccata, sed vt actus facerent. Deus meus, Deus zelotes, Deus meus, misericordia mea, hæc audis, & nōdum fulminas? *Illi* (v.15.) *indurauerunt ceruicem suam, vt non audirent sermones tuos,* Caluiniani hos audisse dicunt, illa fuisse præcepta tua, & tamen temporariis æternisque calamitatibus attritos, quòd illa fecerint, quæ tu mandaueras. Tu quidem negas ascendisse in cor tuum, ὀυ διενοήθην ἐν τῇ καρδίᾳ, illi cogitasse vt pœnas, non vt scelera. Te volente, hoc est, te auctore factum.

Bellarminus.

Quartum argumentum: Non impulsu, aut incitatione. Iacob. 1. 13. Eccl. 15. 11. 1. Cor. 10.

Pareus pag. 302.

Non incitat, non impellit ad ista, quâ sunt peccata, sed quâ iusta iudicia, pœnæ, probationes. Nos vno igitur verbo ista conciliamus cum aliis locis.

Defensio.

Si hoc est conciliare, verba pueris dare, & scripturas sacras, in blasphemos sensus trahere. Verba S. Iacobi sunt. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat. Vnusquisq; autem tentatur à suâ concupiscentiâ abstractus, & illectus.* obseruandum in illis verbis est. Quod noster vertit: *Intentator malorum* est, in græco haberi: ἀπείραστος τῶν κακῶν, quod actiuam habet & passiuam significationem. Nouatores pleriq; passiue accipiunt, vt significet, *Deum à malis motibus non tentari.* Verum vtrouis modo intelligas idoneum sumitur hinc argumentum. Nam Deus neminem tentat,

Deus non tentat vt ad actum peccati illiciat.

tentat, seu impellit ad actus peccati, etiam quâ suâ iu-dicia sunt. nam neque concupiscentia, & diabolus ad peccata vt peccata, sed vt bona quædam alliciunt. Profectò si Deus Dauidem in libidinem concitat, vt ad sua iudicia, non minus tentaturis à Deo, quàm à suâ concupiscentiâ. Deus neminem tentat, hoc est, ad irá. latrocinia, adulteria, furta, vi irresistibili incitat, & occulto fune trahit, sed non vt peccata sunt, sed vt sua iudicia, vt quos iam ante peccata præuisa exosos habuit, iure damnet, vt meritò posit odisse. Et nonne sathan eandem tentationis causam habet constitu-tã? Exposuit verba illa variis locis D. Augustinus Epis. 146. ad Consentium, l. 1. q. super Genes. *Tentatio, in-quit, illa de qua Iacobus loquitur, non intelligitur, nisi qua quisq; peccato implicatur*: Lib. 2. de consensu Eu-angelistarum. *Illa* (de qua Iacobus) *seductionis est, illa* (Deut. 13. 3.) *probationis*. Lib. 2. de sermone Domini in monte, Lib. 2. de dono perseuerantiæ. *Deus neminem tentat, tentatione scilicet noxia, nam est & vtilis ten-tatio, qua nõ decipimur, vel opprimimur, sed probamur*: item tract. 43. in Ioan. & de verbis Domini in Matth. serm. 11. Ex his totidem argumenta ducimus. 1. *Ten-tatio, de qua loquitur Apostolus Iacobus, non intelligi-tur nisi qua quis peccato implicatur*, sed tentatione quâ quis ad peccatum incitatur, vt iusto Dei iudicio dam-netur, homo peccato implicatur, non igitur illâ ten-tatio est à Deo. 2. Deus non tentat tentatione sedu-ctionis, sed impulsus ad scelera, vt Dei iudicia, vt me-rita damnationis, est tentatio seductionis: non igitur à Deo. Minor clara. Si ad furtum iudex incitet quem-piam, vt iure furcæ addicatur, magis eum seducit quam si de solo furto tentet. 3. Deus neminem tentat tentatione noxia, quâ decipiatur, vel opprimatur. At cum quispiam incitatur ad actus scelerum, vt in eo vindex iustitia torquendi causam inueniat, non modò noxiâ tentatione, sed miserabiliter etiam deceptrice

Expositiones D. Augustini in Iacob. 1. Opposita deprauationibus Parei.

tenta-

tentatur. Si contra Augustinum excipit aduersarius, audiat saltem fratrem suum Aretium. *Deus neminem tentat ad tentati subuersionem, sed prodit euersos iam per propriam malitiam.* At si tentat, vt tentatus actum sceleris perficiat, atque ita in iudicium iustæ damnationis incidat, negare non possumus, quin maxime ad tentati subuersionem faciat, tam maligna tentatio. itaq; Iacobo, Augustino, suis, vno spiritu contradicit Caluinista. Alter locus est Ecclesiastici c. 15. 11. *Ne dixeris per Deum abest: quæ enim odit ne feceris. Non dicas ille me implanauit. non enim necessarii sunt ei homines impii.* Noster legit ἄπεστι, scilicet ἡ σοφία de quâ egerat, alia exemplaria habent ἀπέστην defeci. Interpretatio Caluiniana. Per Deum stetit, vt deficerem, nõ quâ peccatum est ἀποστασία, sed quâ medium sententiæ damnatoriæ iuste à Deo profere. idæ. Decepit me, ἐπλάνησε, non vt culpa, quatenus culpa est, inuoluerer, sed vt actum peccati faciens mea culpa perirem. Non sunt ei necessarii homines impii vt impii, sed necessarii sunt impii, vt iustitiæ instrumenta, & obiecta, ideoq; sunt necessarii impii vt impii, nam vt impii, sic iustitiæ sunt correlatitii. Audiamus & hic Drusium Caluinianum, vtcunque suorum scelera damnanté. Nam verba de illis interpretatur, *qui Deum auctorem faciunt nequitiæ suæ, qui se credunt ab eo creatos ad scelera perpetrãda*, at hoc credit Pareus, & Beza, ad pœnas & scelera ordinatos, creatos reprobos, illos ergo Dei spiritus arguit. Idem Drusius: in illa verba: *Non indiget Deus homine improbo: Deus*, inquit, *non eget homine improbo, quasi non posit absq; illo facere, quod vult, aut opera ipsius indigeat. Sic dico non est eorum similis, qui homines corrumpunt, vt eorum postea opera vtantur ad faciendum, quod in animo habent.* Beza verò opus fuisse, *oportuisse hominem labi*, deinde ideo eodem decreto ad finem & media destinari, vt Deus illo vtatur ad sua iudicia, ad faciendum quod in animo habet. Ad III. locum 1. Corin. 10. euidentia victus, nihil respondet.

Refellit Pareum Aretius Caluinista.

Necessarii Deo impii non sunt.

tertiò. Quia voluntas reuelata seu signi à Theologis tantum referatur ad præcepta; vel prohibitiones, non ad indicatiuas Scripturas. Sed hoc totum est impudens commentum. In locis ex Caluino; Beza supra citatis, de reuelatâ signi; & occultà Dei voluntate ne verbum quidem habetur, sed aduersarius fingit sibi, quod calumnietur. Nostri perpetuò vtuntur distinctione peccatorum, quâ sunt vel actiones, vel peccata, vel iudicia Dei. Ex Martyre etiam nihil habet quod proferat. Itaq; ratiunculæ eius inaniter auram feriunt: nec sunt veræ, vel solidæ. Distinctio reuelatæ, vel occultæ voluntatis Dei, licet huc non pertineat, est tamen vera, & necessaria, nec à nostris conficta: sed omnibus ferè Theologis recepta; non quod duæ sint in Deo voluntates: sed quod vna Dei voluntas sit partim reuelata, quantum ad salutem nostram pertinet: partim non reuelata: de qua dicitur: Inscrutabilia Dei sunt iudicia &c. Quis nouit mentem Domini? *Neque contrariæ sunt voluntates. Deus enim interdum aliquid vult reuelata, non vult occulta voluntate, vel contrà, alio, atq; alio respectu, vt crucifixionem, & mortem filij sui non voluntate reuelata: Non occides: quia sic erat cædes innocentis: Voluit tamen voluntate occulta, quatenus erat redemptio generis humani: Sic consilium eius, & manus decreuerat.*

5. *Mendacium est, colligi ex sententia nostra, Deum cùm imperat quæ sine peccato non possunt fieri, dicendum auctorem esse peccati.*

6. *Martyrem variè calumniatur. Nam primò, ait; martyrem dicere: duobus modis Deum impellere homines ad opera mala, vno modo deserendo, vt nulla ratione homo poßit tentationi resistere: Altero modo præbendo peccati incitamenta in animo, & etiam extra: quod vtrumq; dicit refelli dicto Siracidæ cap. 15. 11.* Non dicas, per Deum abesto: & vers. 12. Non dicas, ille me implanauit: *Sed mira est hominis vertigo. Hic*

negat Deum impellere, excæcare deſerendo; infra capite 13. totis viribus idipſum propugnabit. Reliquum prorſus eſt falſum Deum autem incitamenta præbere peccandi impiis non dixit Martyr, ſed mentitur Bellarminus.

Deinde calumniatur Martyrem, quòd ſuperbe reijciat Auguſtinum, cum graues cauſas habeat.

Defenſio.

De primo, ſecundo, tertio quin veriſsimè diſputet Bellarminus, ne aduerſarius quidem, ſi ſeriò eum legerit, vel hæc noſtra, dubitaturum arbitror.

Ad quartum, verba Bellarmini ſunt: Ad hæc, & ſimilia, quæ adduci poſſent, reſpondent Caluinus, & Beza locis citatis. Et *Petrus Martyr in comment. 1. cap. epiſt. ad Rom. Deum non velle peccata fieri ea voluntate, quæ nobis in ſcripturis declarata eſt, quam Theologi voluntatem ſigni nominare ſolent; & de hac voluntate eſſe accipienda teſtimonia ſupra citata. Nihilominus tamen alia quadam voluntate omnino velle Deum, vt homines peccent, quoniam alioqui non aſſequeretur finem ſibi propoſitum declarandæ gloriæ ſuæ in condonatione, vel punitione peccati.*

Veriſsimè Bellarminus hanc ſententiam Caluino tribuit, probo ratione, & verbis eius. Ratione. Deus voluntate ſigni vetuit omnia peccata ſimpliciter, id ne aduerſarius quidē negarit. Deinde omnia illa peccata quæ fiunt, vult fieri. *Neceſſe fuit*, inquit Beza, *vt Adam & Eua laberentur.* Vnde neceſsitas, niſi quia Deus voluit eſſe neceſſe? Qui igitur eſſendi neceſsitatem conſtituit, ipſum etiam eſſe decreuit. Tertio habeo in Caluino voluntatem, quâ abſolutè deſtinauit reprobos exitio, illud verò hoſtilitatem Dei, & contumaciam continet, quæ, teſte Pareo, eſt peccatum; hoc ergo peccatum abſolutè voluit, non vt pœnam peccati, qui hoc decretum damnationis omnes cauſas antegreditur, vt docent ipſi. Quarto aduerſarius

fate-

fatetur esse in Deo voluntatem qua vult peccatum, & quâ vetat, negat tamen diuersas. Quod si ita intelligit, vt actionis ad intra vnicam simplicem essentiam dicat, non pugnamus, sic in Deo omnia vnum, quæ essentialia. Si verò intelligit respectu nostri, seu terminationis ad res volitas, duas dicimus voluntates, sic non est vna voluntas Petri seruandi, & Iudæ damnandi.

Quomodo vna in Deo, & multiplex voluntas.

Probo ex verbis Caluini in. l. 3. inst. c 24. §. 16. fatetur hoc obiici sibi. *Sed enim* (inquies) *si ita est, parum erit fidei promissionibus Euangelicis, quæ quum de Dei voluntate testantur, eum velle asserunt, quod inuiolabili eius decreto aduersetur.* Et paulo post: *Excipiunt nihilominus esse consentaneum Dei naturæ, quam vt sit duplex in eo voluntas. Quod ego illis concedo, modo dextri sunt interpretes. Sed cur non cõsiderant tot testimonia, vbi Deus humanos affectus induens, infra suam maiestatem descendit? Dicit se protensis brachiis rebellem populum vocasse, mane & sero dedisse operam, vt eum ad se reduceret. Hæc omnia si Deo aptare volent, ac figuram negligere, multæ superuacuæ contentiones emergent, quas vna hæc solutio componit, quod humanum est ad Deum transferri. Quanquam solutio alibi à nobis adducta abunde sufficit, quamuis multiplex sit Dei voluntas quoad sensum nostrum, non tamen eum hoc, & illud in se velle, sed pro sapientia sua varie multiplici (vt eam Paulus vocat) attonitos reddere sensus nostros, donec cognoscere nobis dabitur mirabiliter eum velle, quod nunc videtur esse voluntati eius aduersum.*

Deus mirabiliter vult quod videtur eius voluntati aduersum, iuxta Caluinum.

Et libr. 1. *Institut. cap.* 17. §. 2. *Nos etiam quanta possunt proteruia exagitant, quod non contenti legis præceptis, quibus comprehensa est Dei voluntas, arcanis etiam eius consiliis mundum regi dicamus. Quasi vero cerebri nostri figmentum sit, quod docemus, ac non vbique idem diserte pronunciet Spiritus, & innumeris loquendi formis repetat. Sed quia eos retinet aliquis*

Duplex Dei voluntas statuitur à Caluino.

pudor, ne suas blasphemias in cœlum audeant euomere; quo liberius insaniant, se nobiscum litigare fingunt. Verum nisi admittunt, incomprehensibili Dei consilio, quicquid in mundo accidit gubernari, respondeant quorsum dicat Scriptura, eius iudicia profundam esse abyssum. Nam cum clamet Moses, voluntatem Dei non procul in nubibus, vel in abyssis quærendam esse, quia familiariter in lege exposita sit, sequitur profundæ abysso conferri aliam voluntatem absconditam: de qua etiam Paulus: O profunditatem diuitiarum, & sapientiæ, & cognitionis Dei! quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit mentem Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Ac verum quidem est, in lege, & in Euangelio comprehendi mysteria, quæ longe emineant supra sensus nostri modum: sed quoniam Deus ad capienda hæc mysteria, quæ verbo patefacere dignatus est, suorum mentes intelligentiæ Spiritu illuminat: nulla iam illis abyssus, sed via, in qua tutò ambulandum est, & lucerna pedibus regendis, & lux vitæ, & certæ, conspicuæq; veritatis schola. At mundi gubernandi admirabilis ratio meritò abyssus vocatur: quia dum nos latet reuerenter adoranda est. Pulchrè vtrumq; paucis verbis expreßit Moses. Occulta, inquit, Deo nostro: quæ autem hic scripta sunt, ad vos, & filios vestros pertinent. Videmus enim vt non tantum ad legem meditandam studium adijcere, sed arcanam Dei prouidentiam reuerenter suspicere iubeat. Huius quoq; altitudinis elogium ponitur in lib. Iob, quod mentes nostras humiliet. Postquam enim orbis machinam sursum & deorsum lustrando, magnificè disseruit auctor de operibus Dei, subijcit tandem, En istæ sunt extremitates viarum eius, & quantulum quod auditur in eo? Qua ratione distinguit alio loco inter sapientiam, quæ penes Deum residet, & sapiendi modum quem hominibus præscripsit. Nam vbi de naturæ arcanis concionatus est, sapientiam dicit soli Deo esse cognitam, fugere

autem

autem oculos omnium viuentium. Sed paulò post subiicit, vulgatam esse vt inuestigetur: quia dictum sit homini. Ecce timor Dei est sapientia. Huc spectat Augustini dictum. Quia non omnia nouimus, quæ de nobis optimo ordine Deus agit, in sola bonitate nos secundum legem agere, in aliis verò secundum legem agi: quia eius prouidentia lex sit immutabilis.

Certè fratrum suorum mentem ita exponit Adolphus Venator in declaratione ad ordines Hollandiæ. *Quantumuis verò ipsos Deus inuitet, vocet, oret, obtestetur, ad conuersionem admoneat, verbum illis nunciari curet, salutem polliceatur, rem eo pacto proponat, ac si tantum per ipsos staret: Ista tamen omnia Deo cordi non esse: sed fieri tantum ab ipso; vt istos (quos tamen nolebat credere, aut conuerti: & in quibus nunquam ista operari voluit) ob ipsorum infidelitatem, & impœnitentiam grauiori damnationis pœna afficiat.*

5. *Deum hæc omnia facere, quoniam duplex sit in eo voluntas, habens quippe reuelatam aliam, aliam occultam: quod dicat illa se velle, istac vero neutiquam. Quos externè ad nuptias reuelatà voluntate arcessat: eos tamen nũquam vt sui conuiuæ essent expetiisse. Vna voluntate ipsum dicere peccatori eidem; Conuertere, nolo mortem tuam: alterà verò loqui; Volo vt iste homo absq; conuersione, & damnatus maneat. Esse Deo fœdus duplex externnm, & internum. Quos in externo declaret amicos suos & hæredes vitæ æternæ, eos in interno, iam antequam nati essent, hostes declarasse, & ad æternam damnationem immutabili decreto ordinasse.*

Hæc est illa voluntas, quam ipse l. 3. instit. c. 23. §. 8. *non dubitat dicere, rerum necessitatem.* Hæc est illa ad quam libertinos *queritur fugere*, tanquam *ad latebram*, c. 15. instructionis contra Libertinos. Meritò eo confugiunt, quia hic latet mysterium pudendum Caluinismi. Sed quomodo eos in apertum productos arguit Caluinus. *Duplex est in Deo voluntas,*

inquiunt, *vt fateris, Vetuit scelera, sed alia voluntate mirabiliter vult fieri quod vetat.* illa voluntas efficax est, & omnipotens. Quid ad hæc Caluinus. *De illa voluntate nihil amplius inquirendum. Quid igitur ei placeat, amplius disquiri non oportet:* inquit *ipse.* Imò verò iam hoc inquirimus, iam tu dixisti, esse aliam voluntatem occultam, & quid illa vult? scilicet aliud quod voluntate reuelata non vult, illa voluntas latebra est Libertinismi, Gebennensis Priapi pudor, voluntas quæ vult peccata, quæ vetat. Nero Romam vetat incendi, clam interim gaudet, *Nolo,* inquit *Deus mortem,* simulatio est amoris, *volo mortem,* æterni odii immutabile consilium. Vnica causa reprobationis. Ne sis dignus morte, caue sis pecces. Volo te dignum esse morte, vt sis instrumentum iustitiæ. Duplex ergo voluntas est.

A piscatore. *Sic piscator in collatione cum Vorstio sect. 28. Verba Vorstij: Vera Dei iustitia dictat, ne quisquam vel pœna afficiatur, vel ad eandem certò destinetur, nisi qui culpæ reus sit. Responsio Piscatoris. Confundit hic iustitiam Dei manifestam, & occultam. Secundum manifestam, quidem iustitiam Dei afficit neminem pœna, qui non sit reus culpæ: at secundum iustitiam occultam atq; inscrutabilem, destinat ad pœnam etiam eos qui culpæ nondum sunt rei.*

Quæ occulta voluntas. Denique rationes Bellarminianæ contra voluntatem illam sunt firmæ. Quanquam enim sit in scriptura voluntas Dei, abyssus multa. Non tamen est in scriptura voluntas Dei, absolute exosas habens creaturas, & destinans exitio, sine meritorum interuentu, non est arcana voluntas volens iniquitatem, sed hæc est in sacris Cereris, vbi numen absconditur, quod pudet confiteri.

Nec diuersus respectus voluntates conciliat. Si enim quocunque modo vult peccata, falsa est affirmatio, qua asserit se nolle. Quid enim reuelat, se nolle

peccatum,

peccatum, si multis modis vult, & vno modo nõ vult, scilicet, qua est peccatũ, eo modo quo ne pessimus quidem nisi raro vult. Non dicit scriptura. Deus non vult peccatum, vt peccatũ, vult autem peccatũ, vt puniat damnet. Sed non vult peccatum, etsi peccatum quod futurum præuidet, iuste damnare velit. Secundo, respectus ille funditus πληροφορίαν tollit. Reuelata voluntas est, vt confidenter illi delirant, Volo Pareum non peccare peccatum ad mortem. Interpretare more Caluini. Volo voluntate signi, licet arcana voluntate mirabiliter nolim, quod sic velle videar, Pareum non peccare peccatum ad mortem, qua peccatum est, non tamen ideo impedior, quo minus velim eundem peccare ad mortem, ad mea iudicia, gloriam, & cœtera. Diuerso respectu volo, nolo. Reuelata voluntas illi constat, de arcana nihil disquiri oportet. Vna voluntate dico Pareo: Conuertere, nolo mortem tuam, altera vero: volo vt Parens absq; conuersione, & damnatus maneat. Nec meus hic sermo est, sed venatoris Adolphi.

Duplex Dei voluntas tollit fiduciam [illegible] & fidem.

Deinde duplex illa voluntas, omnem scripturis fidem detrahit, & animis consolationem adimit. Nam magna pars scripturæ minis & promissionibus constat. Promittit credentibus, diligentibus salutem, ait illis bene velle. Non velle mortem peccatorum, velle salutem conuersorum. Sed non confundit Deus voluntatem manifestam, & occultam, vt Vorstium facere notat Piscator, ad omnia ergo promissionum & minarum oracula regerere possunt homines. Estne illa promissio voluntatis manifestæ, vel occultæ? Non destinat pœnæ innocentem decreto manifesto, sed tamen si hoc dictat post vela mortis elogium, & quidem sæpius, nec quicquid potest innocentia, quid consolationis esse potest reo? Quicquid enim propalam iudex, pronunciat, incertum est, si aliud est in secreto decretum.

Tertia, quod voluntatem *signi non modo ad præcepta & prohibitiones astringat, sed ad indicationes extendit, imò ad totum Euangelium, horribilis est in opinione Caluiniana error.* Nam si totum Euangelium est de voluntate signi, incertum igitur est. Voluntas signi non semper impletur, an credentibus velle dare vitam æternam, voluntas est signi, semper ergo dubia, non enim vult semper voluntate beneplaciti, quod voluntate signi. Deinde Zanchius l. 3. de natura Dei, c. 4. q. 3. Voluntatem distinguit in *absolutam, & conditionatam,* priorem, ait, propriè vocari voluntatem Dei, *altera,* inquit, *dicitur voluntas signi, quod scilicet præcepta & promissiones, cum conditione seruandorum præceptorum signa sunt, Deum sic velle: quanquam non in omnibus simpliciter vult, quod mandat, ac promittit.* Zanchius igitur ad præcepta & promissiones voluntatem signi restringit.

Voluntas signi non est totius Euangelij.

Aut si est, totum Euangelium est incertum.

Tertiò, Voluntas signi, est alicuius voluntatis signum, an voluntatis beneplaciti, an verum an falsum signum? si conuenit cum voluntate beneplaciti, non igitur diuersa vult.

Ad Sextum. Non negat desertione hominem à Deo excæcari, sed negat fieri deserendo, vt nullo modo possit resistere: gratiam enim impetrare posset. Martyr præterea impulsum præter desertionem agnoscit.

Quam iusta causa Augustini deserendi fuerit, posterius in sententia Augustini viderimus.

Quod subdit Pareus Iacobi dicto, solam internam tentationem remoueri, non externam. In primis est contra eius Magistros, & arcanum funem Caluinisticæ tractionis. Deindè nimium Deo in peccato tribuit, si enim Deus tantum internam tentationem non efficit, omnis ergo illi externa permittitur, nempè decretum, suasio, imperium, deceptio.

Pareus

Pareus pag. 309.

Caluinus & Martyr non referunt, originem perditionis in Adamum, itaq; calumniatur Bellarminus cum hoc affirmat.

Defensio.

Planissime referunt: cum aiunt, *originem mali esse in homine propter corruptionem naturæ.*

Pareus pag. 311.

Calumnia est: Caluinum dicere: *peccatum Adami impellente Deo factum.*

Defensio.

Ait, decernente, volente, ordinante, non ociosè permittente, vt à causâ primariâ factum. Arcanò instinctu, quæ supra ostensa sunt.

Pareus pag. 11.

Nona calumnia est: quod Martyr dicat: *Peccatum originale insertum esse in natura humana ab ipso Deo, cum dicat: infligi in pœnam primi peccati.*

Defensio.

Corrigimus: *non est insertum*, quod leuius est, sed violenter *inflictum*. Maiore iure Deo transcribetur, qui non inserat volenti, sed potēti ictu incutiat etiam inuito. Quod si verum est, sequitur non esse calumniam, quod Bellarminus ait: *sequi, posteros puniri propter parentes, pœna quæ verè peccatum est, cum ipsum Deus infligat.* *Peccatum naturæ nō insertum, sed inflictum, ait, Pareus.*

De sexto argumento alio se loco acturum promittit, ibi nos eum audiemus.

CAPVT IX.

Probatur ex Patribus Deum non esse auctorem peccati.

MAluit tacere, quam Patribus illis, à quibus omnia eius effugia damnantur, frustra absistere.

tentat, seu impellit ad actus peccati, etiam quâ suâ iiidicia sunt. nam neque concupiscentia, & diabolus ad peccata vt peccata, sed vt bona quædam alliciunt. Profectò si Deus Dauidem in libidinem concitat, vt ad sua iudicia, non minus tentatur is à Deo, quàm à suâ concupiscentiâ. Deus neminem tentat, hoc est, ad irá. latrocinia, adulteria, furta, vi irresistibili incitat, & occulto fune trahit, sed non vt peccata sunt, sed vt sua iudicia, vt quos iam ante peccata præuisa exosos habuit, iure damnet, vt meritò possit odisse. Et nonne sathan eandem tentationis causam habet constitutã? Exposuit verba illa variis locis D. Augustinus Epist. 146. ad Consentium, l. 1. q. super Genes. *Tentatio, inquit, illa de qua Iacobus loquitur, non intelligitur, nisi qua quisq; peccato implicatur*: Lib. 2. de consensu Euangelistarum. *Illa* (de qua Iacobus) *seductionis est, illa* (Deut. 13. 3.) *probationis*. Lib. 2. de sermone Domini in monte, Lib. 2. de dono perseuerantiæ. *Deus neminem tentat, tentatione scilicet noxia, nam est & vtilis tentatio, qua nõ decipimur, vel opprimimur, sed probamur*: item tract. 43. in Ioan. & de verbis Domini in Matth. serm. 11. Ex his totidem argumenta ducimus. 1. *Tentatio, de qua loquitur Apostolus Iacobus, non intelligitur nisi qua quis peccato implicatur*, sed tentatione quâ quis ad peccatum incitatur, vt iusto Dei iudicio damnetur, homo peccato implicatur, non igitur illâ tentatio est à Deo. 2. Deus non tentat tentatione seductionis, sed impulsus ad scelera, vt Dei iudicia, vt merita damnationis, est tentatio seductionis: non igitur à Deo. Minor clara. Si ad furtum iudex incitet quempiam, vt iure furcæ addicatur, magis eum seducit quam si de solo furto tentet. 3. Deus neminem tentat tentatione noxia, quâ decipiatur, vel opprimatur. At cum quispiam incitatur ad actus scelerum, vt in eo vindex iustitia torquendi causam inueniat, non modo noxiâ tentatione, sed miserabiliter etiam deceptrice tenta-

Expositiones D. Augustini in Iacob. 1. Opposita deprauationibus Parei.

tentatur. Si contra Augustinum excipit aduersarius, audiat saltem fratrem suum Aretium. *Deus neminem tentat ad tentati subuersionem, sed prodit euersos iam per propriam malitiam.* At si tentat, vt tentatus actum sceleris perficiat, atque ita in iudicium iustæ damnationis incidat, negare non possumus, quin maxime ad tentati subuersionem faciat, tam maligna tentatio. itaq; Iacobo, Augustino, suis, vno spiritu contradicit Caluinista. Alter locus est Ecclesiastici c. 15. 11. *Ne dixeris per Deum abest: quæ enim odit ne feceris. Non dicas ille me implanauit. non enim necessarii sunt ei homines impii.* Noster legit ἄπεςι, scilicet ἡ σοφία de quâ egerat, alia exemplaria habent ἀπέςην defeci. Interpretatio Caluiniana. Per Deum stetit, vt deficerem, nõ quâ peccatum est ἀποςασία, sed quâ medium sententiæ damnatoriæ iuste à Deo profere. idæ. Decepit me, ἐπλάνησε, non vt culpa, quatenus culpa est, inuoluerer, sed vt actum peccati faciens mea culpa perirem. Non sunt ei necessarii homines impii vt impii, sed necessarii sunt impii, vt iustitiæ instrumenta, & obiecta, ideoq; sunt necessarii impii vt impii, nam vt impii, sic iustitiæ sunt correlatitii. Audiamus & hic Drusium Caluinianum, vtcunque suorum scelera damnantẽ. Nam verba de illis interpretatur, *qui Deum auctorem faciunt nequitiæ suæ, qui se credunt ab eo creatos ad scelera perpetrãda,* at hoc credit Pareus, & Beza, ad pœnas & scelera ordinatos, creatos reprobos, illos ergo Dei spiritus arguit. Idem Drusius: in illa verba: *Non indiget Deus homine improbo: Deus,* inquit, *non eget homine improbo, quasi non poßit absq; illo facere, quod vult, aut opera ipsius indigeat. Sic dico non est eorum similis, qui homines corrumpunt, vt eorum postea opera vtantur ad faciendum, quod in animo habent.* Beza verò opus fuisse, *oportuisse hominem labi*, deinde ideo eodem decreto ad finem & media destinari, vt Deus illo vtatur ad sua iudicia, ad faciendum quod in animo habet. Ad III. locum 1. Corin. 10. euidentia victus, nihil respondet.

Refellit Pareum Aretius Caluinista.

Necessarii Deo impii non sunt.

tertiò. Quia voluntas reuelata seu signi à Theologis tantum referatur ad præcepta; vel prohibitiones, non ad indicatiuas Scripturas. Sed hoc totum est impudens commentum. In locis ex Caluino; Beza supra citatis, de reuelatâ signi; & occultâ Dei voluntate ne verbum quidem habetur, sed aduersarius fingit sibi, quod calumnietur. Nostri perpetuò vtuntur distinctione peccatorum, quâ sunt vel actiones, vel peccata, vel iudicia Dei. Ex Martyre etiam nihil habet quod proferat. Itaq; ratiunculæ eius inaniter auram feriunt: nec sunt veræ, vel solidæ. Distinctio reuelatæ, vel occultæ voluntatis Dei, licet huc non pertineat, est tamen vera, & necessaria, nec à nostris conficta: sed omnibus ferè Theologis recepta; non quod duæ sint in Deo voluntates: sed quod vna Dei voluntas sit partim reuelata, quantum ad salutem nostram pertinet: partim non reuelata: de qua dicitur: Inscrutabilia Dei sunt iudicia &c. Quis nouit mentem Domini? Neque contrariæ sunt voluntates. Deus enim interdum aliquid vult reuelata, non vult occulta voluntate, vel contrà, alio, atq; alio respectu, vt crucifixionem, & mortem filij sui non voluntate reuelata: Non occides: quia sic erat cædes innocentis: Voluit tamen voluntate occulta, quatenus erat redemptio generis humani: Sic consilium eius, & manus decreuerat.

5. Mendacium est, colligi ex sententia nostra, Deum cùm imperat quæ sine peccato non possunt fieri, dicendum auctorem esse peccati.

6. Martyrem variè calumniatur. Nam primò, ait; martyrem dicere: duobus modis Deum impellere homines ad opera mala, vno modo deserendo, vt nulla ratione homo possit tentationi resistere: Altero modo præbendo peccati incitamenta in animo, & etiam extra: quod vtrumq; dicit refelli dicto Siracidæ cap. 15. 11. Non dicas, per Deum abesto: & vers. 12. Non dicas, ille me implanauit: Sed mira est hominis vertigo. Hic

negat Deum impellere, excæcare deserendo; infra capite 13. totis viribus idipsum propugnabit. Reliquum prorsus est falsum Deum autem incitamenta præbere peccandi impiis non dixit Martyr, sed mentitur Bellarminus.

Deinde calumniatur Martyrem, quòd superbe reijciat Augustinum, cum graues causas habeat.

Defensio.

De primo, secundo, tertio quin verissimè disputet Bellarminus, ne aduersarius quidem, si seriò eum legerit, vel hæc nostra, dubitaturum arbitror.

Ad quartum, verba Bellarmini sunt: Ad hæc, & similia, quæ adduci possent, respondent Caluinus, & Beza locis citatis. Et *Petrus Martyr in comment. 1. cap. epist. ad Rom. Deum non velle peccata fieri ea voluntate, quæ nobis in scripturis declarata est, quam Theologi voluntatem signi nominare solent; & de hac voluntate esse accipienda testimonia supra citata. Nihilominus tamen alia quadam voluntate omnino velle Deum, vt homines peccent, quoniam alioqui non assequeretur finem sibi propositum declarandæ gloriæ suæ in condonatione, vel punitione peccati.*

Verissimè Bellarminus hanc sententiam Caluino tribuit, probo ratione, & verbis eius. Ratione. Deus voluntate signi vetuit omnia peccata simpliciter, id ne aduersarius quidē negarit. Deinde omnia illa peccata quæ fiunt, vult fieri. *Necesse fuit*, inquit Beza, *vt Adam & Eua laberentur.* Vnde necessitas, nisi quia Deus voluit esse necesse? Qui igitur essendi necessitatem constituit, ipsum etiam esse decreuit. Tertio habeo in Caluino voluntatem, quâ absolutè destinauit reprobos exitio, illud verò hostilitatem Dei, & contumaciam continet, quæ, teste Pareo, est peccatum; hoc ergo peccatum absolutè voluit, non vt pœnam peccati, qui hoc decretum damnationis omnes causas antegreditur, vt docent ipsi. Quarto aduersarius fate-

fatetur esse in Deo voluntatem qua vult peccatum, & quâ vetat, negat tamen diuersas. Quod si ita intelligit, vt actionis ad intra vnicam simplicem essentiam dicat, non pugnamus, sic in Deo omnia vnum, quæ essentialia. Si verò intelligit respectu nostri, seu terminationis ad res volitas, duas dicimus voluntates, sic non est vna voluntas Petri seruandi, & Iudæ damnandi.

Quomodo vna in Deo, & multiplex voluntas.

Probo ex verbis Caluini in.l.3.inst.c 24.§. 16. fatetur hoc obiici sibi. *Sed enim (inquies) si ita est, parum erit fidei promissionibus Euangelicis, quæ quum de Dei voluntate testantur, eum velle asserunt, quod inuiolabili eius decereto aduersetur.* Et paulo post: *Excipiunt nihilominus esse consentaneum Dei naturæ, quam vt sit duplex in eo voluntas. Quod ego illis concedo, modo dextri sunt interpretes. Sed cur non cõsiderant tot testimonia, vbi Deus humanos affectus induens, infra suam maiestatem descendit? Dicit se protensis brachiis rebellem populum vocasse, mane & sero dedisse operam, vt eum ad se reduceret. Hæc omnia si Deo aptare volent, ac figuram negligere, multæ superuacuæ contentiones emergent, quas vna hæc solutio componit, quod humanum est ad Deum transferri. Quanquam solutio alibi à nobis adducta abunde sufficit, quamuis multiplex sit Dei voluntas quoad sensum nostrum, non tamen eum hoc, & illud in se velle, sed pro sapientia sua varie multiplici (vt eam Paulus vocat) attonitos reddere sensus nostros, donec cognoscere nobis dabitur mirabiliter eum velle, quod nunc videtur esse voluntati eius aduersum.*

Deus mirabiliter vult quod videtur eius voluntati aduersum, iuxta Caluinum.

Et libr. 1. Institut. cap. 17. §. 2. Nos etiam quanta possunt proteruia exagitant, quod non contenti legis præceptis, quibus comprehensa est Dei voluntas, arcanis etiam eius consiliis mundum regi dicamus. Quasi vero cerebri nostri figmentum sit, quod docemus, ac non vbique idem diserte pronunciet Spiritus, & innumeris loquendi formis repetat. Sed quia eos retinet aliquis

Duplex Dei voluntas statuitur à Caluino.

pudor, ne suas blasphemias in cœlum audeant euomere; quo liberius insaniant, se nobiscum litigare fingunt. Verum nisi admittunt, incomprehensibili Dei consilio, quicquid in mundo accidit gubernari, respondeant quorsum dicat Scriptura, eius iudicia profundam esse abyssum. Nam cum clamet Moses, voluntatem Dei non procul in nubibus, vel in abyssis quærendam esse, quia familiariter in lege exposita sit, sequitur profundæ abysso conferri aliam voluntatem absconditam: de qua etiam Paulus: O profunditatem diuitiarum, & sapientiæ, & cognitionis Dei: quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit mẽtem Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Ac verum quidem est, in lege, & in Euangelio comprehendi mysteria, quæ longè emineant supra sensus nostri modum: sed quoniam Deus ad capienda hæc mysteria, quæ verbo patefacere dignatus est, suorum mentes intelligentiæ Spiritu illuminat: nulla iam illis abyssus, sed via, in qua tutò ambulandum est, & lucerna pedibus regendis, & lux vitæ, & certæ, conspicuæq; veritatis schola. At mundi gubernandi admirabilis ratio meritò abyssus vocatur: quia dum nos latet reuerenter adoranda est. Pulchrè vtrumq; paucis verbis expressit Moses. Occulta, inquit, Deo nostro: quæ autem hic scripta sunt, ad vos, & filios vestros pertinent. Videmus enim vt non tantum ad legem meditandam studium adijcere, sed arcanam Dei prouidentiam reuerenter suspicere iubeat. Huius quoq; altitudinis elogium ponitur in lib. Iob, quod mentes nostras humiliet. Postquam enim orbis machinam sursum & deorsum lustrando, magnificè disseruit auctor de operibus Dei, subijcit tandem, En istæ sunt extremitates viarum eius, & quantulum quod auditur in eo? Qua ratione distinguit alio loco inter sapientiam, quæ penes Deum residet, & sapiendi modum quem hominibus præscripsit. Nam vbi de naturæ arcanis concionatus est, sapientiam dicit soli Deo esse cognitam, fugere

autem

autem oculos omnium viuentium. Sed paulò post subijcit, vulgatam esse vt inuestigetur: quia dictum sit homini. Ecce timor Dei est sapientia. Huc spectat Augustini dictum. Quia non omnia nouimus, quæ de nobis optimo ordine Deus agit, in solâ bonitate nos secundum legem agere, in alijs verò secundum legem agi: quia eius prouidentia lex sit immutabilis.

Certè fratrum suorum mentem ita exponit Adolphus Venator in declaratione ad ordines Hollandiæ. *Quantumuis verò ipsos Deus inuitet, vocet, oret, obtestetur, ad conuersionem admoneat, verbum illis nunciari curet, salutem polliceatur, rem eo pacto proponat, ac si tantum per ipsos staret: Ista tamen omnia Deo cordi non esse: sed fieri tantum ab ipso; vt istos (quos tamen nolebat credere, aut conuerti: & in quibus nunquam ista operari voluit) ob ipsorum infidelitatem, & impœnitentiam grauiori damnationis pœna afficiat.*

5. *Deum hæc omnia facere, quoniam duplex sit in eo voluntas, habens quippe reuelatam aliam, aliam occultam: quod dicat illâ se velle, istac vero neutiquam. Quos externè ad nuptias reuelatâ voluntate arcessat: eos tamen nũquam vt sui conuiuæ essent expetijsse. Vna voluntate ipsum dicere peccatori eidem; Conuertere, nolo mortem tuam: alterâ verò loqui; Volo vt iste homo absq; conuersione, & damnatus maneat. Esse Deo fœdus duplex externum, & internum. Quos in externo declaret amicos suos & hæredes vitæ æternæ, eos in interno, iam antequam nati essent, hostes declarasse, & ad æternam damnationem immutabili decreto ordinasse.*

Hæc est illa voluntas, quam ipse l. 3. instit. c. 23. §. 8. *non dubitat dicere, rerum necessitatem.* Hæc est illa ad quam libertinos *queritur fugere*, tanquam *ad latebram*, c. 15. instructionis contra Libertinos. Meritò eo confugiunt, quia hic latet mysterium pudendum Caluinismi. Sed quomodo eos in apertum productos arguit Caluinus. *Duplex est in Deo voluntas,*

 inquiunt,

inquiunt, *vt fateris, Vetuit scelera, sed alia voluntate mirabiliter vult fieri quod vetat.* illa voluntas efficax est, & omnipotens. Quid ad hæc Caluinus. *De illa voluntate nihil amplius inquirendum. Quid igitur ei placeat, amplius disquiri non oportet:* inquit *ipse.* Imò verò iam hoc inquirimus, iam tu dixisti, esse aliam voluntatem occultam, & quid illa vult? scilicet aliud quod voluntate reuelata non vult, illa voluntas latebra est Libertinismi, Gebennensis Priapi pudor, voluntas quæ vult peccata, quæ vetat. Nero Romam vetat incendi, clam interim gaudet, *Nolo*, inquit. *Deus mortem*, simulatio est amoris, *volo mortem*, æterni odii immutabile consilium. Vnica causa reprobationis. Ne sis dignus morte, caue sis pecces. Volo te dignum esse morte, vt sis instrumentum iustitiæ. Duplex ergo voluntas est.

A piscatore. *Sic piscator in collatione cum Vorstio sect. 28. Verba Vorstij: Vera Dei iustitia dictat, ne quisquam vel pœna afficiatur, vel ad eandem certò destinetur, nisi qui culpæ reus sit. Responsio Piscatoris. Confundit hic iustitiam Dei manifestam, & occultam. Secundum manifestam, quidem iustitiam Dei afficit neminem pœna, qui non sit reus culpæ: at secundum iustitiam occultam atq; inscrutabilem, destinat ad pœnam etiam eos qui culpæ nondum sunt rei.*

Quæ occulta voluntas. Denique rationes Bellarminianæ contra voluntatem illam sunt firmæ. Quanquam enim sit in scriptura voluntas Dei, abyssus multa. Non tamen est in scriptura voluntas Dei, absolute exosas habens creaturas, & destinans exitio, sine meritorum interuentu, non est arcana voluntas volens iniquitatem, sed hæc est in sacris Cereris, vbi numen absconditur, quod pudet confiteri.

Nec diuersus respectus voluntates conciliat. Si enim quocunque modo vult peccata, falsa est affirmatio, qua asserit se nolle. Quid enim reuelat, se nolle peccatum.

peccatum, si multis modis vult, & vno modo nõ vult, scilicet, qua est peccatũ, eo modo quo ne pessimus quidem nisi raro vult. Non dicit scriptura. Deus non vult peccatum, vt peccatũ, vult autem peccatũ, vt puniat damnet. Sed non vult peccatum, etsi peccatum quod futurum præuidet, iuste damnare velit. Secundo, respectus ille funditus πληροφορίαν tollit. Reuelata voluntas est, vt confidenter illi delirant, Volo Pareum non peccare peccatum ad mortem. Interpretare more Caluini. Volo voluntate signi, licet arcana voluntate mirabiliter nolim, quod sic velle videar, Pareum non peccare peccatum ad mortem, qua peccatum est, non tamen ideo impedior, quo minus velim eundem peccare ad mortem, ad mea iudicia, gloriam, & cœtera. Diuerso respectu volo, nolo. Reuelata voluntas illi constat, de arcana nihil disquiri oportet. Vna voluntate dico Pareo: Conuertere, nolo mortem tuam, altera vero: volo vt Parens absq; conuersione, & damnatus maneat. Nec meus hic sermo est, sed venatoris Adolphi.

Duplex Dei voluntas tollit fiduciam & fidem.

Deinde duplex illa voluntas, omnem scripturis fidem detrahit, & animis consolationem adimit. Nam magna pars scripturæ minis & promissionibus constat. Promittit credentibus, diligentibus salutem, ait illis bene velle. Non velle mortem peccatorum, velle salutem conuersorum. Sed non confundit Deus voluntatem manifestam, & occultam, vt Vorstium facere notat Piscator, ad omnia ergo promissionum & minarum oracula regerere possunt homines. Estne illa promissio voluntatis manifestæ, vel occultæ? Non destinat pœnæ innocentem decreto manifesto, sed tamen si hoc dictat post vela mortis elogium, & quidem sæpius, nec quicquid potest innocentia, quid consolationis esse potest reo? Quicquid enim propalam iudex, pronunciat, incertum est, si aliud est in secreto decretum.

Tertia, quod voluntatem *signi non modo ad præcepta & prohibitiones astringat, sed ad indicationes extendit, imò ad totum Euangelium, horribilis est in opinione Caluiniana error.* Nam si totum Euangelium est de voluntate signi, incertum igitur est. Voluntas signi non semper impletur, an credentibus velle dare vitam æternam, voluntas est signi, semper ergo dubia, non enim vult semper voluntate beneplaciti, quod voluntate signi. Deinde Zanchius l. 3. de natura Dei, c. 4. q. 3. Voluntatem distinguit in *absolutam, & conditionatam*, priorem, ait, propriè vocari voluntatem Dei, *altera*, inquit, *dicitur voluntas signi, quod scilicet præcepta & promissiones, cum conditione seruandorum præceptorum signa sunt, Deum sic velle: quanquam non in omnibus simpliciter vult, quod mandat, ac promittit.* Zanchius igitur ad præcepta & promissiones voluntatem signi restringit.

Voluntas signi non est totius Euangelij.

Aut si est, totum Euangelium est incertum.

Tertiò, Voluntas signi, est alicuius voluntatis signum, an voluntatis beneplaciti, an verum an falsum signum? si conuenit cum voluntate beneplaciti, non igitur diuersa vult.

Ad Sextum. Non negat desertione hominem à Deo excæcari, sed negat fieri deserendo, vt nullo modo possit resistere: gratiam enim impetrare posset. Martyr prætereà impulsum præter desertionem agnoscit.

Quam iusta causa Augustini deserendi fuerit, posterius in sententia Augustini viderimus.

Quod subdit Pareus Iacobi dicto, solam internam tentationem remoueri, non externam. In primis est contra eius Magistros, & arcanum funem Caluinisticæ tractionis. Deindè nimium Deo in peccato tribuit, si enim Deus tantum internam tentationem non efficit, omnis ergo illi externa permittitur, nempè decretum, suasio, imperium, deceptio.

Pareus

Pareus pag. 309.

Caluinus & Martyr non referunt, originem perditionis in Adamum, itaq; calumniatur Bellarminus cum hoc affirmat.

Defensio.

Planissime referunt: cum aiunt, *originem mali esse in homine propter corruptionem naturæ.*

Pareus pag. 311.

Calumnia est: Caluinum dicere: *peccatum Adami impellente Deo factum.*

Defensio.

Ait, decernente, volente, ordinante, non ociosè permittente, vt à causâ primariâ factum. Arcanô instinctu, quæ supra ostensa sunt.

Pareus pag. 11.

Nona calumnia est: quod Martyr dicat: *Peccatum originale insertum esse in natura humana ab ipso Deo, cum dicat: infligi in pœnam primi peccati.*

Defensio.

Corrigimus: *non est insertum*, quod leuius est, sed violenter *inflictum*. Maiore iure Deo transcribetur, qui non inserat volenti, sed potēti ictu incutiat etiam inuito. Quod si verum est, sequitur non esse calumniam, quod Bellarminus ait: *sequi, posteros puniri propter parentes, pœna quæ verè peccatum est, cum ipsum Deus infligat.*

Peccatum naturæ nō insertum, sed inflictum, ait, Pareus.

De sexto argumento alio se loco acturum promittit, ibi nos eum audiemus.

CAPVT IX.

Probatur ex Patribus Deum non esse auctorem peccati.

MAluit tacere, quam Patribus illis, à quibus omnia eius effugia damnantur, frustra absistere.

Quòd in fine capitis parem Caluini & Augustini causam faciat, calumniosum est. Augustinus censet impios prædestinatos ad pœnam respectu peccatorum, ideo non prædestinatos ad peccata.

Caluinus absolutè prædestinatos ad cruciatus, at vt ille sit iustus, ad peccata, vt media.

CAPVT X.

1. *Non vult Deus hominem velle peccatum.*
2. *Nec vult eum velle peccatum ad actum.*
3. *Arcana Dei voluntas quam fingunt, tollit pœnitentiam.*
4. *Non facit Deus ex iusto iniustum.*
5. *Deus non facit lapsum vt puniat.*
6. *Arminii de Caluino & Beza testimonium.*
7. *Deus summe bonus non est auctor mali.*

Eadem veritas rationibus comprobatur.

Bellarminus.

Deus non vult hominem velle peccatum.

RAtio 1. Ad hæc testimonia rationes addi possunt. Prima ratio sit ea, quâ vtitur S. Anselmus libr. de libero arbitrio cap. 8. Iusta voluntas hominis est ea tantum, quæ vult id, quod Deus vult eam velle; iniusta verò è contrario est ea, quæ vult id quod Deus non vult eam velle: Ergo si Deus vellet hominem peccare quod Aduersarij dicunt, vellet hominem velle id, quod non vellet eum velle, quæ est manifesta contradictio. Quare non solum non vult Deus hominem peccare, sed nec potest vlla ratione id velle; Ex quo etiam sequitur, vt nō sit Deus auctor peccati, nec hortando, nec imperãdo, nec impellẽdo, nec vllo alio modo.

modo. Vel enim id faceret nolens, aut volens, non vtiq; nolens, ergo volens: Quod si volens, sequitur, vt diximus, apertissima contradictio.

Pareus pag, 319.

Ratio non probat Deum peccare, sed non velle hominem peccare. 2. Non appareat ratio consequentiæ 3. Ex iusta, vel iniusta voluntate hominis de Deo velle concludere, est regulatum regulato metiri.

Defensio.

Si Deus vult hominem peccare, vult eum velle, quod non vult eum velle. quod implicat contradictionem. Ergo Deus non vult peccatum.

Secundò. Hinc clara est ratio consequentiæ.

Tertio. Non est argumentatio ex hominis voluntate ad Dei voluntatem, sed ex Dei voluntate colligit Cardinalis, quæ sit hominis voluntas, seu iusta seu iniusta. Si diuinæ sit vel conformis, vel ab ea sit aliena.

Neque hic solitum patet effugium, de peccato, vt peccatum est. Si enim Deus vult hominem velle peccatum vt est actus, non vt est peccatum, ergo homo potest velle actum vt actus est. Nam cum vult actum, vult id, quod eum velle Deus vult, ideo conformis est creata voluntas increatæ. Non vult autem peccatum vt est peccatum, quod solum Deus vult illum non velle. Non igitur peccat in legem Dei itaque facilè est per omnium scelerum contaminationes esse innocentem. Velle autem potest quod velle illum vult Deus. At dicet Caluinus. Voluntas qua vetat crimina nota est, hac nos contenti simus, arcana ignota, ideo per eam nemo excusatur. Verum & hoc supra reprehensum est, & à Vorstio, Arminio, Bertio reijcitur. Deinde nouam hæresin trahit. Si enim alicui Deus arcanam suam voluntatem reuelet, *ostendatque se mirabiliter velle, quod nunc videtur eius volũtati aduersũ*, vtiq; ille poterit illud velle, quod

Vix ergo homo posset peccare.

quod in arcanâ voluntate ſpectauit. Reuelatâ voluntate iubetur Abraham immolare filium: ſi arcanam voluntatem inſpiceret, poſſet non velle, & rectè, vellet enim quod Deum ſcit ſimpliciter velle: vitam Iſaaci. Nunc hæc in vſum ducamus. Adulterauit Dauid, quod vetuit Deus, ideoq; noluit, dolere de facto adulterio non debuit, quia ſciuit id, arcanâ Dei voluntate conſtitutum, quæ arcana voluntas ſemper rei euentu retegitur, angi non debuit, quia factum eſt, quod Deum voluiſſe cognouit. nam poſt factum arcana voluntas reddita eſt manifeſta.

Duplex illa voluntas tollit pœnitentiam.

Bellarminus.

Ratio 2. eſſe poteſt ea, quæ eſt apud S. Fulgentium l. 1. ad Monimum c. 21. 22. & 23. In Dei operibus nihil eſſe poteſt non plenum ſapientiæ, & rationis; nulla autem poteſt excogitari ratio, cur Deus velit, aut faciat homines peccare; nō igitur id vult, nec facit. Aſſumptio demonſtratur hoc modo; in omni opere Dei aut iuſtitia, aut miſericordia cernitur: nam omnes viæ eius miſericordia, & veritas Pſal. 24. Et quidem cur Deus hominem ex iniuſto faciat iuſtum, ratio reddi poteſt, quia in eo opere miſericordia diuina mirificè declaratur: at cur ex iuſto velit facere iniuſtum, non poteſt reddi ratio, cum in hoc opere nec miſericordia, nec iuſtitia, ſed iniquitas potius, & crudelitas locum habeant.

Nulla ratio eſt, vt ex iuſto Deus faciat iniuſtum.

Dicet fortaſsis aliquis etiamſi in hoc opere, quo quis efficitur iniuſtus, nulla cerni poſsit miſericordia & iuſtitia: tamē poteſt hoc opus ordinari ad finem, in quo miſericordia, vel iuſtitia luceat. Proinde poterit reddi ratio, cur Deus velit aliquos iniuſtos facere, nimirū, vt habeat quorum miſereatur, & quos puniat. Hæc enim eſt ratio Theodori Bezæ, vt ſupra vidimus, qui docuit, *Deum decreuiſſe lapſum primi hominis, & omnium filiorum eius, vt viam patefaceret miſericordiæ, & iuſtitiæ ſuæ manifeſtandæ.* At (vt rectè dicit S. Ful-

Deus non decreuit, nec fecit lapſum vt puniret.

S. Fulgentius loco citato lib. 1. ad Monimum c. 22. *Iustitia iusta non erit, si puniendum reum non inuenisse, sed fecisse dicatur; quin potius maior erit iniustitia, si lapso Deus tribuat pœnam, quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam.* Porrò misericordia illa crudelis, & immisericors esset, quæ hominem impium faceret, vt eum ab impietate postea liberaret, nisi fortè à clementiâ laudandus esse videatur, qui hominem spoliet, vt vestiat; vulneret, vt sanet; in puteum deijciat, vt eum inde extrahat. Pulchrè S. August. lib. 3. confes. cap. 2. dicit: *maleuolam beneuolentiam* (quod esse non potest) *omnino futuram, si quis miserum aliquem esse velit, vt ei misereatur.* Adde quod non poterant Deo plurimæ deesse rationes gloriæ suæ manifestandæ, etiamsi homines non peccassent. Rectè enim scripsit Ecclesiasticus c. 15. Non esse Deo necessarios homines impios.

Pareus pag. 321.

Calumnia est in Bezam, quod Deus decreuerit lapsum primi hominis. 2. potuit habere quorum misereatur, & quos puniat, etsi ipse non faciat iniustos. 3. Beza tantum vult Deum decreuisse permittere labi. &c.

Defensio.

Quid Beza sentiat dictum est supra. Nunc quia sæpè vomitum illum mendaciorum regurgitat caluminiator, respondebo denuò, vt barathrum illud obturetur. Horrenda Bezæ vox est. *Necesse est, ideo lapsos quoque esse homines primos, Deo sic ordinante, vt quidam damnentur. Horum necessaria, & tamen spontanea est improbitas.* Et Bezæ penè præceptor senex Piscator. In parasceue amicæ collationis cum Vorstio pag. 25. *Quicquid Deus futurum nouit, id decreuit: scelera & peccata non decreuit: ergo scelera & peccata futura non nouit Deus: & per consequens non est omniscius. Conclusio falsa. Ergo & præmissæ; vel*

Deus secundum Bezam non tantum decreuit permittere scelera, sed simpliciter decreuit.

vel ambæ, vel altera tantum. Non autem maior, ergò minor. Dices: *decreuit ſcelera,* hoc eſt, *Decreuit permittere.* Non poteſt eſſe verum, quia agit contra Vorſtium, qui decretum permiſsionis concedit. Deinde quia idem pag. 26. *Deus non ſolum vult peccata fieri poſſe, ſed etiam vult vt fiant.* Verum præſtat audire Arminium Caluinianum collatione cum F. Iunio pag. 73. *Iam ad ſecundam argumentationem veniamus, illa hæc fuit. Sententia, ex qua Deus neceſſariò auctor peccati ſtatuitur, omnibus Chriſtianis eſt repudianda, imò & hominibus omnibus: nemo enim mortalium, quem Deum æſtimat, malum arbitratur. At ex ſententia Caluini, & Bezæ Deus neceſſariò auctor peccati ſtatuitur. Ergo repudianda. Minoris probatio conſtat his illorum verbis, quibus dicunt, Deum ordinaſſe vt homo laberetur, & vitioſus fieret; quo hac ratione, viam ſuis æternis conſiliis pateſaceret. Nam qui ordinat vt homo labatur, & peccet, ille peccati auctor eſt. Hæc mea argumentatio firma eſt, neq; per tuam reſponſionem debilitata.*

Indicium Arminij de Caluini & Bezæ ſententia.

Et paulo poſt. *At Caluinus, & Beza id dicunt planis & apertiſsimis verbis, nullius indigis explicationis, & iſtam explicationem vocis ordinandi, quam tu propriam dicis, & ego agnoſco, nullo modo admittentibus. Velim autem doceri quomodo peccati fiendi neceſſitas pendere poſsit ab ordinatione & decreto Dei, aliter quam per modum cauſæ ſiue efficientis, ſiue deficientis: quæ deficiens in efficientem reducitur, quando deficientis efficientia neceſſaria eſt ad vitandum peccatum. Ipſe Beza fatetur incomprehenſibile eſſe, quomodo poſsit extra culpam; & homo culpæ obnoxius, ſi homo Dei ordinatione, & neceſſario eſt lapſus.*

Inſigne teſtimonium Caluiniſtæ, de ſuis præceptoribus.

Quòd de permiſsione addit rectè Aduerſarius quidem, ſed Beza non rectè. Nam pag. 527. ipſe eam reijcit, & ſi ea reſponſio conſtet, nec cum Lutheranis, neq;

neque nobiscum superest pugna. Fredericus Broeckerus arguit Vorstium dicentem, fol. 275. Errant quicunque decretum Dei, vniuersaliter simul & æqualiter siue eodem prorsus modo, ad omnia quæcunque fiunt, tam necessaria, quam contingentia, tam mala quam bona, sine delectu extendunt. Antagonista hæc in Vorstio damnat, eodem ergo prorsus ipse modo extendit.

Bellarminus.

Ratio 3. est S. Augustini l. 83. quæstionum, qu. 3. *Nullo sapiente homine auctore fit homo deterior. Non enim parua ista culpa est imo tanta est, quæ in sapientem, quamuis hominem cadere nequeat. Est autem Deus omni homine sapiente præstantior. Multo minus igitur Deo auctore fit deterior.* Item quæst. 21. *Quisquis omnium quæ sunt, auctor est, & ad cuius bonitatem id tantum pertinet, vt sine omne quod est, non esse ad eum pertinere nullo pacto potest. Omne autem quod deficit, & tendit in non esse. Esse autem, & in nullo deficere bonum est; & malum est deficere. At ille, ad quem non esse non pertinet, non est causa deficiendi, id est, tendendi ad non esse, quia vt ita dicam, essendi causa est, Boni igitur tantummodo causa est, & propterea ipse summum bonum est, quocirca mali auctor nō est, qui omnium quæ sunt auctor est, quia in quantum sunt, in tantum bona sunt.* Hæc ille. Simili ratione vtuntur ferè omnes Patres supra citati, ac præsertim Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Epiphanius, qui ex eo quod Deus natura bonus est, & summum, purumq; bonum, colligunt fieri non posse, vt ab ipso sit origo mali; cum simile à simili, non à contrario producatur.

Deus summe bonus non est auctor mali.

Hic nihil quod carperet, reperit Aduersarius.

Bellarminus.

Ratio 4. est S. Ambrosij lib. 1. Hexameron cap. 8. Deus cupit eradicari malitiam, & ideo prohibet, ac pu-

ac punit peccata. Et ipſe Dei filius venit, vt tollat peccata mundi: quâ ratione igitur fieri poteſt, vt Deus velit homines peccare, & ideo non ſolum peccata permittat, ſed etiam incitet, & impellat homines ad peccatum; & vt Aduerſarij blaſphemant, ipſe per homines, tanquam per inſtrumenta ſua illa omnia efficaciter peragat; quæ ſceleratè fiunt ab illis.

Pareus pag. 324.

Deus illa opera vt opera, & vt ſua iudicia peragit; ſic ſtuprum Abſolomi fecit.

Defenſio.

Hunc coccyſmum refutat S. Ambroſius cuius illa ratio tum pia, tum ſolida. *Nunquid* (inquit lib. 1. cap. 8. Hexemerou, *ſimul malitiam Deus creauit? ſed ea à nobis orta, non à creatore Deo condita, morum lenitate generatur; non vllam creaturæ habens prærogatiuam, nec auctoritatem ſubſtantiæ naturalis; ſed mutabilitatis vitium, & errorem prolapſionis. Eradicari hanc vult Deus de animis ſingulorum. Quo modo nam ipſe generaret, cum clamet Propheta, deſinite à malitiis veſtris?* Et præcipuè *S. Dauid deſine, inquit, à malo & fac bonum. Quomodo ergo ei initium à Domino damus? ſed hæc opinio feralis eorum, qui eccleſiam perturbandam putant.*

Quibus ex verbis colligo. Deum nec ipſa opera; vt odium ſui nominis animis infligere, nec alia peccata, non etiam quâ ſunt illa opera, quæ enim eradicari optat, quomodo inſereret? etiam ipſa opera quæ indiuiduo nexu malitiam ſequacem trahunt? Alioqui clamabit Abſalom deſinere nequeo, Deus hæc patrat vt pœnam Patris, ille vindex eſt Vriæ, vltionis ego miniſter opus infligit. *Vtinam* (inquit Ambroſius) *te ipſe non impelleres; vtinam non præcipitares, vtinam non inuolueres ſtudiis immoderatioribus.* Pergit Ambroſius: *Quorum igitur nos Domini ſumus, horum*

Deus non modo malitiam, ſed ipſa opera eradicari vult ex animis, non igitur infligit.

horum principia extrinsecus non requiramus, nec deriuemus in alios, sed agnoscamus ea, quæ proprie nostra sunt. Domini sunt actionis faciendæ vel omittendæ, non turpitudinis, quæ necessario illis adhærescit. Denique quòd cauillari solet Aduersarius, Ambrosius à foro ciuili ad iudicium diuini tribunalis argumentatur: *Ideò* (inquit) *etiam in iudiciis istis voluntarios reos, non necessitate compulsos culpa constringit; pœna condemnat.*

Bellarminus.

Ratio 5. Talis esse potest; si Deus esset auctor peccati; ipse quoq; peccaret. At peccare non minus Deo repugnat, quam non esse Deum: igitur fieri nequit, vt Deus sit auctor peccati.

Peccare Deo repugnat, sicut non esse Deum.

Propositio certissima est. Nam si Deus esset auctor peccati, certè vellet homines peccare. Homines peccare est malum; igitur Deus vellet malum; ac per hoc voluntas eius esset mala, vbi autem est voluntas mala, ibi est peccatum. Assumptio primi argumenti probatur ex ipsa Dei naturâ, quæ planè tollitur, ac destruitur si peccatum in eâ ponatur. Nam peccare est deficere, Deus autem si potest deficere, non est summum, & infinitum esse, proinde nec est Deus. Item peccare non potest qui non errat aliqua in re, neque enim voluntas potest appetere malum, nisi sub ratione boni: Vnde illud Sapientis Prouerb. cap. 1. *Errant, qui operantur malum.* Deus autem si potest errare, non est summa & infinita sapientia, proinde nec est Deus. Rursus peccare est recedere à regula legis æternæ, quæ est ipsa diuina sapientia; Deus autem à diuina sapientia recedere non potest, quin à se ipso recedat, cum sit ipsa diuina sapientia. Denique peccare est auerti ab vltimo fine, & summo bono, quod nihil est nisi Deus: igitur sicut repugnat Deum à se auerti: ita repugnat Deum peccare.

Ratio 6. Accedit postrema ratio ex eo, quod omnes communiter execrantur Marcionem, Manichæum, & alios veteres hæreticos, qui aliquo modo Deum faciebant auctorem peccatorum. At longè magis execrandi sunt Libertini & Caluinistæ. Si quidem illi veteres, cum non auderent in Deum bonum, referre causam mali, duos Deos finxerunt, vnum bonum, bonorum auctorem, & alterum majorum malum, auctorem malorum. Libertini verò, & Caluinistæ vnum, & eundem Deum auctorem faciunt omnium scelerum, & flagitiorum, quæ ab hominibus perpetrantur. Sed de his hactenus.

Pareus pag. 326.

Hoc furiosum conuitium est. Nos execramur illas blasphemias. Deum auctorem peccati, nec directè, nec indirectè dicimus. Nec minus hæresin eorum, qui Deum iudiciorum suorum per mala æque & bona creaturarum opera iustissimum executorem esse, cum Iuliano Pelagiano negant, sicque potiore suæ gubernationis parte eum spoliant, & quasi de throno præcipitant, quibus Aduersarius noster hoc libro patrocinatur, abominamur, auersamur.

Defensio.

Talis decebat hunc actum catastrophe, vt tandem se Libertinum professus Eleusiniaci Molochi mysten apertâ fronte exhiberet. An tibi Deus non præsidebit huic rerum vniuersitati, nisi decernat, velit, procuret, imperet scelera, ad ea impellat, cogat? an hæc potior pars gubernationis diuinæ? An throno excidet, nisi immeritos destinet exitio, & prędamnatos destinet peccatis? Gubernationem igitur Dei ex veterano Caluinistâ audiamus, Piscatore c.3. ad parasceuen Vorstij. Vndecim hæc eius sunt enunciata, Ex quibus clarissime constabit non esse conuitium furiosum

sum Bellarmini, sed insignem impudentiam Parei, cum id in Bezâ negat, quod Beza disertis verbis dixit, & discipulus Bezæ defendit. Vix enim verbum tam graue in Bellarmino, quam in Piscatore, vt quicquid excuset Pareus, & mitiget, id sine dissimulatione pronunciet, & exasperet Piscator.

Horrendæ theses Piscatoris.

1. *Peccata fiunt Deo procurante, & fiunt eodem volente, imò omninò sic volente. Sect. 17. item* [a] *6. &* [b] *64. & passim.*

2. *Vult Deus iniquitatem fieri, etsi ea non delectatur: sicut ægrotus amarum potum bibere vult, etsi eo non delectatur. Et sic dictum illud Psal. 5. Non es Deus, qui delectetur iniquitate, &c. intelligi Sect. 95.*

3. *Voluit Deus vt Iudas Christum proderet, & vt Iudæi ipsum occiderent; quod tamen illis prohibuerat. Sect. 10. & 16. & 24.*

4. *Consentaneum est voluntati Dei quod iniustum est, hoc est, præcepto ipsius contrarium. V. g. homicidiũ illud Iudæorum, & proditio Iudæ &c. ibidem præsertim Sect. 16. & 24.*

5. *Omnia fiunt ex decreto Dei, etiam ipsa peccata: & quidem ex decreto absoluto, & speciali. Sect.* [a] *56. &* [b] *58. &* [c] *130.*

6. *Quia Deus iustitiam, & misericordiam suam patefacere vult, ideò quoque vult vt peccata fiant. Sect. 61.*

7. *Quia Deus procurat patefactionem istam iustitiæ, & misericordiæ suæ, ideò etiam procurat ipsa peccata. Sect. 64.*

8. *Deus procurauit vt Absalon stupraret vxores patris sui, vtq; Simei regi suo malediceret &c. ibidem vti & Sect. 17.*

9. *Deus destinauit omnes homines ad peccata: idq; propterea vt alios ex misericordia seruaret, alios ex iustitia puniret, ac perderet. Sect. 89.*

10. *Quia Deus peccata permittere decreuit, ideò necesse est, vt illa fiant: quia secus frustra decreuisset permittere. Sect. 131.*

11. *Incrudelitas Iudæorum (& similiter omnium incredulorum) pendet à prædestinatione Dei. Idq; Apostolus Rom. 9. disertè docet. Sect. 133.*

Quis Cereris & Bachi sacris, vel ipsi Asmodæo aliud officium, tribuat, & tamen nobis indignantur, & furiosum conuitium nominant. Legat obsecro præfationem nouem orphanorum liberorum Iacobi Arminij in amicam eius cum F. Iunio collationem. præcipuè hæc verba. *Ac fatebatur quidem sæpe numero parens noster fieri posse, vt D. Caluinus; & Lutherus in sententiam illam; quam ipse oppugnabat, religione aliqua scripturarum perducti essent; sed quum & illæ ipsæ scripturæ non rectè ab ipsis essent intellectæ; & tota ab ipsis dissentiret antiquitas, Græca pariter, ac Latina, & pietati noxia esset illa ipsa crudelitas, & religionem illam euerteret, putabat ille sine vllo pacis publicæ dispendio ea à se proponi posse, quæ & scripturis consona, & Dei naturæ conuenientia, & pietate instillandæ idonea; & si admissa essent pacem; ac concordiam cum sanctimonia allatura esse iudicabat. Imprimis vero etiam illud pium ipsius pectus percellebat, quod posita illa absoluta decretorum, mediorumq; in fines suos subordinatorum necessitate, videbat fieri non posse, quin & causa peccati Deus ille optimus, & sanctissimus statueretur, & in clementissimum numen sub titulo iusticiæ, summæ crudelitatis infamia transcriberetur. Fertur quondam Tiber. Cæsar virginem quandam strangulari voluisse. Cur? quia ita libebat. Sed cum vetaret id patriæ mos, quo non licebat intemeratam occidere, misit virginem ad lenonem, & decreto suo viam ipse sternens stupratam occidi iussit. Suetonius. Immaturæ puellæ quia nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius*

Testimonium Caluinistarũ de suis fratribus.

Arminij iudicio tota antiquitas latina & græca est contra Caluinum.

Deus Caluinistarũ qualis Arminij iudicio.

prius à carnifice, dein strangulatæ sunt. Ignosce, ô bone Christe, Ecclesiæ tuæ Doctoribus, qui de Deo, ad exemplum Tiberij docere, loqui, scribere, non verentur, Deum homines hoc consilio condidisse, vt non tantum labi possunt, sed etiam vt reipsa laberentur; quippe cum non nisi hac ratione peruenire potuerit ad fines illos principales. Caluini sententiam horridiorem cum posset deserere, maluit incrustare D. Iunius. Ecce hæc fratres tui cum dicunt, ab Ecclesijs vestris amantur, defenduntur, apud status Belgicos sunt in precio, cur igitur furiosum est conuitium cum dicitur à Bellarmino?

CAPVT XI.

1. *Gen. 45. 8. & 50. 20.*
2. *Arminius aliique omnibus excussis Caluino hæc crimen impingunt.*

Refelluntur obiectiones deprompta ex diuinis literis.

Bellarminus.

OBiectio prima est ex scripturis, quæ indicare videntur, Deum ab æterno voluisse, & decreuisse mala opera.

Gen. 45. 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum,* & c. 50. 20. *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati?* Quibus locis videtur excusare scelus fratrum, quod eum vendiderint. huc pertinent loca act. 2. 23. & 4. 8. *Loca Gen. 45. 8. & 50. 20.*

Responsio. Deum prædefiniuit opera virtutum Iosephi & Christi, non scelera Patriarcharum & Iudæorum, hæc præsciuit, & permisit. Malas voluntates præuidit, non ordinauit, sed in bonum conuertit. Nec

dicit fratres à Deo in scelus impulsos, sed Deum conuertisse in bonū. Euentu igitur consolatur eos, & sensus est. Nisi *Deus* voluisset permittere, nihil potuissetis efficere: *Dei* ergo prouidentiâ ingressus sum Ægyptum, itaq; non tam attendit, quod à fratribus missus sit ad mortem, quam quod à *Deo* ad vitam.

Illud c. 50. Num *Dei* posimus resistere voluntati? sensum habet: non possum *Dei* resistere voluntati, quæ est vt vobis ignoscam.

Pareus pag. 330.

1. *Loca hæc ad quintam classem pertinent. Nihil de voluntate habet prior. Tantum est:* Non vos huc me misistis, sed *Deus*.

2. *Et alter nihil de voluntate. Sed sic habet: Nolite timere, an non ego sub Deo?*

3. *Non tantum passiones definiuit, sed actiones etiam, Deus misit: sic Isa. 53. Iehoua autem voluit eum conterere. & 1. reg. 2. 25. Iehoua volebat occidere eos. Ergo Deus etiam malas actiones voluisse, & decreuisse dicitur. Alias Deus ipse non exegisset satisfactionem à Christo.*

4. *Latina versio obscura: Deus conuertit in bonum. Hebræus habet: Deus cogitauit illud in bonum.*

5. *Illud: non vestro consilio, est ex vitiosâ interpretatione.*

6. *D. Chrysostomus non nudam permissionem hic statuit, sed dispensationem agnoscit, sicut & in acta:* ὁ εὐμήχανος, καὶ ὁ σοφός.

7. *Bellarminus fatetur illa: Nolite timere, &c. non sic esse in hebræa veritate, ergo vetus versio non est canonica.*

Defensio.

Varijs erroribus hoc loco exponendo se implicat ἀειλογία Aduersarij.

Ad 1. Loca hæc ad consilium & definitionem pertinent: omnia enim diuinâ dispensatione, vt citat

Aduer-

Aduersarius ex Chrysostomo, sunt facta. Imo proprie de consilio, & fine mittentium Iosephus loquitur. sic Iun: & Trem: *Ne tantopere afficiamini peccati vestri sensu, quin prouidentiam Dei respiciatis, mihi & vobis hoc pacto consulentis.* Imo hic Caluinus longâ & & impiâ oratione disputat mala fieri *consilio* & *voluntate Dei:* & tandem concludit: *Non fortuito, aut humanitus factum esse, vt illuc peruenerit: quin potius mirabili Dei consilio erectum fuisse sublime solium, vnde patri & toti familiæ succurrat.* Falsum igitur quod locus *nihil de fratrum consilio, nihil de Dei voluntate habeat.* Falsum & quod loco quinto positum, & locum vitiosum esse ex latinâ versione, nã sensum quẽ illa exprimit, sequitur Iunius, Tremellius, Caluinus.

Ad 2. Falsum pariter, secundum locum nihil de voluntate Dei habere. Iun. & Trem. *Sensus est: Non est meum mutare diuinum decretum, & vobis nocere, quibus Deus prodesse voluit. Serui Dei estis,* vt supra v. 17. *& ego sum. Quapropter eius consilium vtriq; spectemus.* Falsum igitur & illud: *Nihil alter de voluntate Dei.* Maximè cum Aduersarius fateatur; *Iosephum consolari fratres ab admirabili Dei prouidentia & bonitate.*

Ad 3. *Definiuit actiones improbas permittere, non voluit,* hanc distinctionem adhibuit Caluini, & Bezæ verbis, ipsis repugnantibus, nos scripturas id exigentes, & ex veterum normâ sic exponentes audiat. Non possum quin hominis vel fraudes, vel incogitantiam hoc loco ostendam. Cap. 5. pagina 201. Caluinum dicentem; *Deum voluisse peccata!* sic excusat, *Quod Deus velit fieri omnia peccata: de voluntate permissionis verum est.* Dicit Isaias; *Dominus voluit conterere eum:* exponit Bellarminus. *Voluit permittere vt contereretur,* opera mala vendentium Ioseph, occidentium Christum permisit, non definiuit. Hic insurgit contra permissionem.

Pareus Caluinum de voluntate permittente interpretatur, scripturas aliter.

Cur verò non permittitur permiſsio in verbis Domini, quæ per vim obtruditur Caluino? *Voluit*, dicit Caluinus, dicit & Iſaias, ſi fucus abeſt, interpretari liceat Iſaiam de voluntate permittente, ſicut ipſe Caluinum intelligi vult. Diſcat tandem canere concordibus tibijs.

Latina verſio veteris defenſa.

Ad 4. An vero hoc obſcurum? *Deus conuertit illud in bonum?* Miror ſanè, quis enim non intelligit rei malæ bonos exitus datos? Hebræus textus habet ואתמ חשבנתמ עלי רעה הבטל מחבשת מיטלא 70. ὑμεῖς ἐβουλεύσασθε κατ' ἐμοῦ πονηρά, ὁ δὲ θεὸς ἐβουλεύσατο περὶ ἐμοῦ εἰς ἀγαθά. Certè Vatablus: *Machinati eſtis in me malũ, ſed Deus conuertit illud in bonũ.* Hunc ſenſum hebrææ phraſeos eſſe indicans: non .n. eodẽ modo loquitur, vos cogitaſtis רעה malum, Deus vero cogitauit illud חשבה malum ſcilicet, in bonum εἰς ἀγαθά. Videntur legiſſe 70. pro ה literam ח. ſunt enim affines. Verum quid opus interpreti noſtro defenſione apud Caluiniſtas. Legat Iun. & Trem. verſionem. *Vos quidem cogitaueratis contra me malum, ſed Deus cogitauit illud in bonum,* conuertere, &c. Phraſin ergo hebræam intelligentiſsimè noſter expreſsit, nec veriti ſunt eum ſequi nouatores, ſoli Pareo nihil relinquendum fuit ſine lite, vt immundo contactu omnia fœdaret.

Ad 5. Iam ſupra reſponſione ad 1. factum ſatis.

Ad 6. Ad c. 50. 20. *Nolite timere: Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Non negat Bellarminus eſſe in hebræâ veritate verſionem latinam. Verba Bellarmini ſunt: Illud autem c. 50. *Nolite timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? longè alium ſenſum habet, quam prima fronte verba præ ſe ferre videantur. Non enim ſignificat, non potuiſſe fratres Ioſeph reſiſtere Dei voluntati, quæ erat vt Ioſeph AEgyptiis venderetur: ſed non potuiſſe ipſum Ioſeph reſiſtere Dei voluntati, quæ erat vt fratrib. ſuis ignoſceret. Verba Hebræa hæc ſunt.*

Iterum vetus verſio defenſa.

Nolite

Nolite timere, nam sub Deo sum ego אל תיראו התחת אלהים אני *& concordat textus Græcus & Chaldæus, & sensus est (vt exponit Chrysostomus homil. vlt. in Genesin) Deum timeo, & illi subiectus sum, & ideo illum imitari, eiq; obedire debeo. Quare cum ille tam magna bona mihi præstiterit per occasionem huius venditionis, non debeo, nec possum vobis irasci ne ingratus erga Deum videar. Itaq; verba illa, interpretis Latini: Nam Dei possumus resistere voluntati? ad solum Ioseph referenda sunt qui de se in numero multitudinis loquitur, quod non est inusitatum, præsertim cum de ea re loquatur, quæ ad omnes pertinet, qui vere Deum timent.* Non ergo negat Bellarminus sensum latinæ versionis esse in Hebræâ veritate, sed affirmat sensum Caluinisticum quem latinæ versioni affinxere ab Hebræâ veritate esse longe alienum. optimum genus probandi, dum de sensu scripturæ quæritur cõsulere Hebræa, & Græca. Non sunt verba latina in verbis Hebræis, nec Græca quidem, sensus tamen in sensu, & inepta versio cum verbum verbo redditur; sæpe sensus claritatem, & veritatem impedit anxia cura verborum.

At quæri posset, rectè ne verba Hebræa, reddiderit latinus? Quidam vertũt, *Num loco Dei ego?* 70. τοῦ γὰρ θεοῦ εἰμι ἐγώ alii, *Num sub Deo ego?* Ex Scopo colligenda vera sententia est. Timorem demere trepidis Iosephus serio conatur; causam reddit. *Quia ipse sit sub Deo, vel quia non sit loco Dei. Non quod fratres eum Dei instar adorarent, nec quod eos Deo vltori puniendos tradat, nam blandè eos alloquitur: nec interpretationes istæ Caluino placent. Sed quia res à Deo in lætum successum sit conuersa, non posse se bonitati eius, omnibus fratribus benè volenti resistere, vt Deo omnia donante, audeat* μνησικακεῖν, *esse memor iniuriæ, sceleris fratrum suorum. Idem sensus apud* 70. *Dei ego sum, seruus, subditus, is me seruatorem vobis esse voluit, eius igitur voluntati, resistere non debeo, vt durius in vos consulam.*

ſenſus ergo verus ille eſt, quem hactenus agnouit antiquitas, imo & nouitas: ſic enim Caluinus. *Verum quia præfigitur ה interrogationis nota, aliter nequit exponi, quoniam non eſſet conſentaneum, vt ſe mortalis homo ad turbandum Dei conſilium ingerat. Si hac ratione fratres ſecuros & tranquillos eſſe iubet, quia legitimum Deo tribuens honorem libenter ſuſtineat eius imperio parere, quis dubitat, recte verti; Nolite timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Quid verò ad hæc reſpondes tuis Magiſtris, qui ſequentia à catholicis deſcripſerunt? Idem tamen retinet principium, quum arcano Dei conſilio ductus ſit in Ægyptum, vt fratribus vitæ miniſter eſſet, ſibi incumbendum in hoc eſſe,* NE DEO RESISTAT, *ac ſi diceret: Quum vitam veſtram Deus apud me depoſuerit, ego bellum cum eo gererem, niſi fidelis eſſem eius gratiæ diſpenſator, quam mihi dedit in manum.* Nō modo ergo latina verſio eſt in Hebræâ veritate, ſed ne aliter quidem exponi poteſt, teſtibus orthodoxis, & hac in re eorum ex ſcriptore Caluino, quam eo ſenſu, quem clariſsimum reddidit latinus interpres.

Pareus pag. 335.

Ad argumentum reſpondendum eſt. Quod Deus vult & ab æternitate decreuit, ſimpliciter eius eſt cauſa, quod per accidens, quatenus occulta ſua iudicia voluit exequi, non eſt cauſa. Deinde in quantum actiones decreuit, in quantum actiones ſceleratæ, permiſit.

Defenſio.

Si Deus decreuit peccata ad ſua iudicia, eorum eſt cauſa. Nam qui eligit medium malum ad finem bonum, male facit. Deus hoc agit, vt ſæpe dictum eſt. Nam, *ſi Deus ab homine ſupernaturale donum remouet, ſi hominem eo ſpoliauit, quomodo non erit auctor corruptionis? at ſi eſt auctor corruptionis, quomodo non peccati, cum ſit ipſa corruptio peccatum*, ita aduerſarius de gratia primi hominis, capite ſexto. an non ibi auctor

corru-

corruptionis poterat esse ad sua iudicia; & sic non esse auctor peccati? An non causa corruptionis, qua res, non quâ deformitas.

Sed malo moneri aduersarium verbis Iacobi Arminii, quem & Ioannes Arnoldus Coruinus Pastor, & Bertius præfectus studiorum Academiæ Lugduno Batauæ tuentur. Verba Arminii p. 75. & 76. collationis. *Quare velim planè, & perspicuè commonstrari, quod Deus ex illa ordinatione auctor peccati non statuitur, vel sententiam commutari; quandoquidem multis est scandalo, imo causa à nobis secedendi nonnullis, quam plurimis se nobis non coniungendi. Omnino autem mihi persuadeo, & te illam consequentiam videre sed malle sententiam virorum istorum commoda explicatione liberare ab absurdâ, & blasphemâ consequentiâ, quam illi istam impingere.*

Arminius excussis omnibus Caluino crimen de auctore peccati impingit.

Candoris hoc ait esse, & beneuolentiæ, sed nulli bono vsurpatæ, eo quod glossa vt loquuntur, contraria & textui, & cuiuis inspicienti, & textum cũ glossa conferenti, esse manifestum. & pag. 77. ait se has distinctiones studiose ex eorum scriptis conquisisse, quod omnino sibi faciendum fuerit antequam illorum sententiæ crimen illud impingeret. *Si enim vllam illius sententiæ explicationem, vllam distinctionem inuenire potuissem, quâ sententia potuisset, ab illo crimine excusari, conscientiæ meæ fuisset, sententiam illam ista consequentia non grauare.*

Deinde p. 80. illam distinctionem de peccato quâ actus est, & quâ peccatum reiicit. Nam ordinauit ad actum vt malum, quia ad actum qui indiget remissione, vel meretur pœnam.

Præstat ergo omnino recedere ab illâ opinione, quod interdum facit Pareus quam incrustare quod rudissime facit idem Pareus.

Ca-

Capvt XII.

1. *Deus an creet impios ad malum?*
2. *Creauit, quos malos fore præsciuit.*
3. *Deus sicut facit in tempore ita decreuit.*
4. *Deus sicut facit in tempore, ita decreuit.*
5. *Augustini de his sententia ex Prospero.*
6. *Prædestinare sine culpa ad pœnam est iniustum.*
7. *Pareus Bezæ contradicit.*
8. *De excæcatione Pharaonis c. 9. Exodi.*
9. *Actiuæ Hebræorum coniugationes sæpe permissionem significant.*
10. *Piscator docet Deum velle peccata vt peccata.*
11. *Augustini doctrina. Indurare non misereri, durum demonstrare, patientia Dei indurat Pharaonem deserendo.*

Soluuntur obiectiones ex aliis testimoniis Scripturæ.

Deus an creat impios ad malum?

SEcundo loco obiiciuntur ea testimonia, quibus significatur, Deum creare impios, vt postea in ipsorum pœnis, vt iustitia diuina reluceat. Sic enim legimus Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoq; ad diem malum.* Et Rom. 9. *An non habet potestatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Exodi 9. *Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra*. Vel vt Apost. citato Rom. 9. *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, &c.*

Respondeo, Deum non creare impios nisi materialiter

rialiter, vt in Scholis Theologi loquuntur, id est, creare eos, quos videt futuros impios, vt eorum impietate, quam ipse non fecit, sed tantum præsciuit, vtatur ad iustitiam, & potentiam suam manifestandam. Sic S. Augustinus loquitur epistola 106. ad Paulinum: *Quamuis peccata non fecerit naturas tamen ipsas, quæ per se ipsas sine dubio bonæ sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia peccatorum, & in multis talia, quibus esset æterna pœna reddenda, quis nisi Deus creauit? Quare? nisi quia voluit? quare autem voluerit, ô homo, tu quis es qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare sic me fecisti? an non habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Hæc ille.* *Creauit quos malos futuros esse præsciuit*

Pareus pag. 338.

1. Siue illud. Omnia operatus est Deus: referatur ad consilium creandi omnes homines, siue ad ipsam creationem singulorum, non potest hoc dici. 1. quia videt vniuersos fore impios ex massa perditionis, nisi ipse discrimen faciat: omnes etiam creat pariter impios, nisi ipse discrimen faciat, &c. pag. 339. 2. Res etiam loquitur impios omnes vadere in interitum. Ergo aut ad infernum sunt creati, id est, ordinati ab æterno, atque etiam procreati in tempore: aut Deus frustratur creationis fine: aut nullo fine certo, sed temerè aliquos creauit Deus 3. Deus absoluto iure potest destinare ad interitum, hoc vult Beza, non ordinato in lege.

Defensio.

Ad 1. Parumnè manifeste Deum suum nobis inculcat? Non tantum, quem prævidit improbum, destinauit, sed quem ordinauit. Si non impium, quem præuidit, sed ex impœnitentiâ, creauit in diem malum, seu creauit iturum in diem malum, ipsum ergo impium fecit, vt iure merito iret in diem malum, ordinauit vero in suam gloriam etiam iam præuisam impietatem. Ad

Quâ ergo insipientiâ, quâue dementiâ definitur ad Dei referendum esse consilium, quod nec Diabolo in totum ascribi potest, qui in peccantium flagitiis illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus est esse generator? Nihil ergo talium negotiorum Deus prædestinauit vt fieret: nec illam animam, nequiter, turpiterq; victuram, ad hoc, vt taliter fieret, præparauit: sed talem futuram non ignorauit, & de tali iustè se iudicaturum esse præsciuit. Atque ita ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitum pertinet gratiæ largitatem.

Obiect. 13.

Quod omnes illi fideles, & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur: sed ipsius vitii causa est diuina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.

Deus non impellit ad peccatum.

Idem blasphemiarum spiritus perseuerat, & à præcedentibus mendaciis subsequens impietas non recedit: quam prorsus vera ratio reprobat, & incunctanter sana doctrina condemnat. Quia omnibus quidem à fide ad infidelitatem, à sanctitate ad turpitudinem relapsis, & ante finem vitæ nulla emendatione purgatis, nihil aliud quam mors æterna debetur: sed nefas est Deo ascribere causas talium minarum. Quia etsi ex æternâ scientia præcognitum habet, quod vniuscuiusq; meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo à iustitiâ, & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, suâ concupiscentiâ trahitur, suâ persuasione decipitur. Nihil ibi pater, nihil filius, nihil agit Spiritus Sanctus: nec tali negotio quicquam diuinæ voluntatis interuenit, cuius opera multos scimus ne laberentur retentos; nullos autem, vt laberentur, impulsos.

Hisce oppone illa Piscatoriana, in responsione ad Parasceuen Vorstianam. Considerandum quomodo Deus myste-

mysteria regni cælorum Scribis & Pharisæis absconderit. Non certè externè, &c. ergo internè quatenus scilicet mentes eorum excæcauit. Deinde pag. 6. *Ex omnibus illis scripturæ dictis clare patet, incredulitatem hominum à Dei prædestinatione ; tanquam effectum à suâ causa pendere. Quum igitur axioma illud meum de principe causa, in verbo Dei clarissimè sit fundatum ; certè nemini pio, qui hæc perpendit, atq; considerat, iusta causa offensionis relinquitur.* An obsecro Deus non est causa peccati, qui causa est princeps incredulitatis? *Qui Piscatoris opinione ideo Christum dedit, ne iudæi crederent?* an non hæc sunt ineptissimarum blasphemiarum prodigiosa mendacia?

Quod de iure absoluto narrat, semel errat, bis mentitur. Errat, non enim fingi potest vis odiendi, puniendi, nisi malos, verum hac de re relegat quæstionem quartam D. Martini Becani, quam eum in vsum hic descripsi:

Quæstio quarta.

An Deus potuisset aliquos creare ad mortem nudo suo arbitrio, citra ipsorum culpam.

D. Martini Becani de iure absoluto disputatio.

Ostendi hæreticos esse, qui asserunt Deū aliquos creasse ad mortem, sine vllo ipsorum vitio. Nunc quæstio est, esto Deus neminem hoc modo ad mortem creauerit, an saltem id facere potuisset, aut etiam nunc posset, si vellet? Ratio dubitandi est, quia cum Deus sit absolutus Dominus omnium creaturarum, cur non posset de iis facere, & statuere pro suo arbitrio: cur non posset aliquos si vellet citra culpam ipsorum, creare & prædestinare ad damnationem, & interitum? aut quis ei resisteret? At contra, si faceret, quomodo crudelis non esset? Videlicet difficilis hic nodus. Sed cum diuina gratia facile illum dissoluam, non tam meis, quam Augustini verbis.

Deus potens bonus iustus.

1. Res ita habet. Varia in Deo attributa spectari possunt ; & quidem quod ad præsens institutum attinet,

Cur verò non permittitur permißio in verbis Domini, quæ per vim obtruditur Caluino? *Voluit*, dicit Caluinus, dicit & Iſaias, ſi fucus abeſt, interpretari liceat Iſaiam de voluntate permittente, ſicut ipſe Caluinum intelligi vult. Diſcat tandem canere concordibus tibijs.

Ad 4. An vero hoc obſcurum? *Deus conuertit illud in bonum*? Miror ſanè, quis enim non intelligit rei malæ bonos exitus datos? Hebræus textus habet ואתמ חשנתמ עלי רעה הבטל מחבשח מיטלא 70. ὑμεῖς ἐβουλεύσασθε καὶ ἐμοῦ πονηρά, ὁ δὲ θεὸς ἐβουλεύσατο περὶ ἐμοῦ εἰς ἀγαθά. Certè Vatablus: *Machinati eſtis in me malū, ſed Deus conuertit illud in bonū*. Hunc ſenſum hebrææ phraſeos eſſe indicans: non .n. eodē modo loquitur, vos cogitaſtis רעה malum, Deus vero cogitauit illud חשבה malum ſcilicet, in bonum εἰς ἀγαθά. Videntur legiſſe 70. pro ה literam ח. ſunt enim affines. Verum quid opus interpreti noſtro defenſione apud Caluiniſtas. Legat Iun. & Trem. verſionem. *Vos quidem cogitaueratis contra me malum, ſed Deus cogitauit illud in bonum*, conuertere, &c. Phraſin ergo hebræam intelligentiſsimè noſter expreſsit, nec veriti ſunt eum ſequi nouatores, ſoli Pareo nihil relinquendum fuit ſine lite, vt immundo contactu omnia fœdaret.

Latina verſio Vetus defenſa.

Ad 5. Iam ſupra reſponſione ad 1. factum ſatis.

Ad 6. Ad c. 50. 20. *Nolite timere: Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Non negat Bellarminus eſſe in hebrææ veritate verſionem latinam. Verba Bellarmini ſunt: Illud autem c. 50. *Nolite timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? longè alium ſenſum habet, quam prima fronte verba præ ſe ferre videantur. Non enim ſignificat, non potuiſſe fratres Ioſeph reſiſtere Dei voluntati, quæ erat vt Ioſeph AEgyptiis venderetur: ſed non potuiſſe ipſum Ioſeph reſiſtere Dei voluntati, quæ erat vt fratrib. ſuis ignoſceret. Verba Hebræa hæc ſunt. Nolite*

Iterum Vetus verſio defenſa.

Nolite timere, nam sub Deo sum ego אל תיראו התחת אלהים אני *& concordat textus Græcus & Chaldæus, & sensus est (vt exponit Chrysostomus homil. vlt. in Genesin) Deum timeo, & illi subiectus sum, & ideo illum imitari, eiq; obedire debeo. Quare cum ille tam magna bona mihi præstiterit per occasionem huius venditionis, non debeo, nec possum vobis irasci ne ingratus erga Deum videar. Itaq; verba illa, interpretis Latini: Nam Dei possumus resistere voluntati? ad solum Ioseph referenda sunt qui de se in numero multitudinis loquitur, quod non est inusitatum, præsertim cum de ea re loquatur, quæ ad omnes pertinet, qui vere Deum timent.* Non ergo negat Bellarminus sensum latinæ versionis esse in Hebræâ veritate, sed affirmat sensum Caluinisticum quem latinæ versioni affinxere ab Hebræâ veritate esse longe alienum. optimum genus probandi, dum de sensu scripturæ quæritur cõsulere Hebræa, & Græca. Non sunt verba latina in verbis Hebræis, nec Græca quidem, sensus tamen in sensu, & inepta versio cum verbum verbo redditur; sæpe sensus claritatem, & veritatem impedit anxia cura verborum.

At quæri posset, rectè ne verba Hebræa, reddiderit latinus? Quidam vertũt, *Num loco Dei ego?* 70. τοῦ γὰρ θεοῦ εἰμί ἐγώ alii, *Num sub Deo ego* ? Ex Scopo colligenda vera sententia est. Timorem demere trepidis Iosephus serio conatur; causam reddit. *Quia ipse sit sub Deo, vel quia non sit loco Dei. Non quod fratres eum Dei instar adorarent, nec quod eos Deo vltori puniendos tradat, nam blandè eos alloquitur: nec interpretationes istæ Caluino placent. Sed quia res à Deo in lætum successum sit conuersa, non posse se bonitati eius, omnibus fratribus benè volenti resistere, vt Deo omnia donante, audeat* μνησικακεῖν, *esse memor iniuriæ, sceleris fratrum suorum. Idem sensus apud 70. Dei ego sum, seruus, subditus, is me seruatorem vobis esse voluit, eius igitur voluntati, resistere non debeo, vt durius in vos consulam.*

ſenſus ergo verus ille eſt, quem hactenus agnouit antiquitas, imo & nouitas: ſic enim Caluinus. *Verum quia præfigitur ה interrogationis nota, aliter nequit exponi, quoniam non eſſet conſentaneum, vt ſe mortalis homo ad turbandum Dei conſilium ingerat. Si hac ratione fratres ſecuros & tranquillos eſſe iubet, quia legitimum Deo tribuens honorem libenter ſuſtineat eius imperio parere, quis dubitat, recte verti; Nolite timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Quid verò ad hæc reſpondes tuis Magiſtris, qui ſequentia à catholicis deſcripſerunt? Idem tamen retinet principium, quum arcano Dei conſilio ductus ſit in Ægyptum, vt fratribus vitæ miniſter eſſet, ſibi incumbendum in hoc eſſe, NE DEO RESISTAT, ac ſi diceret: Quum vitam veſtram Deus apud me depoſuerit, ego bellum cum eo gererem, niſi fidelis eſſem eius gratiæ diſpenſator, quam mihi dedit in manum.* Nõ modo ergo latina verſio eſt in Hebrææ veritate, ſed ne aliter quidem exponi poteſt, teſtibus orthodoxis, & hac in re eorum ex ſcriptore Caluino, quam eo ſenſu, quem clariſsimum reddidit latinus interpres.

Pareus pag. 335.

Ad argumentum reſpondendum eſt. Quod Deus vult & ab æternitate decreuit, ſimpliciter eius eſt cauſa, quod per accidens, quatenus occulta ſua iudicia voluit exequi, non eſt cauſa. Deinde in quantum actiones decreuit, in quantum actiones ſceleratæ, permiſit.

Defenſio.

Si Deus decreuit peccata ad ſua iudicia, eorum eſt cauſa. Nam qui eligit medium malum ad finem bonum, male facit. Deus hoc agit, vt ſæpe dictum eſt. Nam, *ſi Deus ab homine ſupernaturale donum remouet, ſi hominem eo ſpoliauit, quomodo non erit auctor corruptionis? at ſi eſt auctor corruptionis, quomodo non peccati, cum ſit ipſa corruptio peccatum*, ita aduerſarius de gratia primi hominis, capite ſexto. an non ibi auctor

corru-

corruptionis poterat esse ad sua iudicia; & sic non esse auctor peccati? An non causa corruptionis, qua res, non quâ deformitas.

Sed malo moneri aduersarium verbis Iacobi Arminii, quem & Ioannes Arnoldus Coruinus Pastor, & Bertius præfectus studiorum Academiæ Lugduno Batauæ tuentur. Verba Arminii p. 75. & 76. collationis. *Quare velim planè, & perspicuè commonstrari, quod Deus ex illa ordinatione auctor peccati non statuitur, vel sententiam commutari; quandoquidem multis est scandalo, imo causa à nobis secedendi nonnullis, quam plurimis se nobis non coniungendi. Omnino autem mihi persuadeo, & te illam consequentiam videre sed malle sententiam virorum istorum commoda explicatione liberare ab absurdâ, & blasphemâ consequentiâ, quam illi istam impingere.*

Arminius excusis omnibus Caluino crimen de auctore peccati impingit.

Candoris hoc ait esse, & beneuolentiæ, sed nulli bono vsurpatæ, eo quod glossa vt loquuntur, contraria & textui, & cuiuis inspicienti, & textum cũ glossa conferenti, esse manifestum. & pag. 77. ait se has distinctiones studiose ex eorum scriptis conquisisse, quod omnino sibi faciendum fuerit antequam illorum sententiæ crimen illud impingeret. *Si enim vllam illius sententiæ explicationem, vllam distinctionem inuenire potuissem, quâ sententia potuisset, ab illo crimine excusari, conscientiæ meæ fuisset, sententiam illam ista consequentia non grauare.*

Deinde p. 80. illam distinctionem de peccato quâ actus est, & quâ peccatum reiicit. Nam ordinauit ad actum vt malum, quia ad actum qui indiget remissione, vel meretur pœnam.

Præstat ergo omnino recedere ab illâ opinione, quod interdum facit Pareus quam incrustare quod rudissime facit idem Pareus.

Ca-

CAPVT XII.

1. *Deus an creet impios ad malum?*
2. *Creauit, quos malos fore præsciuit.*
3. *Deus sicut facit in tempore ita decreuit.*
4. *Deus sicut facit in tempore, ita decreuit.*
5. *Augustini de his sententia ex Prospero.*
6. *Pradestinare sine culpa ad pœnam est iniustum.*
7. *Pareus Bezæ contradicit.*
8. *De excæcatione Pharaonis c. 9. Exodi.*
9. *Actiua Hebræorum coniugationes sæpe permissionem significant.*
10. *Piscator docet Deum velle peccata vt peccata.*
11. *Augustini doctrina. Indurare non misereri, durum demonstrare, patientia Dei indurat Pharaonem deserendo.*

Soluuntur obiectiones ex aliis testimoniis Scripturæ.

Deus an creat impios ad malum?

SEcundo loco obiiciuntur ea testimonia, quibus significatur, Deum creare impios, vt postea in ipsorum pœnis, vt iustitia diuina reluceat. Sic enim legimus Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoq; ad diem malum.* Et Rom. 9. *An non habet potestatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Exodi 9. *Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Vel vt Apost. citato Rom. 9. *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, &c.*

Respondeo, Deum non creare impios nisi materialiter

rialiter, vt in Scholis Theologi loquuntur, id est, creare eos, quos videt futuros impios, vt eorum impietate, quam ipse non fecit, sed tantum præsciuit, vtatur ad iustitiam, & potentiam suam manifestandam. Sic S. Augustinus loquitur epistola 106. ad Paulinum: *Quamuis peccata non fecerit naturas tamen ipsas, quæ per se ipsas sine dubio bonæ sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia peccatorum, & in multis talia, quibus esset æterna pœna reddenda, quis nisi Deus creauit? Quare? nisi quia voluit? quare autem voluerit, ô homo, tu quis es qui respondeas* Deo? *nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare sic me fecisti? an non habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Hæc ille.*

Creauit quos malos futuros esse præsciuit

Pareus pag. 338.

1. Siue illud. Omnia operatus est Deus: referatur ad consilium creandi omnes homines, siue ad ipsam creationem singulorum, non potest hoc dici. 1. quia videt vniuersos fore impios ex massa perditionis, nisi ipse discrimen faciat: omnes etiam creat pariter impios, nisi ipse discrimen faciat, &c. pag. 339. 2. *Res etiam loquitur impios omnes vadere in interitum. Ergo aut ad infernum sunt creati, id est, ordinati ab æterno, atque etiam procreati in tempore: aut Deus frustratur creationis fine: aut nullo fine certo, sed temerè aliquos creauit Deus 3. Deus absoluto iure potest destinare ad interitum, hoc vult Beza, non ordinato in lege.*

Defensio.

Ad 1. Parumne manifeste Deum suum nobis inculcat? Non tantum, quem prævidit improbum, destinauit, sed quem ordinauit. Si non impium, quem præuidit, sed ex impœnitentiâ, creauit in diem malum, seu creauit iturum in diem malum, ipsum ergo impium fecit, vt iure merito iret in diem malum, ordinauit vero in suam gloriam etiam iam præuisam impietatem.

Ad

Deus sicut facit in tẽpore, ita decreuit.

Ad 2. Ab æterno ordinati sunt, & in tempore creati, sed nō absoluto decreto, verum interuentu impœnitentiæ, nam vt in tempore non sine peccatorum meritis damnantur, sic ab æterno non nisi respectu meritorum damnationi sunt destinati. Quod enim facit in tempore hoc constituit facere. Quod nec facit, nec facere se velle reuelauit, id neque decreuit; at non præcipitat in exitium sine culpa ruentium, ergo nec decreuit sine culpa ruinam. Nec alia mens S. Augustini, & Fulgentii ad Monymum l. 1. De Augustini sententiâ vide Prosperum, siue ipsum Augustinum l. 2. contra calumnias Pelagianorum. Nam c. 3. sic ait:

Obiectio 3.

Quod Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, vt illam perdat in æternum.

Nemo creatus vt periret.

Omnium quidem hominum Deus creator est: sed nemo ab eo ideo creatus est vt periret: quia alia est causa nascendi, & alia est pereundi. Vt enim nascantur homines, conditoris est beneficium: vt autem pereant, præuaricatoris est meritum. In Adam quippe in quo omnium hominum præformata natura est, omnes peccauerunt, eademq; sententiâ, quam ille excepit, obstricti sunt. Neq; ab hoc vinculo etiamsi propriis peccatis careant, resoluuntur, nisi in sacramento mortis, & resurrectionis Christi, per Spiritum sanctum renascantur. Nimis ergo impius, & indoctus est, qui vitium naturæ non discernit ab auctore naturæ: à quo prorsus alienum est, quicquid in vnoquoq; damnandum est. Creat enim homines, vt sint homines: nec multiplicandis generationum successionibus opificium suum subtrahit secundum consilium bonæ voluntatis suæ reparaturus in multis, quod ipse fecit; puniturus in multis, quod ipse non fecit. Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius hominis obedientiam iusti constituuntur multi.

Ob-

Obiect. 4.

Quod maior pars generis humani ad hoc creetur à Deo, vt non Dei, sed diaboli faciat voluntatem.

Insanum omnino, & contra rationem est, dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri: & damnatorem diaboli eiusq; famulorum, velle vt diabolo seruiatur. Sed hoc Catholicis Pelagiani consequenter se obiicere existimant, qui Adæ peccatum transisse in omnes diffitentur. Quoniam si primam natiuitatem originalis culpa non obliget, non sint obnoxii diabolo paruuli: nec indigeant erui de potestate tenebrarum, qui nunquam à suo auctore discesserint. Nos autem, qui omnes in Adam periisse profitemur (venit enim filius hominis quærere, & saluare, quod perierat) nec dicimus ideo creari quenquã hominem vt diaboli faciat voluntatem, & agnoscimus omnem hominem non redemptum, diabolo esse captiuũ. Præuaricatio enim hominum, dispositæ à seculis creationis ordinem turbare non potuit, & merito creatura peccatrix pœnalem dominationem illius patitur, cui relicto vero Deo, sponte se vendidit. Hæc quippe seruitus non institutio est Dei, sed iudicium, quo fraus deceptoris diaboli facta est decepto, & male credulo homini pœna peccati. De qua nemo eruitur, nisi per mediatorem Dei, & hominum hominem Christum Iesum, cuius gratuita gratia & multorum malis meritis non tribuitur, & nullorum bonis meritis præuenitur. *Nemo prædestinatus ad peccatum.*

Obiect. 11.

Quòd quando incestant, patres filias, & matres filios: vel quando serui Dominos occidunt, ideo fiat, quia ita Deus prædestinauit, vt fieret.

Si diabolo obiiceretur, quod talium facinorum ipse auctor, ipse esset incentor, puto quod aliqua ratione exonerare se hac posset inuidiâ, & talium scelerum patratorem de ipsorum voluntate vinceret: Quia etsi delectatus est furore peccantium, probaret tamen se non intulisse vim criminum.

Quã

Quâ ergo insipientiâ, quâue dementiâ definitur ad Dei referendum esse consilium, quod nec Diabolo in totum ascribi potest, qui in peccantium flagitiis illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus est esse generator? Nihil ergo talium negotiorum Deus prædestinauit vt fieret: nec illam animam, nequiter, turpiterq; victuram, ad hoc, vt taliter fieret, præparauit: sed talem futuram non ignorauit, & de tali iustè se iudicaturum esse præsciuit. Atque ità ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitum pertinet gratiæ largitatem.

Obiect. 13.

Quod omnes illi fideles, & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur: sed ipsius vitii causa est diuina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.

Deus non impellit ad peccatum.

Idem blasphemiarum spiritus perseuerat, & à præcedentibus mendaciis subsequens impietas non recedit: quam prorsus vera ratio reprobat, & incunctanter sana doctrina condemnat. Quia omnibus quidem à fide ad infidelitatem, à sanctitate ad turpitudinem relapsis, & ante finem vitæ nulla emendatione purgatis, nihil aliud quam mors æterna debetur: sed nefas est Deo ascribere causas talium minarum. Quia etsi ex æternâ scientia præcognitum habet, quod vniuscuiusq; meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quod falli non potest; aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo à iustitiâ, & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, suâ concupiscentiâ trahitur, suâ persuasione decipitur. Nihil ibi pater, nihil filius, nihil agit Spiritus Sanctus: nec tali negotio quicquam diuinæ voluntatis interuenit, cuius opera multos scimus ne laberentur retentos; nullos autem, vt laberentur, impulsos.

Hisce oppone illa Piscatoriana, in responsione ad Parasceuen Vorstianam. Considerandum quemodo Deus mysie-

mysteria regni cœlorum Scribis & Pharisæis abscondederit. Non certè externè, &c. ergo internè quatenus scilicet mentes eorum excæcauit. Deinde pag. 6. *Ex omnibus illis scripturæ dictis clare patet, incredulitatem hominum à Dei prædestinatione ; tanquam effectum à suâ causa pendere. Quum igitur axioma illud meum de principe causa, in verbo Dei clarißimè sit fundatum ; certè nemini pio, qui hæc perpendit, atq; considerat, iusta causa offensionis relinquitur.* An obsecro Deus non est causa peccati, qui causa est princeps incredulitatis? *Qui Piscatoris opinione ideo Christum dedit, ne iudæi crederent?* an non hæc sunt ineptissimarum blasphemiarum prodigiosa mendacia?

Quod de iure absoluto narrat, semel errat, bis mentitur. Errat, non enim fingi potest vis odiendi, puniendi, nisi malos, verum hac de re relegat quæstionem quartam D. Martini Becani, quam eum in vsum hic descripsi:

Quæstio quarta.

An Deus potuisset aliquos creare ad mortem nudo suo arbitrio, citra ipsorum culpam.

D. Martini Becani de iure absoluto disputatio.

Ostendi hæreticos esse, qui asserunt Deũ aliquos creasse ad mortem, sine vllo ipsorum vitio. Nunc quæstio est, esto Deus neminem hoc modo ad mortem creauerit, an saltem id facere potuisset; aut etiam nunc posset, si vellet? Ratio dubitandi est, quia cum Deus sit absolutus Dominus omnium creaturarum, cur non posset de iis facere, & statuere pro suo arbitrio: cur non posset aliquos si vellet citra culpam ipsorum, creare & prædestinare ad damnationem, & interitum? aut quis ei resisteret? At contra, si faceret, quomodo crudelis non esset? Videlicet difficilis hic nodus. Sed cum diuina gratia facilè illam dissoluam; non tam meis, quam Augustini verbis.

Deus potens bonus iustus.

2. Res ita habet. Varia in Deo attributa spectari possunt; & quidem quod ad præsens institutum attinet,

hæc tria potiſsimum, Potentia, Bonitas, Iuſtitia; quæ omnia in Deo infinita. Eſt enim ipſe infinitè potens, infinitè bonus, infinitè iuſtus. Imo, vt Patres, & ſcripturæ loquuntur, eſt ipſa omnipotentia, ipſa bonitas, ipſa iuſtitia.

3. Si ergo ſpectemus præciſe potentiam Dei, non ſpectatâ bonitate, & iuſtitiâ, ſine dubio non poſſet non ſolum aliquot, ſed omnes homines creare ad mortem. Hoc enim non repugnat ipſius infinitæ potentiæ. Quis enim illi reſiſtat? Hoc ſenſu dixit Auguſtinus in libro de prædeſtinatione, & gratiâ ca. 16. Si humanum genus non cum debitæ mortis, & peccati origine naſceretur, & tamen ex iis creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum, quis omnipotenti creatori diceret. Quare feciſti ſic?

Damnare ſine culpa iuſtitiæ Dei repugnat.

4. Si verò ſpectes iuſtitiam Dei infinitam non poteſt ſuo arbitrio damnare, quos vult, nullâ ipſorum culpâ præexiſtente. Hoc aſſerit idem Auguſtinus in epiſt. 106. ad Paulinum, his verbis. Hæc maſſa, ſi ita eſſet media, vt quemadmodũ nihil boni, ita nec mali aliquid mereatur, non fruſtra videretur iniquitas, vt ex eâ vaſa fierent in contumeliam. *Et infra.* Quemquam vero immeritum, & nulli obnoxium peccato, ſi Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur. *Et lib. 3. contra Iulianum c. 28.* Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus. Poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt quenquam ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt. *Et S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum capit. 26.* Notum eſt, iram Dei dici non poſſe, niſi vbi creditur hominis iniquitas præceſſiſſe.

Prædeſtinare ſine culpa ad pœnam iniuſtum eſt.

5. Forte occurres duobus modis accipi poſſe, vt Deus dicatur aliquos damnare ſine ipſorum culpa. Primò, quoad executionem. Secundò, quoad prædeſtinationem. Priori modo fore iniuſtum ex ſententia Auguſtini; non poſteriori. Nam contra iuſtitiam eſſet reipſâ damnare aliquos,

quos, qui nihil culpæ contrâxissent. Non autem esset, prædestinare aliquos ad damnationem sine ipsorum culpa, & simul statuere, non velle exequi damnationem, nisi mediante culpa. Hoc facit Deus; illud non facit. Ergo contra concludo; si iniustus est qui damnat hominem sine peccato, magis iniustus est, qui prædestinat hominem ad peccatum, vt damnare eum possit. Recte Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 22. *Nec iustitia iusta diceretur, si puniendum reum non inuenit; sed fecisse dicatur. Maior vero erit iniustitia si lapso Deus retribuit pœnam, quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam.*

6. Iam de infinita Dei bonitate ita statuendum est. Repugnat illi quenquam suppliciis addicere, non præuisa ipsius culpa. Hoc quidem disertis verbis in Augustino non reperio, sed tamen optime demonstrari potest. Nam Deum infinitè bonum esse, nihil aliud est, quam infinitè propensum esse ad benefaciendum. Et hæc ipsius natura vt recte docet D. Th. in 3. part. q. 1. art. 1. vbi ex hoc principio sic concludit. Ad rationem boni pertinet, vt sese aliis communicet: Ergo ad rationem summi boni, vt sese summo modo cõmunicet, Deus autem summum bonum est: Ergo ad rationem Dei spectat, se summo modo communicare, quod fit per incarnationẽ. Ergo similiter concludo. Quo quis magis naturâ propensus est ad benefaciendum aliis, eo magis abhorret ab inferendo malo, præsertim iniusto: Ergo, qui infinite propensus est ad benefaciendum aliis, infinite abhorret ab omni iniusto malo: *Esset autem iniustum malum si quis prædestinaretur ad damnationem citra culpam suam, vt ex Augustino ostensum est. Ergo Deus, qui est infinitè bonus, maximè abhorret à tali prædestinatione.* *Repugnat & bonitati.*

7. Si ergo absolutè quæras, possetne Deus aliquem absolutè creare, vt pereat, dicendum est, non posse, quia repugnat ipsius infinitæ bonitati, & iustitiæ, tametsi non repugnat omnipotentiæ. Potest hoc illustrari simili exemplo. Nam si quæstio sit, an Deus

hunc mundum, quem decreuit conseruare, possit hoc momento destruere, & alium producere? respondeo non posse. At non repugnat ipsius omnipotentiæ. Quid refert? satis est repugnare immutabili decreto voluntatis.

Cum Becano sentit Augustinus l. 1. retract. cap. 9. *Omnis autem pœna si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.*

Calumniatur Bellarminum. Atque ille est error. Mendacium primum est contra Bellarminum, eum scilicet l. 1. ca. 14. fateri Deum absoluta potestate alios ad gloriam, alios ad contumeliam destinasse. Cum dicat: Deum posse de rebus suis facere quicquid libuerit, & non solum hominem, qui venialiter peccauit, interficere, sed etiam in nihilum redigere. Potest quidem, inquit Bellarm. id facere, tamen si id faceret, Dominum se probaret, non iudicẽ, nam vt S. Aug. ait l. 3. aduersus Iulianum, c. 18. Bonus est Deus, iustus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquã sine malis meritis damnare, quia iustus est. ita potentiæ vt potentiæ non repugnat, sed potentiæ iustæ, bonæ, paternæ, creatrici. Apostolus vero Rom. 9. 21. non agit de potentiâ absoluta Domini, quam Pareus fingit, sed iudicis, vasa enim contumeliæ sunt vasa iræ, ira Dei non est dominantis, sed iudicantis, ideo non nisi mali. Alterum mendacium est contra Bezã. Nam

Deprauat Bezam is enim loquitur de iure ordinato. & ipse, & Caluinus loquuntur de iure ordinato in lege; quia de iure, quo Deus vtitur, quod reuelauit; illud autem ordinatum est in lege. Beza coll. Momp. pag. 532. de facto loquitur: *Nec est iniustitia in Deo, qui noluit impios ingredi viam salutis; quos ad damnationem creauit.* Eodẽ modo Caluinus. Ad locum Rom. 9. 21. optime responsum non modo à Bellarmino, sed

Pareus cõtra Bezam verum Bellarmino fiat. & cum fructu, nã aduersarius à Beza recedens, & suis mendaciis, cũ Bellarmino sentit. Primo repetam verba Bellarmini, deinde iudicium Parei. Bellarminus sic: Quod etiam manifestius fiet ex testimonii secũdi explica-

plicatione. *Nã quod Deus dicitur fecisse vasa quædam in contumeliam, non sic accipiendum est, quasi ipse ex materia nobili, aut indifferenti fecerit vasa in contumeliam, sed quod ex materia damnata, & contumeliosa fecerit vasa, qualia materia ipsa postulabat, cum tamen ex eadem materia fecerit alia quædam in honorem, pro voluntate suâ, non pro conditione materiæ, quomodo si figulus ex luto vasa quædam lutea fecerit; eaq; vt materia ipsa requirit, vilißimis ministeriis deputaret; quædã autem ex eodem luto facta, supra materiæ conditionem auro, & gemmis ornaret, & ad nobilißimos vsus exhiberet. Ex quo sequitur, vt vasa facta in contumeliam à Deo habeant, vt sint vasa, à materia vero, vt sint in cõtumeliam, vasa vero facta in honorem à Deo vtrumq; habeant, & quod vasa sint, & quod in honorem sint.*

Ita exponit S. Augustinus in Epist. 106. ad Sixtum. An non habet (inquit) potestatem figulus luti ex eadem massa, vtique merito, recteq; damnata facere aliud vas in honorem indebitum, propter misericordię gratiam, aliud in contumeliam debitam propter iræ iustitiam? Et rursus ibidem. Quamuis itaq; Deus faciat vasa iræ in perditionem, vt ostendat iram, & demõstret potentiam suam, qua bene etiam vtitur malis, & vt notas faciat diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordię quæ fecit in honorem, non damnabili massæ debitũ, sed suæ gratiæ largitate donatum, tamen in eisdem irę vasis propter meritum massæ in contumeliã debitum factis, id est, hominib. propter naturæ bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitaté, quã rectißsima veritas improbat, damnare nouit ipse, non facere. Et in epist. 106. ad Paulinũ. Hæc massa, inquit, si esset ita media, vt quemadmodũ nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, vt ex ea fierent vasa in contumeliam. Cum vero per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem vniuersa destruxerit, procul dubio quod ex

eo fiunt vasa in honorem, non ipsius iustitiæ, quæ gratiam nulla præcessit, sed Dei misericordiæ: quod verò in contumeliam non iniquitati Dei, quæ absit vt sit apud Deum, sed iudicio deputandum est. Sed Theodorus Beza animaduertens hunc locum ita explicatum errori suo, ad quem stabiliendum eum adduxerat, nihil fauere, confidenter. S. Augu. sententiam reiicit, & per massam ex qua fiuut vasa in honorem, & in contumeliam, intelligendum esse contẽdit genus humanum non creatũ, & vitio primi peccati corruptũ, sed creãdum, siue lutum illud ex quo Deus Adamum, & in illo omnes homines finxit. Sic enim loquitur in responsione ad acta coll. Montisbelg. parte priore p. 155. Sed requirit, inquit, D. Andreas aliquid expressius. Cum igitur idem Apostolus Deum testatur instar figuli ex eadem massa quædam vasa honori, quædam dedecori fecisse, quomodo dictũ illud explicari verè, & cõmode poterit, quin ad vsq; Adami opificium ascendamus? nec. n. massæ nomen humano generi cõdito, sed condendo conuenit, ne dũ vt massæ appellatione corruptũ humanũ genus intelligatur. Nã si ita esset, minime dixisset Apostol. Deũ ex illâ massa facere vasa iræ, sed quæ iã essent iræ vasa, in illa misera massa delinquere, nec Apostolo laborandũ fuisset in asserenda Dei iustitiâ in reproborũ exitio. Deus itaq; illic confertur cum figulo, cui si conceditur vasa tũ ad honestos, tum ad turpes vsus arbitrio suo cõdere, neq; luto propterea fieri putatur injuria: an non multò magis Deo sic lutũ illud, ex quo humanũ genus in vno homine cõderet, disponere licuit, vt inde alios educeret, in quib. iustã suã irã exerceret, alios quos per insignẽ suã bonitatẽ bearet? Quomodo vera illa cõdidit? certè in Adamo, ad cuius etiã creationẽ procul dubio respexit Apost. cũ figuli, & luti meminit. Et p. 164. Nec etiã ignoro, inquit, ipsum Augustinũ sępè per luti massam intelligere humanum genus, non solum vt iam conditum, sed etiam originis peccato vitiatum, vnde nas-

euntur, quorũ misereatur, & quos iuste induret. Sed si valet istud tam nota esset causa destinationis ad irã, quam destinationis ad misericordiam. Cur autem Apostolus, si ita esset exclamaret, O altitudo diuitiarũ?

Sed facile est istam Bezæ sententiam refutare, & eius obiectionibus respondere. Nam vt omittam, quod per massam genus humanum peccato corruptum, intelligunt, præter Augustinum, Ambrosius, Haymo, Primasius, Beda, Anselmus, Thomas, & alii in hunc locum, idipsum indicat Apostolus cum ait: Si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Quibus verbis significatur Deũ quidẽ odisse valdè vasa ista contumeliæ, & voluisse primo quoq; tẽpore in eorum confractione ostendere irã, & potentiam suam; tamen sustinuisse vasa illa in multâ patientiâ, quia id vtile esset vasis misericordiæ, quæ præparata erant in gloriam. At certè si Deus fecisset vasa contumeliæ propriâ suâ voluntate, non id exigente conditione materiæ, non ea odisset, neque iure confringere vellet. Nihil enim Deus odit eorum, quæ fecit, Et cur, quæso, sustinere deberet Deus in multâ patientiâ vasa illa, si ea sponte ipse fecisset, & talia esse voluisset? certe figulus si ex luto faciat vasa lutea, eaq; vtilissimis ministeriis deputet, non propterea illa odit, neq; illis irascitur, neque confracta videre cupit. Deinde quamuis S. Augu. auctoritatẽ Beza repudiet, eius tamen rationẽ, velit, nolit, admittere debet. Est n. illud insolubile argumentũ, si massa aliqua ita esset media, vt nec boni, nec mali aliquid mereretur (vt Beza existimat) nõ frustra videretur iniquitas apud Deũ, si is ex ea faceret vasa in contumeliã, at nõ est, nec esse potest iniquitas apud Deũ: igitur massa, ex quâ fiunt vasa in cõtumeliã, & ante corrupta per peccatũ, & irã Dei cõtumeliamq; meretur.

Quod vero Beza dicit non fieri vasa in contumeliã, nisi interueniẽte lapsu Adami, parum valet ad Dei iustitiam demonstrandã. Nam vt ipse ibidem in responsione ad acta coll. Momp. p. 155. & 164. dicit: Decretũ Dei de faciendis ex eâdẽ massa vasis, aliis in honorem, aliis in contumeliam, antecedit omnem præuisionem culpæ, & omnẽ omnino causam: sed quia non poterat Deus executioni huius decreti viam aperire, nisi homo peccaret ideo ordinauit lapsum Adami, vt haberet quorum misereretur, & quos iuste puniret. Itaq; interuentus ille lapsus primi hominis, non ad decretum diuinum de perdendis in æternũ reprobis, sed ad exequutionẽ decreti pertinet. Quod certe iniustitiã Dei nõ tollit, sed auget. Sicut .n. iniustum est in executione damnare hominẽ nihil merentem; ita iniustum est decernere hominem damnare, cuius nullũ extet malum meritum, ne in præuisione quidem, cum fit decretũ. Cum .n. iustitia exigat, vt pœna respondeat culpæ, sicut exequutio damnationis iniusta est, culpa nõ præcedente, ita etiam decretũ damnationis iniustum est, nisi ob culpam, saltem præuisam fiat. Dixi autem iniustitiam non solum tolli, sed etiam augeri, quia additur nouum genus iniustitiæ cum dicitur, Deum decreuisse, & ordinasse primi hominis lapsum, vt haberet, quos iuste puniret, quin etiam magis iniustum est, vt Deus velit, & ordinet, vt homo peccet, vt habeat quos puniat, quam vt simpliciter absq; culpa puniat. Maius enim malum est culpa, quã pœna, & ideo maior iniustitia est alicui nihil mali merito auctorem esse culpę, quam pœnæ. Sed respondeamus ad argumenta quibus Beza probat massam apud Apostolum nõ esse genus humanum, originis vitio iam deprauatã. Primũ argumentum. Si ita esset (inquit) non diceret Apostolus, Deum ex illa massa facere vasa iræ, sed quæ essent iræ vasa in illa misera massa relinquere. Respond. recte Apostolum dixisse, à Deo vasa fieri ex massa, nec sunt vasa, nisi in potentia. Cum autem actu nascuntur, tunc

inci-

incipiunt esse actu vasa, & quidem ex massa corruptâ formata, id est, ex genere humano originali vitio infe- fecto propagata. Secundũ argumentũ. Si de maßâ iam corruptâ loqueretur Apostolus, non laboraret in asse- rẽda Dei iustitia in reproborum exitio. Tã enim nota esset causa destinationis ad iram, quam destinationis ad misericordiam. Cur autem si ita esset, exclamaret. O altitudo diuitiarum. Respondeo, non laborare A- postolum in asserenda Dei iustitia in reproborum ex- itio, sed in eo, quod in pari causa Deus, vnius miserea- tur, alterius non misereatur. Quod Iacob diligat, E- sau odio habeat, antequam quicquam boni vel mali egerint, cum vterque naturá sit filius iræ. Quod de- nique ex eadem maßâ, corruptâ videlicet, & vitiata alia vasa efficiat, vt massa ipsa meretur, in contume- liam, alia præter omne meritum efficiat in honorem. Huius enim discretionis nulla causa aßignari potest, nisi Dei voluntas, quemadmodum etiam illius, quâ figulus ex eadem maßâ aliud vas deputat cibis, aliud sordibus excipiendis, & illud ornat auro, & pictura, hoc luteum vt est, relinquit. Atque ad hanc discre- tionem perpetuo refert S. Augustinus illam Apostoli exclamationem: O altitudo diuitiarum! ac præser- tim in epist. 105. ad Sixtum, vbi tractans illud: O al- titudo? Nec, inquit, de inscrutabilibus iudicijs eius audeant iudicare cur in vnâ eadem causâ super alium veniat misericordia eius, super alium maneat ira eius. Qui sunt isti, qui respondeant Deo? Et ibidem: Cur autem istum potius, quam illum liberet, aut non libe- ret, scrutetur qui potest iudiciorum eius, tam ma- gnum profundum, veruntamen caueat præcipitium.

Tertium argumentum. Ad primi hominis crea- tionem procul dubio respexit Apostolus, cum figuli, & luti meminit. Respondeo, id non esse necessarium, nec verisimile, cum exstet locus apertißimus in Isaia cap. 45. ad quem Apostolus Caluino etiam, & Petro

Martyre testibus, quos Beza præceptores agnoſcit, alluſit: Nūquid dicit lutum figulo ſuo, quid facis &c. vbi propheta non tractat de prima hominis formatione, ſed dicit non minus poſſe Deum de hominib. pro arbitrio diſponere, quam figulum de vaſis. Præterea ſi propriè loqui velimus, ex luto, vnde formauit Deus primum hominem, non ſunt facta multa vaſa, ſed vnū tantum, idq́; in honorem. Cæteros enim homines nō ex luto Deus fingit, ſed ex hominibus per carnalem generationem quotidiè propagat. Proinde maſſa ex qua fiunt vaſa, alia in honorem, alia in contumeliam, non eſt lutum illud, ex quo primus homo ſolus, & extraordinario quodam modo formatus eſt, ſed homines ipſi ſunt, ex quibus per generalem generationis viam alij homines procreantur.

Conſenſus Parei cum Bellarmino. Pareus verò. *Primò verum eſt, quod Deus vaſa contumeliæ nō dicatur feciſſe ex materia nobili vel indifferente, ſed damnata contumelioſa.* Secundo, *verum quoque, quod hæc fecerit, pro ſua voluntate, non conditione materiæ. Tertiò verum, quod vaſa in honorem, habent à Deo, vt ſint vaſa, & vt ſint vaſa in honorem. Quartò verum, quod vaſa in contumeliam habeant à Deo, vt ſint vaſa.*

Eiuſdem diſſenſus & à Bellarmino & à ſeipſo. Quintò falſum eſt, quod non à Deo, ſed à conditione materiæ habeant, vt ſint in contumeliam. Nam à materia habeant vt ſint contumelioſa, ſed non in contumeliam, εἰς ἀτιμίαν, non enim finis à materiâ intenditur, ſed ab efficiente. Hæc ille: ſed nunquam ſolidum in eo veritatis fundamentum. Nam iterum alia viâ tranſit ad Bezam, cum fingit à Deo efficiente intendi vaſorum contumeliam, iteratque abruptum horrendi decreti. Et ipſi ſibi repugnat. Si enim à conditione materiæ, ſiue ex ſe habent, vt ſint contumelioſa, ergo ex ſe vt ſint in contumeliam, nam eſſe contumelioſa eſt eſſe ex damnata materia, ſeu damnabilia, indè ſequitur exitium, ſi in ſe, & ex ſe habent vt

ſint

sint vasa peccatosa, vt Aduersarij verbo vtar, ego ex se vt in exitium eant. Perditio tua ex te Israel, quia scilicet peccatum tuum ex te est. Sic Augustinus li. 83. quæst. *Quisquis omnium quæ sunt auctor est, & ad cuius bonitatem id tantum pertinet, vt sit omne quod est, non esse ad eum pertinere, nullo pacto potest. Omne autem quod deficit ab eo quod est, deficit, & tendit in non esse. Esse autem, & in nullo deficere bonum est, & malum est deficere. At ille ad quem non esse non pertinet, non est causa deficiendi, id est tendendi ad non esse: quia, vt ita dicam, essendi causa est. Boni igitur tantummodo causa est, & propterea ipse summum bonum est. Quocirca mali auctor non est, qui omnium quæ sunt, auctor est, quia in quantum sunt, in tantum bona sunt.*

Bellarminus.

Restat vltimus locus ex cap. 9. Exodi, & cap. 9. ad Rom. *In hoc ipsum posui, siue excitaui, te, vt ostendam in te potẽtiam meam &c.* Videtur enim his verbis colligi Pharaonem ideò fuisse à Deo creatũ, vt peccaret, & ob peccata punitus, Dei potentiã demõstraret. Sed facile est ex ijs, quæ antea dicta sunt, hunc locũ explicare, siue .n. illud *posui, aut excitaui* te, significet creaui te, siue ad regnum promoui, siue conseruaui, iam dudum mori debuisses (omnia enim hic pariter vox Hebræa העמדתיך quæ ad verbum sonat, *stare feci te,* semper intelligendum est, præuisum peccatum, quod Deus non facit, sed ordinat in bonum. *Cur excitatus Pharao?*

Itaque sensus est, cum præuiderim fore te mihi contrarium, & obstinata mente præceptis meis repugnaturum; & cum potuerim impedire, ne nascereris, aut ne ad regnum conscenderes, vel etiam statim te de medio tollere, cum primum peccare cepisti, ideo tamen vitam, & regnum tribui tibi, idq; ad non breue tempus, vt malitia tua vterer ad exercitium populi mei, & iustitiam, ac potentiam meam in tuo supplicio demonstrarem.

S. Au-

S. Augustinus quæst. 32. in Exodum ita hunc locum exponit: *Et propter hoc ipsum conseruatus es, vt ostendam in te potentiam meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terrâ. Hæc scripturæ verba & Apostolus posuit, cum in eodem loco perdifficili versaretur. Ibi autem, & hoc ait, si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, parcendo vtique iis, quos malos futuros esse præscierat, quæ vasa dicit perfecta in perditionem. Et infra. Nouit ergo Deus vti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed eos perfert patienter, quousque scit oportere, non inaniter, sed vtendo eis ad admonitionem, vel exercitationem bonorum. Ecce enim, vt annunciaretur nomen Dei in vniuersa terra, vasis misericordiæ vtiq; prodest. At eorum vtiq; vtilitatem Pharao seruatus est, sicut & scriptura testatur, & exitus docet.*

Pareus pag. 345.

In his quædam vera, quædam falsa.

Primò verum, Pharaonem non ideo excitatum vt peccaret: neque hoc volunt Caluinus, & Martyr.

Secundò verum; Deum malitia Pharaonis vti constituisse ad exercendum populum, & iustitiam suam demonstrandam.

Tertiò falsum, quod excitaui sit idem, atque præuidi te mihi contrarium. Nam hebræum est, *stare te feci ad hoc.*

Quartò octies dicitur Induraui, quod de nudâ permissione, non potest dici. Deniq; Martyr intelligit inobedientiam & cætera vt pœnæ sunt præcedentium delictorum.

Defensio.

Caluinus quidem in c. 9. Rom. *Dominus asserit se fuisse, qui Pharaonem excitarit, in eum finem, vt dum ille contumaciter diuinæ potentiæ resistere nititur, victus & subactus documento esset, quàm inuictum sit*

Dei

Dei brachium. Deinde indurandi verbum non solum permissionem, sed diuinæ quoq; iræ actionem significat, Martyr clarè *excitare ad resistendum*, hoc est, excitare ad peccatum. Iam fessus sum recitare vetera testimonia adducam noua. Piscator, *Deum velle iniquitatem non per se, sed ob exercendam iustitiam, vt æger poculum amarum ob sanitatem.* Deinde detraxit laruam idem Piscator, & Deum Eleusinium malè clausum fidenter aperit. pag. 70. Thes. 52. *Deum peccata procurare, & omnino velle.* Et vltimis notis, notâ 19. *An igitur negari potest, illum procurare negocium, qui ad illud peragendum manum adhibet, quiq; consilio suo præfinit, vt illud peragatur?*

Piscator clarius exprimit mentem Caluini.

Ad 2. rectè respondet, si velit, Deum iam præuisâ malitiâ vti voluisse, non malitiam elegisse, decreuisse, vt illâ vteretur.

Ad 3. Non dicit Bellarminus, Excitaui, id est, præuidi te mihi contrarium, sed cum præuiderim fore, &c.

Ad 4. Non vtimur vocabulo nudæ permissionis, nam variè gubernare Deum, etiam malas voluntates docebit c. 14. Bellarminus.

Quòd verò octies dicitur, quod in coniugatione Hiphil est verbũ Indurandi, nihil mouet. Nam excæcare, indurare, inducere in tentationem est ex 1. Cor. 10. 13. intelligendum de permissione: interprete Spiritu sancto, Fidelis est Deus, qui non ἐάσει permittet nos tentari, &c.

De coniugationis regula est Capitonis: actiuas sæpè esse permissionis. Deut. 20. 16. Iud. 21. 14. Iosue 2. 13. & c. 6. 25.

Actiuæ hebræorum coniugationes sæpe permissionem significant.

Ad 5. Sæpè sunt peccata pœnæ peccatorum, cum autem sunt, referuntur ad alias pœnas, ideo fiunt à Deo, vel ordinantur, iuxta Martyrem, vt peccata. Piscator Thesin 6. 7. 9. sic probat. *Si Deus nollet, vt peccata fierent; impediret. Si impediret; non fierent.*

rent. Si non fierent, non posset patefacere iustitiam illa puniendo, nec misericordiam illa remittẽdo, atqui Deus vult hisce modis patefacere suam iustitiam & misericordiam. Hinc probat 6. thesin quæ est: *Quia Deus iustitiã & misericordiã suam patefacere vult, ideo quoque vult, vt peccata fiant.* & 7. *Quia Deus procurat patefactionem istam iustitiæ, & misericordiæ suæ. ideo quoque procurat ipsa peccata.* & 9. *Deus destinauit omnes homines ad peccata: idq; propterea vt alios ex misericordiâ seruaret, alios ex iustitia puniret, ac perderet.* Ratio & Theses considerẽtur iunctim. Nam primò, Velle probat ex contrario, *si nollet, impediret*, falsum est nolle; vult igitur, & quidem actiuè, non permissiuè. Deinde, Peccata vt peccata intelligit, tum quia vt media sunt ad pœnas, vult, Tum quia thesi 10. dicit *vult permittere*, at permissio secundum Caluinistas ad formale peccati pertinet. Deinde eadem argumentãdi forma hoc euinco. Si nollet Deus vt peccata qua peccata sunt fierent, impediret. Si impediret, non fierẽt. Si non fierẽt, non posset patefacere suam iustitiã illa puniendo, nec misericordiam illa remittendo, atqui Deus vult hisce modis patefacere suam iustitiam & misericordiam: Ergo vult peccata vt peccata, ex 6. thesi. procurat ex 7. destinat ad illa vt peccata, ex thesi 9.

Piscator docet Deũ velle peccata, vt peccata.

Verum qui pias aures horrenda illa violant, ne assueta cogitare de bonitate Dei pectora; insueta tam truculentæ blasphemiæ, illa impia tangant, veras sententias ex Patribus producamus.

Prosper obiectione 10. Quod adulteria, & corruptelæ virginum sacrarum ideo contingant, quia illas Deus ad hoc prædestinauit vt caderent.

Detestanda, & abominãda opinio, quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem: cuius prædestinatio nunquã extra bonitatẽ, nunquam extra iustitiã est: vniuersæ .n. viæ Domini misericordia, & veritas. Adulteria enim matronarũ, & cor-

Iudicium non esset si Dei voluntate homo peccaret.

& corruptelas virginum non instituere nouit sancta diuinitas, sed dānare: nec disponere, sed punire. Quæ mala homines cum admittunt suis concupiscentijs, & cupiditatibus seruiunt, quas ab illâ primâ, voluntariæ præuaricationis labe traxerunt: cum autem declinant à malo, & faciunt bonum, à Domino gressus hominis diriguntur & viam eius volet. Propter quod dicit Apostolus: *Oramus autem ad Dominum vt nihil mali faciatis:* non vt probati appareamus, sed vt vos quod bonum est faciatis. Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei, aut excitauit, aut suasit, aut impulit. Sed planè prædestinauit iudicium suum, quo vnicuique retributurus est, prout gessit, siue bonum, siue malum. Quod iudicium futurum omnino non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Erit autem manifestissimè. Et omnis homo, quem discretio diuinæ scientiæ in sinistra constituerit parte, damnabitur: quia non Dei, sed suam executus est voluntatem.

D. Aug. Sanctus Eucherius Lugdunensis Episcopus. Indurare dicit Deus quorundam malorum corda, sicuti de Pharaone Rege Ægypti scriptum est: non quod omnipotens Deus per potentiam suam corda eorum induret, quod est impium ita credere: sed exigentib. eorum culpis, cum duritiam cordis, quam ipsi sibi mala perpetrando nutriunt, non aufert, quasi ipse eos induret, quia iusto iudicio indurari sinit. *Indurare est non misereri.*

Aug. Tom. 4. ad Simplician. lib. 1. pag. 270. Non volentis, neque contemnentis sed obdurantis est Dei: Vnde datur intelligi, quod infra vtrunq; posuit, Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat; ita sententiæ superiori posse cōgruere, vel obduratio Dei, sit nolle misereri: vt non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior. sed tantū quo sit melior non irrigetur.

Aug. Sixto Presbytero contra Pelag. epistola 105.

Hanc

Non indurat Deus impertiendo malitiam.

Hanc contradictionem sibimetipsi tanquam ab altero opposuit, velut ex eorum voce, qui nolunt accipere quod superius dixerat. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Talibus itaque dicamus cum Apostolo, nō enim melius illo inuenire possumus quid dicamus; O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Quærimus namque meritum obdurationis, & inuenimus. Merito namque peccati vniuersa massa damnata est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur: at potius vt non impertiatur hoc digni sunt, hoc merentur. Et ibidem. Nempe ille quem breuiter tanquam ex eorum voce sibi obiecit Apostolus, vt dicant; Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius qui resistit? Hoc enim est dicere, Quid de nobis fit querela, quod Deum offendamus malè viuendo, cum illius voluntati nemo posit resistere, qui nos abdurauit misericordiam non præstando?

Pharaonis induratio ex patientiâ Dei.

Trem. 4. in l. 2. Quæst. super Exod. qu. 18. Assiduò Deus dicit, Indurabo cor Pharaonis: & velut causam infert cur hoc faciat: Indurabo, inquit, cor Pharaonis, & implebo signa mea, & portenta mea in Ægypto: tanquam necessaria fuerit obduratio cordis Pharaonis, vt signa Dei multiplicarentur, vel implerentur in Ægypto. Vtitur ergo Deus bene cordibus malis, ad id quod vult ostendere bonis; vel quod facturus est bonis. Et quamuis vniuscuiusque cordis in malitiâ qualitas, id est, quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio quod inoleuit ex arbitrio voluntatis: & tamen qualitate malâ vt huc vel illuc moueatur, cum siue huc, siue illuc male moueatur, causis fit quibus animus propellitur: quæ causæ vt existant, vel non existant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occultâ prouidentiâ, iustissimâ planè, & sapientissimâ, vniuersum quod creauit disponentis, & administrantis Dei. Vt ergo tale cor haberet Pharao, quod

patientia Dei non moueretur ad pietatem, sed potius ad impietatem vitij proprij fuit. Quod verò facta sunt ea; quibus cor suo vitio tam malignum resisteret iussionibus Dei (hoc enim est, quod dicitur Induratum; quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat) dispensationis fuit diuinæ, quâ tali cordi non solum iusta; sed euidenter iusta pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur. Proposito quippe lucro, verbi gratia, propter quod homicidium committatur; aliter auarus, aliter pecuniæ contemptor mouetur: ille scilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cauendum: ipsius tamen lucri propositio in alicuius illorum non fuit potestate. Ita caussæ veniunt hominibus malis, quæ non sunt quidem in eorum potestate; sed hoc de illis faciunt, quales eos inuenerint iam factos proprijs vitijs ex præterità voluntate.

Videndum sane est, vtrum etiam sic accipi possit, Ego indurabo: tanquam diceret: quam durum sit demonstrabo. Si loquetur vobis Pharao dicens; Date nobis signum aut portentum, & dices Aaron fratri tuo: Sume virgam, proijce illam palam Pharaone, & palam seruis eius; & erit draco. Hîc certè non ministerio vocis erat opus, cum videbatur velut ex necessitate datus Aaron propter gracilitatem vocis Moysi: sed virga erat proijcienda vt draco fieret. *Indurare etiam est durum demonstrare.*

Cur ergo Moyses ipse non fecit, nisi quia ista meditatio ipsius Aaron inter Moysen & Pharaonem alicuius magnæ rei figuram gerit. Et ibidem quæstione 24. Et vidit Pharao, quoniam facta est refrigeratio, & ingrauatum est cor eius; & non exaudiuit eos, sicut dixerat Dominus. Hîc apparet non illas tantum fuisse caussas obdurationis cordis Pharaonis, quod incantatores eius similia faciebant, ve- *Patientia Dei indurauit Pharaonem.*

rum etiam ipsam Dei patientiam, qua parcebant patientia Dei secundum corda hominum, quibusdam vtilis ad pœnitendum, quibusdam inutilis ad resistendum Deo, & in malo perseuerandum: non tamen per se ipsam inutilis est, sed secundum cor malum, sicut iam diximus. & libr. 6. quæst. super Iosue quæst. 18. Quia per Dominum factum est confortari cor eorum, vt obuiam irent ad bellum ad Israël, vt exterminarentur, ita vt non daretur eis misericordia, sed vt exterminarentur, sicut dicit Dominus ad Moysen. Ita dictum est hoc per Dominum factum confortari cor eorum, sicut de Pharaone; quod diuino altoque iudicio iustè fieri minimè dubitandum est, cum deserit Deus & possidet inimicus. & de prædest. Sanctorum ad Prop. l. 1. c. 6. Ecce misericordia & iudicium, misericordia in electione, quæ consecuta est iustitiam Dei; iudicium vero in cæteros qui excæcati sunt: & tamen illi quia voluerunt, crediderunt; illi quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur, & iudicium in ipsis voluntatibus facta sunt.

Indurauit deserendo.

In Psalm. 77. Quod verò attinet ad præsentem Psal. huius locum, si ea quæ mirabiliter de creaturis facta sunt, malis Angelis tribuere non audemus; habemus quod eis sine dubitatione tribuere possumus, mortes pecorum, mortes primitiuorum, & illud maximè vnde religata sunt omnia, obdurationem cordis illorum, vt populum Dei nollent dimittere. Hanc enim iniquissimam, & malignissimam obstinationem Deus cum facere dicitur non instigando & inspirando, sed deserendo facit; vt illi operentur in filijs diffidentiæ, quod Deus debitè, iusteque permittit. Nam & illud quod Esaias Propheta dicit; Domine, ecce tu iratus es, & nos peccauimus, propterea errauimus & facti sumus sicut immundi omnes; ea ratione intelligitur. Præcessit

Obdurationem Deus non instigando, sed deserendo facit.

sit enim aliquid; vnde Deus iustissimè iratus ab eis suum lumen auferret; vt in peccata, quæ nulla tergiuersatione defendi possunt non esse peccata, cæcitas humanæ mentis offenderet ab itinere iustitiæ deuiando, & errando.

Et: Sermonibus de tempore, Sermone 1. Ista enim testimonia Scripturarum ideo charitati vestræ insinuare volui, vt intelligatis, quia & obduratio non Dei potentiâ compellente perficitur, sed Dei remissione, vel indulgentiâ generatur: ac sic Pharaonem non diuina potentia, sed diuina patientia credenda est obdurasse. Denique quoties eum Dei plaga percussit, afflictus pœnituit. At vbi ei remissio diuina indulgentiam dedit, iterum se in superbiam elatus erexit. Hoc ergo definitissimè credite fratres, & hoc intelligite, quia quoties Dominus dicit. Ego indurabo cor Pharaonis: non aliud intelligi voluit, nisi ego, inquit, suspendo plagas meas, & flagella, vnde eum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto. Sed forte aliquis dicat. Quare illum Deus parcendo indurari fecerit, & quare flagella remouerit. Hoc loco securus ego respõdeo: ideo Deus toties flagella remouit, quia Pharao per ingenti cumulo peccatorum suorum non tanquam filius ad emendationem meruit corripi, sed tanquam hostis permissus est indurari. Ibidem. De hac obduratione etiam Propheta ex personâ populi ad Dominum clamat, dicens: Indurasti cor nostrum, ne timeremus te. Quod vtique non est aliud, nisi deseruisti cor nostrum, ne conuerteremur ad te. Et ibidem. Quid est autem quod dixit, ego indurabo cor eius, nisi cum abfuerit gratia mea, obduret illum nequitia sua? Et vt hoc euidentius posit agnosci, aliquam similitudinem de rebus visibilibus charitati vestrę proponimus. Sicut enim quoties nimio frigore aqua constringitur; solis calore superueniente resoluitur, & discedente eodem sole iterũ obduratur.

Pharaonẽ non diuinâ potentia, sed patientia obdurat.

Quid tandem definitissimè credi vult August.

Ita nimirum peccatorum frigore refrigescit charitas multorum, & velut glacies obdurantur, & cum eis iterum calor diuinæ misericordiæ superuenerit, resoluuntur: ille vtique calor de quo scriptum est. Non est qui se abscondit à calore eius. Quod etiam erga Pharaonem impletum esse cognoscimus, à quo quoties flagella remota sunt, contra Deum se obduratus erexit: quoties verò afflictus est, humiliter supplicauit.

CAPVT XIII.

1. *Quid Deo in malis actionibus tribuendum.*
2. *Mira scripturæ deprauatio facta à Piscatore.*
3. *Quæ ex se mala sunt, mandare Deus non potest.*
4. *Distinctio necessitatis & coactionis.*
5. *Necessitas inducens ineuitabilitatem tollit libertatem.*
6. *Qui necessitat ad peccandum est causa peccati.*
7. *Voluntas agens vt natura non peccat.*
8. *Aduersarij iniquitas.*
9. *Causa peccati per accidens.*
10. *Scriptura exposita. 2. reg. c. 24. 1. & c. 16. & 3. reg. 22. & 2. reg. c. 11. & 13. & 4. reg. c. 9. & 10.*

Soluuntur obiectiones ex aliis scripturæ locis.

Bellarminus.

VAria scripturæ loca sunt, quibus Deus homines impellere videtur ad flagitia, vel vti creaturis, vt instru-

instrumentis. Ad ea primò generatim, deinde speciatim est respondendum.

Generatim primò intelligi posset de impulsu physico, verè morali, vt verè & propriè imperando. Hic impius est modus. Secundò de permissione. Tertiò deserendo. Quartò præsidendo malis voluntatibus, regendo, gubernando, flectendo, torquendo, vt licet vitio proprio malæ sint, tamen à diuinâ prouidentiâ ad vnum potius malum, quàm ad aliud, non positiuè, sed permissiuè ordinentur. *Quid Deo in hominũ actionibus malis tribuendum?*

Id Hugo de Sancto Victore explicat. Viam illi aperiri, nec posse extra præcipitari, non impellendo, sed permittendo, non tenendo, nec auctor est illi ruendi, sed incedendi ordinator. D. Thomas etiam id fieri occasionaliter.

Pareus pag. 349.

Scripturæ & nostri Doctores vtuntur eisdem phrasibus, ergo vel nostri debent absolui, vel scripturæ damnari, nec sufficit dicere, diuersos esse sensus, hoc enim est κρινόμενον. *Vnde insignis malitia Aduersarij deprehenditur.*

Defensio.

Duo in Caluinianis rigidis reprehendit, non Bellarmini malitia, sed exceptis illis vniuersus orbis. Primum quod scripturas quæ sensum verum habent interpretatione detorqueant ad tyrannidis in Deo suspicionem. Alterum quod vtantur phrasibus non modo quæ in scriptura non sunt, sed quarum contrariæ penè scripturas replent. v. g. scripturæ sunt enunciata. *Non volens Deus iniquitatem tu es.* Caluinista. *Vult Deus iniquitatem.* Scripturæ. *Deus neminem vult perire.* Caluinista. *Destinat exitio, destinat ad peccata.* Luc. 19. deplorat Christus hominum interitum, & seriò quidem. Hinc itaque argumentatur Vorstius in collatione c. 7. *si Christus non serio expeteret omnium salutem: non deploraret,* tam serio incre- *Ita Piscator.*

 dulorum

dulorum, & impœnitentium exitium. Atqui istud ſeriò deplorat. Ergo.

Mira ſcripturæ deprauatio.

Respondet Piſcator. *Rurſum nego connexum: quia antecedens loquitur de voluntate Chriſti diuina, conſequens verò loquitur de voluntate eius humana, qua, vt ſanctus homo, aliorum hominum exitium ſeriò deplorauit.* Itane verò, Humana Chriſti voluntas ſeriò deplorat, quod diuina ab æterno conſtituit? ſi deplorat, nollet fieri. Humana ergo Chriſti voluntas melior diuina, nam illa dolet hominum exitio, quod decretum ad Dei gloriam, hæc decernit, procurat. At vide quam iſta periculosè dicantur. *Nam, quoties volui congregare filios tuos vt gallina pullos ſuos, & noluiſti,* iam mox homines diſtinguendi ſcientes, & pietatis ignari, humanâ an diuinâ id voluntate velit? quærent, ſequenturq; maiora quam enunciare animus ſit abſurda.

Pareus pag. 351.

Primus modus iuſtiſsimus eſt, ſi Deus phyſicè arcano inſtinctu hyperphyſicè, moraliter, externo mandato, malas voluntates, in mala ruentes impellat ad mala, non qua mala, ſed qua ſua iudicia.

Defenſio.

Crambe recocta. omnia falſa. Impellit ad mala quâ mala, quia ad mala, quâ merita ſuppliciorum futurorum. Talia non ſunt, niſi quâ mala. An cum Deus mandato externo voluntates inclinat ad mala, imperat mala vt mala? Reſpondet: *Iudex mandans carnifici homicidium, non fit reus homicidij, ſed cauſa eſt iuſti ſupplicij, carnifex tamen homicidij reus erit, ſi non voluntate obtemperandi ſententiæ iudicis, ſed priuato odio, aut vindictæ cupiditate ſontem interemerit.* Nihil ad rem illa hallucinatio. Iudex ſi carnifici imperat cædem, non mandat peccatum, ideo nec in magiſtratu, nec miniſtro eſt peccatum, & iudex ſine ſcelere mandare non magis poteſt carnifici vt priuato odio reum

Quæ ex ſe mala Deus non poteſt mandare.

occi-

occidat, quam ille exequi, alioqui vterque ſcelere ſe obſtringet. Sic nec *Deus* mandare poteſt, quæ propriè & naturâ ſunt mala.

Pareus pag. 354.

Secundus modus verus eſt, ſed primò non rectè explicatus, nam ocioſè permittere non eſt impellere. Secundò, exemplum Venatoris funem laxãtis, non habet ſolam permiſsionem, nam Venator intendit capere feram, canem impellit. Tertiò, exemplum hoc liberum arbitrium tollit. Quartò, arguit mendacium cum dicitur non poſſe cum diuinâ gubernatione ſtare voluntatis libertatem. Quintò, Deus ad illa incitat, illa imperat, vt motus, non vt ἀταξίαι. Deniq; creatura neceſſariò quidem peccat, ſed voluntate, neceſsitate ineuitabilitatis, non coactionis.

Defenſio.

Noui errores, & veteres cantilenæ, ſed quæ ſpeciali ſtridore ſint ἀνάρμοι. Nam ad primum. Non dicimus ocioſè *Deum* permittere, aut ſpectare. Nam cum ſine eius permiſsione nihil efficere poſsit creatura, illa non ocioſa eſt, ſed neceſſaria conditio operum, nec decretum permittendi ocioſum eſt, adeo vt Piſcator nouo errore ſæpius inculcet in collatione, permiſsionem agẽdi neceſsitatẽ creaturis imponere. Sic Aug. permiſsionem, ſed non ocioſam ſæpius inculcat. Enchirid. ad Laur. c. 96. de diuinatione dœmonũ c. 1.

Ad ſecundum. In exemplo Venatoris allato, eſt impedimenti remotio, inſequendi permiſsio, non omnia ſimilia. Quanquam & *Deus* ſcelera iuxta Caluiniſtas intendat, cum ad ea deſtinet.

Ad tertiũ. Non tollit liberũ arbitrium *Deus*, quanquam multa non concedat, q; ipſum malè deſiderat.

Ad quartum. Quicunq; cum diuina gubernatione ſtare voluntatis libertatem negat, mendax eſt: qui id Cardinali affingit, calumniator. Oſtendat non dico in Bellarmino, ſed in vllo noſtro ſcriptore.

Ad quintum & sextum nihil opus est solutione nouâ, cum veteres nugas solum iteret Aduersarius. Expositionem doctrinæ sanæ adiungam, quam à Catholicis acceptam etiam sectarij contra suos vsurpant, nec eam extra rigidos Caluinianos quisquam inficiatur, Consulantur controuersiæ Batauicæ.

De distinctione necessitatis & coactionis.

Distinctio est necessitatis, & coactionis; ista hoc modo rigidi Caluinistæ vtuntur. Si Dei decretum, quo ordinauit vt homo laberetur, hominem ad peccandum cogeret; tum sanè Deus per illud decretum peccati auctor esset, & homo immunis à culpa: at decretum illud non cogit hominem, necessitatem tantum imponit, ita vt non possit non peccare, quæ necessitas illi libertatem non adimit: ergo homo cum liberè peccet, sui lapsus causa est, Deo extra culpam existente. Consideremus distinctionem, & vsum illius.

Necessitas, & coactio differunt tam, quam genus, & species. Nam necessitas etiam coactionem sub se comprehendit. Estque necessitas duplex, alia ab interna, alia ab externa causa: & alia naturalis, alia violenta. Necessitas ab externa causa, & violenta coactio dicitur, siue illa contra naturam, siue aduersus voluntatem fiat; vt quum lapis in altum proiicitur: & fortior imbecillioris manu abutitur ad alterum verberandum. Illa altera necessitatis nomine generali, sed ad specialem intelligentiam contracto appellatur. Est ergo inter hasce duas species aliqua conuenientia, quatenus idem participant genus: & aliqua discrepantia, qua singulæ propriam formam habent. An verò eousque differunt, vt coactio sola libertati sit contraria, non illa altera necessitas; & qui cogat ad peccatum sit peccati causa, non ille qui necessitat citra coactionem, iam videndum est. Hoc enim illi dicunt, qui distinctione ista vtuntur: de libertate primum. Illa opponitur directæ

rectæ necessitati in genere consideratæ tam naturali, quàm coactiuæ, vtraque enim inducit actus ineuitabilitatem, quæ ineuitabilitas libertatem tollit. Libere enim agit causa, quæ actum suspendere potest. Dicunt nonnulli libertatem cum naturali necessitate optime consistere exemplo Dei, qui & naturâ, & libere bonus est. Bona verba. An Deus libere bonus est? hoc à blasphemia nõ multũ abest. Deo bonitas sua est naturalis & intima, sine qua nec Deus esse potest. Non ergo libere inexistit. Iã de peccato. Peccati causa est, qui necessitat ad peccandum, qualicunq; necessitationis actu, siue externo siue interno: siue internâ suasione, motione, ductu, cui necessario obedit voluntas; siue externâ violentiâ adhibita, cui resistere non valet voluntas, licet velit; quãquam tunc non sit futurus actus ille voluntarius. Imo grauius ille peccat qui isto actu vtitur, quam hoc; nam ille hoc facit vt voluntas creaturæ consentiat in peccatum, iste minime: licet ille consensus non sit voluntatis, qua se habet secundum modum voluntatis liberæ, sed qua se habet vt natura; quo solo modo Deus voluntatem ita mouere potest, vt necessario moueatur, hoc est, non possit non moueri. Atq; isto pacto voluntas vt natura consentiens in peccatum, immunis est à culpâ. Peccatum enim, quâ peccatum est à voluntate liberâ, & secundum modum libertatis suæ in obiectum tendente. Lex enim non naturæ, sed voluntati, non voluntati, qua se habet secundum modum naturæ, sed secundum modum libere voluntatis est lata. Vana itaq; hæc est distinctio, & inefficax ad liberandam illam primam sententiam obiecto crimine. Si quis pertinacius tueri velit, vnum eundemq; actum libere & necessario patrari posse diuersis respectibus, nempe respectu causæ primæ ordinantis, necessario. At respectu causæ secundæ libere, & contingenter. Ille sciat contingentiam, & necessitatem non respectibus, sed integris essentiis dissentire, totamq; entis amplitudinem diuidere; & propterea coincidere non potest.

Omnis necessitas, inducens ineuitabilitatem, tollit libertatem.

Qui necessitat ad peccandum est causa peccati.

Voluntas agens vt natura non peccat.

Necessarium est, quod non potest non fieri, contingenter fit, quod potest non fieri. Ecce contradicentia, quæ nullo modo eidem actui tribui possunt. Voluntas libere tendit in obiectum suum, quando à potentia superiori non est determinata in vnam partem. At determinatione illa facta per decretum aliquod Dei non amplius dici potest libere in suum obiectū tendere: non enim iam principiū est sui actus dominiū & potestatem habens. Hæc tā Bellarminiana sunt, vt ex ipso pene descripta videantur.

Pareus pag. 358.

Tertius modus non differt à Secundo.

Defensio.

Differt verò. Secundus permittit Assyrio, vt regnis grauis incumbat, superbè & crudeliter imperet, Tertius auxilio suo destituit cæteros. sæuire permittitur Pharao, deseruntur Israelitę, ne resistant. Permittitur Dauidi vt alienum thorum violet, deseritur à gratiâ, & libidini succumbit.

Pareus pag. 358.

Si quartus modus toleratur, primo, ergo Deus non agit vt causa indifferens, quia specialiter mouet. Secundò, libertatem tollit, quia ad vnum potius, quàm ad aliud determinat, seipsum igitur mendacii arguit, nam si Deus ordinat ad vnum malum potius quam ad aliud, ergo determinate vult malum illud. Defensio.

Hæc omnia sunt non intelligentis Bellarminum, Hugonem, D. Thomam. Nam hæc non fiunt positiuè, sed permissiue. Exemplo res clara fiet. Laborat Pharao κατασοφίζεσθαι, callidisque consiliis opprimere filios Israel, permittit consultationem Deus, nec modò permittit, sed regit ne extra fines ferantur voluntates, poterat eos pellere, poterat vēdere, poterat trucidare, elegit laboribus eos subigere, non positiue ad hoc determinatus à Deo, sed hoc permissus velle, non alia occasione ad hoc data, non ad alia, impedimentis quæ aliis, non huic rei obstarent oblatis. Immittendo

Bellarminus nullo modo sibi contradicit.

bo-

bonas cogitationes boni communis, vnde malitia, tyrannidis ansam arripuit, imò potuit quispiam æqui seruantior, & Dei timens, regem improbe insurgentem à facinore deterrere, ne tantam imperii partem opprimeret, rebus communibus consultum, si quam plurimi terram colerent, honorificum regi pluribus imperare. Vnde ille tamen in cogitationem exstruendarum vrbium, gloriam suam amplificandi venerit. Nec alio modo Hugo, D. Thomas verba illa actiua accipiunt, nec Bellarminus. Mira profectò peruersitas Parei. Nostri auctores Deum regere, operari, torquere malas voluntates docent, permissiue, per accidens, occasionaliter, non efficienter, non volendo, decernendoue peccatum: Aduersarius contrariam sententiam per vim & fraudem illis impingit Caluinus Deum decernere, velle, operari, non modo permittere centies clamat, aduersarius eum tamen permissione sæpe excusat. At contradictio est, Permissiue regere, flectere, operari, torquere. Resp. Verba Bellarmini legantur, euanescet cõtradictionis opinio. Præsidet, regit, torquet, &c. vt permissiue ad vnũ potius malum quam aliud ordinentur? Toto cœlo hæc distingnunt Catholici, regimen, operationem, Dei in malis volũtatibus, hoc enim multiplex est, positiuumque & malum, quod voluntates sic gubernatæ perpetrant, non volente, sed permittente Deo, vt exemplo Pharaonis docui, & à Beza discere potest. Aduersarius: Alternãte libidinibus animo, ille Audebertum inter & Candidã fluctuat, quo vergat, hæret, hoc scelus Deus ordinat: operando in voluntate tam nefariâ optimam cogitationem: hominis in reprobũ sensum dati esse, naturæ tantam inferre contumeliã, Sodomæos ignes menti contumaci obiicit, eamq; terrore illo torquet, ac frenat, ne magnũ hoc malũ cõmittat, itaq; instar amnis, dum vna parte obstaculum reperit, nouam viam molitur, libido illa aliorsum, Deo permittente, flectitur, *Parei iniquitas.*

quo

quo potenter agente à priore flagitio retorquebatur, Nulla ergo contradictio in verbis nostrorum, sed insani capitis Pareani illam exhibent somnia.

Pareus pag. 362.

Nec occasionaliter vult malum, nam vellet per accidens, & scripturæ, quæ operationem suorum iudiciorum in malis actionibus Deo *ascribunt, veræ solum essent per accidens, quod est absurdum.*

2. Sic Deus esset mundi iudex non per se, sed per accidens.

3. Deus non immittit bonam cogitationem, vnde occasionaliter faciant hoc vel illud malum. Nam Achabi, Semei, Israelitarum erant malæ cogitationes.

4. Quia alteri obijcit occasionem peccandi, à peccati culpâ, omnino immunis non est. Qui obiicit feræ escam, quâ capiatur, occasionaliter eam capit, & capturæ eius causa est, ergo sic Deus à culpà peccati non absoluitur. Deniq; modus est occultus, non ergo hic sufficit.

Defensio.

Ad 1. Deus nullo modo mala vult, per accidens, & occasionaliter ab eo interdum originem habent. Forma Candidæ donum erat Dei, causa per accidens τοῦ παραδειγματίζεσθαι Bezam. Scripturæ Deo non ascribunt actiones malas, ideo non sunt, vt Parei scripta, mendaces.

Per accidens causa peccati, per se est eiusdem vltor.

Ad 2. Deus à quo malæ voluntates occasionem accipiunt per accidens, iudex est vltor earum per se. Legem dedit sanctam & bonam, ea tamen per accidens factum, vt esset supra modum peccans peccatum.

Cogitationes bonæ origo sæpe malorum.

Ad 3. Cogitationes quas enumerat Achabi & reliquorum malæ erant, nec à Deo, non tamen inde sequitur, à Deo non esse cogitationes bonas, ex quibus per accidens oriantur mala. Bona erat cogitatio Iephthe, *Vota seruari debere*, eam tamen sequebatur immolatio filiæ mala. Bona cogitatio Saræ de liberis, vt

Cal-

Caluinus iudicat, malus tamen, eodem iudice, ancillæ pellicatus ex illa cogitatione procuratus.

Ad 4. Vtinam hoc in argumento constantia tua probari posset! Si enim occasio peccati à Deo data, eum eodem inquinat, quid decretum, destinatio, suasio, imperium, impulsus, coactio? Hæc quidem inexcusabilem, si ab eo fierent, Deum constituerent: non tamen idem potest omnis occasio. Tota enim creaturarum vniuersitas occasio est improbis in ruinam, tot occasiones peccatorum, quot abusus munerum diuinorum, ipsa Dei bonitas quot malis est occasio induratiónis? Neque bonitatis immensæ est dare illa vt peccetur, sed vt cum actione gratiarum vtamur, nec insidiose tot beneficia de cœlo pluit, vt laqueos iniiciat, sed vt seruet; culpa penes illos est, benignitatis illius dona sibi in decipulas, laqueosque vertunt.

Ad 5. Quasi verò non & ille modus sit multipliciter occultus.

Bellarminus.

Speciatim ad omnia loca responderi potest.

Locus 2 Reg. c. 24. 1. *Addidit furor Domini irasci contra Israel, commouitq; Dauid in eis dicentem, Vade numera Israel.* Explicatur 1. Paralip. c. 21. *Consurrexit autem contra Israel & incitauit Dauid vt numeraret Israel.* itaque diabolus proprie incitauit, sed tribuitur Deo, quia permisit. *Locus 2. Reg c 24. 1. expositus.*

Pareus pag. 364.

Deus permisit vt erat pœna populi fatente aduersario, sed pœnas non tantum permittit, sed vt iudex infligit.

Defensio.

Diuersa sunt peccatum Dauid, & pœna populi, lues scilicet immissa. Hanc Deus inflixit Dauidi, populum eripiens, & populi peccata puniens, quæ peccata hoc merebantur, vt Dauid sineretur labi. Non est hæc modo Bellarmini, sed Ludouici Lauateri Tigurini

Cal-

Caluinistæ mens, cuius commentarius in libros Paralipomenon Heidelbergæ impressus est, verba eius: *Quoad primam partem de peccato Dauidis, ostenditur Satanam eum incitasse, vt numeraret Israelem 2. Sam. 24. c. furori Dei hoc tribuitur: sed nulla est pugna. Satan enim non agit nisi quantum Deus vult: non potest nos cogere ad peccata, nisi voluntas nostra ei assentiatur. Eadem actio aliquando Deo, aliquando Satanæ tribuitur, sed diuersa ratione, vt persecutio Ecclesiæ. Satan contra Ecclesiam incitat tyrannos, vt eam opprimat: Deus hoc permittit, vt eam exerceat, & splendidiorem efficiat. Cum vero dicimus, Deus permittit hoc vel illud Diabolis, vel tyrannis, non intelligendum est eum illis ita laxare habenas, vt possint facere omnia, quæcunque, & quemadmodum vellent: frenat enim & moderatur eorum impetum. Deus potest dici instigasse Dauidem ad hoc: non quod cogat inuitos, sed quia ei non ita obstitit, vt eum ab illa cupiditate abstraheret. Proprie enim loquendo Deus non est auctor peccati.*

Bellarminus.

Locus 2. Reg. cap. 16. Alter locus 2. Reg. c. 16. Dominus præcepit Semei, vt malediceret Dauid. Præcepit, hoc est, permisit hoc, non alia.

Pareus pag. 364.

Quasi Bellarminus in Dei consilio sedisset, ita hæc exponit. Deinde si viam aperuit cum claudere potuerit, culpâ non vacat. Tertio, Augustinus dicit inclinasse, positiue fecit.

Defensio.

Beza Dei consiliarius iudicio Lutheranorum. Ad primum, Scomma est à Iacobo Andreæ mutuo sumptum, falso in Bellarminum verò iactatum. Verba Iacobi in colloq. Mompelg. pag. 537. *Primum omnium de decreto illo Dei arcano, occulto, & immutabili, quod Dominus cogitauerit, &c. ita locutus es (ô Beza) vt visus fueris mihi, in arcano illo consilio Dei assedisse, & non modo omnia coram audiuisse, quæ Sancta*

Trinitas, Pater cum filio, & Spiritu Sancto, de creatione hominis deliberauerit, sed etiam quasi tu quoque consiliarius illorum, fueris.

Ad secundum, Per tuam te fidem Paree obtestor, si is qui viam aperit alteri ad peccatum, cum claudere potuerit, etiam culpâ non vacat. Quomodo destinator, impulsor, coactor culpâ vacat? Dare potestatem peccandi Deus creaturæ sine vllo scelere potest, quâ in re omnes etiam sectarii consentiunt.

Ad tertium, Augustinus dicit inclinasse occulto modo, non positiuo, inclinatio illa Augustino est permissio. De gratia & libero arbitrio c. 20. alias multa ex eo citata probant.

Bellarminus.

Locus 3. Reg. 22. *Decipies & præualebis, vade & fac ita.* de permissione intelligendum est. Non imperio egebat nequam ille spiritus, promptissimus ad nocendum. Sic Augustinus de gratiâ & libero arbitrio c. 23. nec verum est iudicem vt Iudex est, non permittere, cum impedire possit, & tamen in pœnam alterius sinit, vt alius noceat. *3. Reg. 22.*

Pareus pag. 365.

1. *Caluinus ibi de Achabi deceptione nihil.*

2. *Augustinus permissionem mali statuit, quâ malum, alias agere, inclinare dicit.*

Defensio.

Ad primum: Verba Caluini l. 1. inst. c. 18. §. 1. Vult Deus perfidum regem Achabum decipi: operam suam offert diabolus ad eam rem: mittitur cum certo mandato, vt sit Spiritus mendax in ore omnium prophetarum. Si Dei iudicium est excæcatio, & amentia Achab, nudæ permissionis figmentum euanescit, quia ridiculum, &c. Ibi igitur Caluinus de Achabi deceptione aliquid. Ad secundum. Sane Caluinus mendaciũ qua mendacium à Deo imperatum arbitratur, mittitur cum certo mãdato vt sit mendax, ridiculum nolle *Ex Pareo Deus mendax.*

eum

eum mendacii fœditatem, qui sic mittit. An si principum quispiam legatum cum certo mandato mittat; vt sit mendax, non vult ipsum formale mendacii? Addo hac expositione vniuersam fidem nostram subrui, si enim potuit angelum malum mittere cum certo mandato, vt sit mendax, cur non & Apostolos, & alios Prophetas? cur non & ipse mentiri? De Augustini sententiâ ante dictum, & c. 17. dicturum se promittit.

Bellarminus:

3. Reg. ca. 11. & 13. & 4. Reg. c. 9. & 10.

Lib. 3. Reg. c. 11. & 13. l. 4. c 9. & 10. Rebellio Hieroboam, & Iehu dicitur à Deo. Sed dicendum in hac re nec Regum, nec populi fuisse peccatum, ita Aug. li. 17. c. 21. & 22. & scriptura satis indicat.

Pareus pag. 367.

1. Populus seditiosè defecit, itaq; excusari non potest à scelere.

2. Ieroboam oraculum de regno habuit, sed non de modo regni accipiendi, peccauit igitur non exspectatâ Dei sententiâ.

Defensio:

An Ieroboam peccarit in regni aditione?

Populum à seditionis scelere excusari posse puto, Bellarminus non negat vllum peccatum intercessisse; sed accipiendo regno negat peccasse Ieroboamum, vel tradendo populum. Nam aduersarius acceptionem iustam concedit, modum culpat, si legitime Ieroboam suscepit regnum, ergo & populus elegit, nam si improba fuit populi seditio, non potuit rite eligi, nec enim quod seditiose fit, ratum est. Deinde Roboam tyrannidem profitetur, populus deprecatur, exspectat, deniq; Videns quod noluisset eos audire rex, respondit ei dicens, &c. Deinde Ieroboam elegerunt, ita vt moderatissime egisse videantur, nec ignari oraculi, quod Ieroboam acceperat, cum ideo eum Salomon occidere tentarit, fugeritque is in Ægyptum, iam quasi diuinitus rex statuendus accersitur.

Deinde vnde constat Ieroboamo, & populo non esse

esse iam recens oraculum constitutum? Quid si Ahias Silonites esse tempus regni capessendi monuit? Quid si dominum consuluit?

CAPVT XIV.

1. *Deus non efficit duritiem.*
2. *Nec ad eam, vt vult Pareus, cogitur.*
3. *Excæcatio fit luce deserente.*

Soluuntur obiectiones ex aliis Scripturæ testimoniis.

Bellarminus:

QVartum caput continet ea loca, in quibus Deus dicitur excæcare, vel indurare corda hominum, vt non velint nec posint bene agere. Exod. 7. 8. & 9. *Indurauit Dominus cor Pharaonis.* Deuteron 2. *Indurauerat Dominus* Spiritum Sehon. Iosuæ 11. *Domini sententia fuerat, vt indurarentur.* 1. Regum. 2. *Non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* 3. Reg. 12. *Non acquieuit Rex populo, quoniam auersatus eum fuerat Dominus.* Iob. 12. *qui commutat labium veracium, & doctrinam senum aufert, qui immutat cor principum, & decipit eos, vt frustra incedant, per inuium. Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.* Esaiæ 19. *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis,* & capit. 63. *Quare errare nos fuisti de viis tuis? indurasti cor nostrum, ne timeremus te.* Hierem. 20. *Seduxisti me Domine, & seductus sum.* Iohan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum & indurauit cor eorum, &c.* Rom. 1. *tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt.* Et Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

Verum Deus est causa excæcationis, indurationis negatiue seu permittendo: ita Augustinus & Patres, faterurque Martyr.

Pareus pag. 371.

1. *Quod Deus neminem induret positiuè, hoc est, ex molli durum efficiat verum est. quod in excæcatione nihil operetur sed sit ociosus cessator, spectator permissor, est falsum.*

2. *Indurare negatiuè est ἀσύστατον, est enim non indurare.*

3. *Indurare deserendo permittendo est communis sententia Patrum, præsertim Græcorum, quibus cum Pelagianis minus fuit negocii.*

4. *Subtractio gratiæ pœna est, sed proprie de illis dicitur, qui sunt in Ecclesiâ, indurantur autem qui & extra ecclesiam sunt.*

Defensio.

Ipsam duritiem Deus non efficit. Statum quæstionis immutat, nam an ipsam duritiem efficiat positiue, controuertitur, si tu nobiscum negas, bene facis, non tamen recte defendis horridam illam sententiam aliorum. Deum ociosum cessatorem nemo nostrum affirmat, varia enim circa indurationem operatur, non ipsam efficit, nec intendit. Pharaoni mittit Mosen, signa edit, fert resistentem, magorum præstigias permittit, consiliariorum improbas suggestiones non retundit, ordinat malitiam illam ad suorum salutem, suam gloriam. Sed ordinat præuisam, non facit ordinandam.

Indurare negatiuè. Ad secundum. Non est ἀσύστατον indurare negatiue, non enim est non indurare, sed est indurare non agenda, indurare sinendo, deserendo. Est vt Aduersarius loquitur esse causam indurationis permissiuè, desertiuè, priuatiuè, ita ipse loquitur pa. 372. Ita in negatiuâ indurationis effectione non negatur, Induratio, sed positiua actio, quâ à Deo proficiscatur.

Ad tertium, Græcorum Patrum auctoritas eleuanda non

da non est, quod Pelagianorum argutiis minus fuerint agitati, cum primum in Palestinâ Conciliũ contra Pelagium fuerit institutum, at illis partibus Græcę erant Ecclesiæ: Deinde an indurare permittendo ad Pelagianorum pertinet errores? an Lutherani, Mennonistæ omnes Pelagiani? Certè non nimium vos à Pelagianis abhorretis. Ita Ioannes Arnoldus Coruinus Pastor Lugduno Batauæ Ecclesiæ.

Ad quartum. Indurátur qui extra Ecclesiam sunt, gratię etiam illis subtrahitur, non illa, quâ grati Deo essent, quam nunquam habuerũt, sed auxilii actualis, quo multi à multis flagitiis seruantur, quibus alii inuoluuntur. Gratia supernaturali destituitur Nero, & Seneca, ingentia ille & multa, hic pauciora peccat, quod Seneca festucis, totidem trabibus Nero premitur, destituitur itaq; multiplici auxilio gratiæ ille, quo hic, si non seruatur in salutem, à grauiore tamen damnatione præseruatur. *Gratia subtrahi dicitur etiam iis, qui extra ecclesiam sunt.*

Bellarminus.

1. Non quæuis desertio est induratio, sed ad eam pertinet vt sit peccatum, peccati causa, & effectus, nec sit simplex affectus, sed quo admonitiones Dei contemnuntur, magisque ac magis resistatur. 2. Non cedere non est obdurari, sed requiritur vt moraliter cedere non pòssit. 3. Illa impotentia est ex hypothesi. 4. Significatur desertio illa per verba actiua in scripturis.

Pareus pag. 375.

Si desertio est pœna, igitur est positiua.

Defensio.

Negatur sequela, alia quæ addit calumniæ sunt, aut falsa. Horribile verò illud: *Non magis in hominum potestate esse contumaciam repellere, quam latronis non agi in crucem.* Etsi enim sine culpâ non agitur in crucem ille, ipsa tamen crucifixio culpa non *Pareio opinione homo cogitur ad duritiem.*

 est.

est. Deinde in crucem cogitur latro, an & in duritiem Pharao?

Pareus pag. 38.

Ἀσύστατον est verba actiua significare permissionem, sunt enim secundæ & tertiæ coniugationis.

Defensio.

At iam supra dictum est ex Capitone illas coniugationes sæpè significare permissiones. Et sane induratio quâ peccatum est, à Deo non fit actiuè, itaque tum permissionem significat. Sic Deut. 20. 16. לא תחיה ita Vatablus: *Hebraismus est: non sinet aliquem viuere.* Versio Iun. & Trem. *Ne sinito viuere*, supra alia attuli loca.

Congrue non mouit Pharaonem, quia iusta causa noluit, nam tamen mouit ad malum.

Bellarminus.

Illud Ieremiæ 20. 7. Seduxisti me, intelligendum
Iere. 20. 7. quod ambiguitate, non falsitate contigerit, ex Hieronymo.

Pareus pag. 383.

Sed manifestum est, Ieremiam ex infirmitate humanâ Deum seductionis insimulare: cuiusmodi querelæ aduersus Deum iniquæ passim in Ieremia leguntur.

Defensio.

Quænam ista temeritas Prophetam sine ratione accusandi? Verba Ieremię sensum bonum habere possunt, & apud pios interpretes habent. De necessitate functionis suæ agit, nam initio iussus prophetãdi munus obire, facile consensit, nescius tam grandia superesse certamina, itaq; seductus est, non à fallente, nec ad peccatum inducente Deo, sed futuras aduersitates non indicante.

Concludam hoc caput ex Augustino 15. c. 9. l. 20. de ciuitate. *Nec dubitauit addere, & dicere: Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Deus enim mittet. quia Deus diabolum ista facere permit-*

mittet, iusto ipse iudicio: quamuis faciat ipse iniquo malignoq; consilio. Sed consenserunt iniquitati.

Et de natura & gratiâ c. 22. materiam peccati dicit esse vindictam, si ad hoc peccator infirmatus est, vt plura peccaret. Nec cogitat præuaricatorem legis quã digne lux deserat veritatis, qua desertus vtiq; fit cœcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, vt ideo tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam saluatoris. An nulla pœna est eorum, de quibus dicit Apostolus. Quia cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, vtiq; ista obscuratio vindicta & pœna iam fuit: & tamen per hanc pœnam, id est, per cordis cœcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ, & in plura, & grauia peccata collapsi sunt. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Grauis hæc pœna est, si quis intelligat, & ex hac pœna vide, quo ierunt, & immutauerunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrũ, & quadrupedum, & serpentium, ista fecerunt ex peccati pœna, quâ obscuratum est insipiens cor eorum.

Excæcatio fit deserente luce.

Et c. 23. Fortasse respondeat Deum ad ista non cogere, sed dignos deseri tantum deserere, si hoc dicit, verissime dicit, deserti quippe, vt dixi, luce iustitiæ, & per hoc contenebrati quid pariant aliud, quam hæc omnia, quæ commemoraui opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dictio obaudiant. Surge quid dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus? Mortuos veritas dicit, vnde est & illud, sine mortuos sepelire mortuos suos.

Digni deseri deseruntur.

CAPVT XV.

1. *Deus non facit peccatum.*
2. *Nuda aduersarii calumnia. Locus Luc. 2. & Rom. 9.*

Explicantur alia scripturæ testimonia.

Bellarminus.

Deus non facit peccatum.

QVintum, & postremum caput ea loca complectitur, in quibus dicitur Deus reipsa operari, & efficere ea, quæ mala sunt, 2. Reg. 12. *Hæc dicit Dominus, ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxore tuâ in oculis solis huius. Tu enim fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis huius.* Vrget hunc locum Caluinus l. 1. Inst. ca. 18. §. 1. *Absalon, incesto coitu patris thorum polluens detestabile scelus perpetrat: Deus tamen hoc opus suum esse pronunciat. Verba enim sunt, tu fecisti occulte, ego vero palam faciam & coram sole hoc.* Similia sunt illa: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.* Luc. 2. Et apertius: *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali.* Rom. 9.

Sed ad hæc facile est ex dictis respondere.

Primo loco, de incestu Absolonis dicitur Deus malum illud fecisse, non quâ erat culpa Absolonis, sed qua pœna Dauidis erat. Quamuis enim malum esset, Absolonem peccare, quod non volebat, sed prohibebat Deus: bonum tamen, & iustum erat puniri Dauidem, quod voluit, & fecit Deus.

Pareus pag. 388.

Macte Bellarmine: Tandē te vi veritatis victum sentis, & confiteris idem factum diuerso respectu posse crimen,

crimen, & pœnam esse? Quid igitur hactenus tot calumniis lacerasti, tot blasphemiis innoluisti Caluinum, qui NIHIL, NIHIL, NIHIL aliud vult, dicit, contendit, quam hoc ipsum, Deum facere mala non quâ culpæ sunt hominum, sed qua pœnæ sunt impiorum, vel castigationes aut beneficia piorum, hoc est, facere mala non qua mala sunt, sed qua sunt occulta, sed iusta sua iudicia.

Defensio.

Per, si quæ superest in his polemicis, sinceritatem, te rogo Lector, vt cum legeris verba, quæ ex Bellarmino citat calumniarum artifex, connexa etiam digneris legere. Sic enim habet: *voluit & facit Deus: Fecit autem non incitando Absolonem ad malum neq; illud eisuadendo, vel imperando, sed permittendo, cum facile impedire posset, vel etiam voluntatem eius ad multa scelera auertendo, & cohibendo ab aliis, atq; ad hoc vnum illi viam aperiendo, id est, sinendo ruere in hoc, non sinendo ruere in alia.* contra hæc Pareus pag. 389. *Fateris, ait, Deum non solum permisisse, sed fecisse incestum illum qua fuit pœna. at mentiri se agnoscit,* *cum pag.* 390. Bellarminum dicere permittendo fecisse Deum. *Nuda Parei calumnia.*

Pareus pag. 391.

Verba Dei repugnant. Tu fecisti, ego faciam aperte, idem verbum עָשָׂה *facere Absoloni, & sibi tribuit Deus, at inepta glossa: Tu fecisti, id est, permisisti, faciam, id est, permittam.*

Defensio.

O furor inconsiderate quos rapis à vero abeuntem! *Tu fecisti* dicitur non Absoloni, sed 2. Reg. 12. 11. Dauidi. Tam cõspecto mendacio opus erat, vt dicere posset: macte Bellarmine. *Tu fecisti* occulte adulteriũ, cædem Vriæ, ego palam faciam, nõ illa crimina patrãdo, sed euulgando. *Quod secretò peccasti,* inquit Peli-

canus apostata, eruditissimus simul ac piissimus à vobis nominatus, *oculos meos non reueritus, quem nosti omnia intueri, in publicum protraham, & non patiar ab aliquo ignorari.* Et tamen etsi Deus illa Absolonis faceret, permittendo faceret, Absolon efficiendo. Nec mirum, Dauid occidit Vriam permittendo, & Hammonitæ iaculando, licet plus permissione egerit Dauid, in ipsa tamen physica cædis actione, Dauidis erat permissio.

Deus Absolonis stuprum permisit.

Secundò Deus, vt Piscator supra locutus est, procurat peccata, sic Architophel procurat peccata Absolonis, facit Absolō peccata, facit est Deus, sed facit Absalon peccata quâ peccata perpetrādo, facit Deus peccata, quâ peccata sinendo, definit quâ peccata permittendo. Deus vult peccatum, vult idem & homo, quomodo Pareus id nuper explicuit cap. 2. Deus vult permittere, homo vult facere. Cur non eodem modo & hic loquatur Bellarminus?

Luc. 2. Ro. 9. Locus Luc. 2. & Rom. 9. *De Christo posito in ruinam, &c.* de lapide offensionis fatetur huc non facere. Nam per accidens esse lapidem scandali. Vera hæc interpretatio.

Bellarminus.

Locus Eph. 1. 11. Qui operatur omnia, &c. à Beza ad omnia prorsus refertur, contra Castal. de æternâ Dei prædestinatione, in refut. calumniæ 2. ait, *omnia bona, & mala decernente Deo fieri:* non citat annotationes Bellarminus, sed scriptum contra Castalionem, vbi ex hoc loco docet, *consilio Dei Adamum esse lapsum.*

CAPVT XVI.

1. *Quomodo se habeat Dei voluntas erga peccata.*
2. *Prouidentia Dei erga peccata.*

3. Vo-

3. *Voluntas beneplaciti & signi.*
4. *Permittere non est velle, sed non nolle, & non impedire.*
5. *Quomodo bonum sit esse mala?*
6. *Homo sæpe vult male, quod Deus bene.*
7. *Quomodo Deus nolit mala?*

Explicantur loca aliquot S. Augustini, quæ in speciem fauere videntur Aduersariis.

LOca decem ex Augustino quæ Bellarminus attulerat, explicarat, glossis suis Pareus contaminat, & obscurat.

Pareus pag. 396.

Locus 1. ex l. 9. c. 8. confess. Vbi Augustinus exponens, quomodo mater sua Monica in pueritiâ per conuitium ancillæ curata fuerit à vinolentiâ, cui dedita esse cœperat. *Quid*, inquit, *egisti Deus meus? vnde curasti? vnde sanasti? nonne protulisti durum & acutum ex altera anima, conuitium tanquam medicinale ferrum ex occultis prouisionibus tuis, & vno ictu putredinem illam præscidisti? Bellarminus negat à Deo incitatam, sed permissam, verum Augustinus ait egisti, protulisti. Deinde nisi Deus egisset salutarem operis effectum impropriè Deo tribueret.*

Defensio.

Augustinus permissionis facta, sæpè verbis actiuis exponit: exempla supra allata. Deinde *salutaris effectus Deo tribuitur*, nam famulæ mens erat conuitiari, Deus verò eo conuitio vsus est in salutem, quod illa velut ferrum hostile torserat, hoc Deus in letalem vomicam vt sanaretur direxit. Deo tribuit Augusti-

nus aliud, aliud famulæ. *Nec tu quod per eos agis, sed quod ipsi voluerunt retribuis eis. illa enim* &c.

Bellarminus.

Locus secundus. Ex Enchirid. cap. 100. *Propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, vt miro, & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quia non fieret, si non sineret: neq; vtiq; nolens sinit, sed volens nec sineret bonus fieri mala, nisi omnipotens etiam de malo posset facere benè.* Duo quædam ex hoc loco Aduersarij colligunt. Primo, mala, seu peccata non fieri præter Dei voluntatem, proinde velle Deum, vt fiant: recteque ab ipsis dictum esse decreto, & voluntate Dei, Adamum lapsum esse. Secundò, Deum permittere mala non inuitum, nec ociosè spectantem, sed volētem, ac per hoc inanem esse Catholicorum distinctionem, qui dicunt mala fieri non Deo volente, sed Deo permittēte, quasi permissio non includat voluntatem. Sed nō erit difficile respondere, si prius breuiter explicemus, quemadmodum se habeat voluntas Dei erga peccata.

Quomodo voluntas Dei se habet erga peccata.

Dico igitur, Deum erga peccata, non habere positiuè velle, aut nolle, sed negatiuè non velle: non habet Deus positiuè velle peccata, quia bonus, & iustus est. Nec esset bonus, & iust⁹, si peccata (id est mala) & iniquitates vellet. Non habet etiam positiuè nolle, quia omnipotens est, neq; esset omnipotens si aliquid fieret ipso inuito. Fieret autem aliquid ipso inuito, si fieret aliquid, quod ipse fieri nollet. Non igitur habet velle, aut nolle, sed non velle, iuxta illud Psal, 5. *Non Deus volens iniquitatem, tu es.*

Sed occurrit Beza in responsione ad acta Colloquij Mompelgardensis pag. 183. ac dicit, *Si Deus respectu peccatorum non habeat velle, aut nolle, sed tantum non velle, sequi vt eorum, quæ in mundo geruntur, longè maxima pars fiat Deo vel imprudente, vel non*

curante

curante, quorum illud ab eius potentia, illud ab eius potentia penitus est alienum. Respondeo neutrum sequi, nam etiamsi Deus non velit fieri peccata, tamen nouit ea futura, & posset impedire, si vellet, proindè non fiunt eo imprudente; præterea vult non impedire, vult permittere, vult ordinare, vult punire; proinde non fiunt eo non curante, & quasi ociosè spectante. Neque nos dicimus quod in superiori pag. idem Beza reprehendit, diuinam prouidentiam non se extendere nisi ad mala ordinanda, & quasi limitibus definienda, ita vt moliri possit Satan contra Ecclesiam, quicquid ei libuerit, quamuis non quicquid libuerit, perficere queat. Non, inquam, hoc solum damus prouidentiæ Dei, sed etiam addimus, nihil fieri posse, nisi Deo permittente, ac per hoc, non solum non perficiet Satan contra Ecclesiam, quicquid ei libuerit, sed ne molietur, quicquid ei libuerit, sed quicquid ei permittere Deo placuerit.

Prouidentia Dei circa peccata.

Obseruandum est præterea id, quod diximus, Deum respectu peccati non habere positiuè nolle, debere intelligi de voluntate beneplaciti quæ absoluta est. Nam habet Deus nolle fieri peccata, volũtate signi, quæ nõ absoluta, sed conditionata est. Voluntas enim signi dicitur præceptum, seu prohibitio, quæ voluntas ideo conditionata dici potest, quæ cum Deus præcipit, vt aliquid non fiat, simul addit pœnam, si fiat. Proinde cum aliquid prohibet, non absolutè vult illud non fieri, sed vult aut non fieri, aut puniri eum qui facit. Quare semper inuicta manet voluntas diuina, neq; ei vllo modo resisti potest. Nam etiamsi aliqui legem eius præuaricẽtur, & faciant quod ipse fieri prohibuit, non tamen euadunt supplicium, quod ipse idem præuaricatoribus comminatur.

Voluntas beneplaciti & signi.

Ex his testimonium S. Augustini facillime potest explicari. *Dicit .n. non fieri præter eius voluntatẽ, quod fit contra eius voluntatem, nõ quia ipse velit illud fieri,* sic

Quomodo fit contra eius volũtatẽ quod fit præter voluntatem eius.

ſic enim ſecum ipſe pugnaret, ſed propter alias duas cauſas, quas ibidem idem auctor poſuit. Prima cauſa eſt, quia (vt diximus) cum Deus peccata prohibet, non ſimpliciter vult non fieri, ſed aut non fieri, aut puniri eum, qui facit. Altera cauſa eſt, quia licet Deus non velit peccata fieri, tamen vult permittere vt fiant, ordinaturus illa pro ſuâ infinitâ potentiâ, & ſapientiâ in bonum.

Priorem cauſam ponit Auguſtinus in præcedentibus verbis, dum ſic ait: *Hæc ſunt magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, & tam ſapienter exquiſita, vt cum Angelica & humana creatura peccaſſet, id eſt, non quod ille, ſed quod voluit ipſa feciſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum eſt, quod creator voluit, impleret ipſe quod voluit, bene vtens & malis, tanquam ſummè bonus, ad eorum damnationem, quos iuſtè prædeſtinauit ad pœnam, & ad eorum ſalutem, quos benignè prædeſtinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipſos pertinet, quod voluit Deus* (voluntate ſigni) *fecerunt, quantum verò ad omnipotentiam Dei nullo modo efficere valuerunt; Hoc quippe ipſo quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas Dei.* Ecce quâ ratione non fiat præter Dei voluntatem, quia videlicet facit ipſe de peccantibus quod vult, dum eos æternæ damnationi, quam peccantibus fuerat comminatus addicit.

Poſteriorem cauſam ponit in verbis ſequentibus ſic loquens: *Propterea namque omnia opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non ſint præter eius voluntatem, quod contra eius fit voluntatem, quia non fieret ſi non ſineret*, ideo igitur non fiunt peccata præter Dei voluntatem, quia non fieret, ſi non ſineret, ac per hoc, licet non habeat Deus velle fieri, habet tamen velle permittere.

Sed, (inquiunt Aduerſarij) *velle permittere, includit velle fieri.* Nam ſic ſubijcit Auguſtinus: *non*

vtique

vtiq; sinit nolens, sed volens. Et paulò ante cap. 95. *Non ergo*, inquit, *aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo.* Vbi S. Augustinus apertè dicit Deum velle fieri *apertè id, quod sinit fieri.* Et cap. 96. dicit, *bonum esse vt mala sint. Quamuis, inquit, quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona, tamen, vt non solum bona, sed etiam sint & mala bonum est.* Quod autem bonum est. Deus, igitur mala esse, seu fieri Deus vult. Addit Petrus in cap. 9. epistolæ ad Rom. vocem permissionis in scripturis significare etiam voluntatem, & operationem Dei, non solum negationem. Et allegat illud 1. ad Corin. 16. *Spero me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.* Et illud ad Hebr. 6. *Et hoc faciemus siquidem permiserit Deus.*

Respondeo propriè permittere non includere velle, sed non nolle, siue non impedire; & verissimam esse Theologorum Catholicorum doctrinam, *qui dicunt Deum velle bona, mala autem non velle, sed permittere*; & longè aliud esse, *velle fieri mala, & velle permittere, vt fiant mala.* Siquidem velle fieri mala, est malæ voluntatis, quæ vel delectatur malis, vel vti vult eis ad bona, contra illam regulã, *Non sunt facienda mala vt eueniãt bona.* At velle permittere mala, potest esse bonæ voluntatis, ac præsertim in summo rerum omnium moderatore, ad quem spectat non impedire cursum rerum, quamuis defectibilium, vt hinc ostendat Primum, *quid per se posit liberum arbitrium. Deinde quid eius gratiæ beneficium, iustitiæq; iudicium,* vt loquitur S. Augustinus lib. de correptione, & gratia cap. 12. Cum igitur idem Augustinus dicit, Deum permittere *mala non nolentem, sed volentem,* intelligimus Deum permittere non inuitum, sed volentem permittere. Non autem propriè volentem illa fieri. Cum verò dicit nihil posse, nisi Deus velit fieri, aut sinendo vt fiat, aut ipse faciendo; ipse se explicat. *Non enim*

Permittere non est velle, sed non nolle.

enim diceret aut sinendo, aut faciendo, si propriè Deus vellet fieri tam bona, quam mala. Nam Deus voluntate agit. Et ideo quicquid vult fieri, fit, & ideo fit, quia ipse volendo facit.

Itaque si Deus vellet fieri mala non permitteret, sed faceret mala. Quorsum ergo Augustinus distingueret permissionem ab opere, dicens, *aut sinendo vt fiat; aut ipse faciendo*, si existimaret Deum proprie velle tam quæ facit, quam quæ permittit, cum non ignoraret, Deum volendo facere? sententia igitur eius loci talis est. Nihil potest fieri, nisi Deus velit fieri, saltem per accidens, id est, nisi velit permittere vt fiat ab alijs, aut etiam velit ipse illud procurare, & facere.

Quomodo bonum vt sint mala.

Porrò quod adiungit: *bonum esse vt sint mala*, eodem modo explicandum est, videlicet bonum esse, vt sint *Deo permittente, non Deo volente, & agente*: quod est per accidens esse bonum, quia coniunctum est cum aliquo per se bono. Mala enim per se nihil ornamēti adferunt rebus cæteris, tamen ordinata à Deo. & suo loco posita, faciunt, vt res bonæ magis emineāt, vt idem Augustinus docet in eodem lib. c. 11. qui etiam de eadem re sic loquitur in lib. 3. de lib. arb. cap. 9. *Quomodo, inquit, iustè peccata punit, quæ si defuissent, creatura eius plena & perfecta non esset. Hic responderetur non ipsa peccata, vel ipsam miseriam perfectioni vniuersitatis esse necessaria. sed animus, in quantum animæ sunt, quæ si velint, peccant, si peccauerint miseræ fiunt.* Hæc ille. Quare non tam est bonum, vt peccata sint, quam vt ordinentur, postea quam Deo permittente existunt.

Quomodo bonum est esse mala.

Quocirca S. Augustinus ex eo quod dixit bonum est, vt mala sint, non colligit, *Deum velle mala, sed tantum permittere.* Hæc enim sunt verba eius: *Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri, quæcunq; fiunt malè. Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit, &*

profe-

profectò bonum est, quod iustum est. Quamuis ergo quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen vt non solum bona, sed etiam sint & mala, bonum est. Nam si non esset hoc bonum, vt essent, & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono. Cui profectò quam facile est, quod vult facere, tam facile est, quod non vult esse non sinere.

Neque in scripturis vllus est locus, vbi vox (permittere) non possit rectè exponi de propriè dicta permissione, quæ non significat, velle, sed non impedire. Nam quod dicitur 1. Cor. 16. *Sperò me apud vos aliquantulum temporis permansurum, si Dominus permiserit:* rectissimè intelligitur dictũ esse pro eo, quod est, si Dominus non impedierit. Sæpè enim cogitabat Apostolus aliquo ire, & Dominus alio eum destinabat. Act. 16. *Transeuntes autem Phrygiæ, & Galatiæ regionem vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Misiam, tentabant ire in Bithyniam, & non promisit eos Spiritus Iesu.* Et ad Rom. 1. *Nolo autem vos ignorare fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsq; adhuc.* Quod etiam dicitur Hebr. 6. *Et hoc faciemus, siquidem permiserit Dominus:* eundem sensum habet. Scribit enim Apostolus nolle se amplius de rudimentis fidei disserere, de pœnitentia ab operibus mortuis, de Baptismo, impositione manuum & similibus, sed de ijs, quæ ad perfectionem vitæ Christianæ pertinent. *Addit autem, siquidem permiserit Dominus*, quia videlicet ignorabat, an Deus permissurus esset eum facere, an ad alia opera vocaturus. Ostendit enim his verbis se omnino pendere à prouidentiâ Dei, & quæ Deo annuente aggreditur, eadem Deo volente perficere, aut eo impediente dimittere.

Permittere in scripturis non impedire.

Aduersarius nihil nisi quasdam præteritas hallucinationes producit.

Pareus pag. 400. obijcit.

Locus 3. Augustini ex Ench. cap. 101. Aliquandò bonâ voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult; & rursus fieri potest, vt hoc velit homo voluntate malâ, quod Deus vult bonâ. Tantum interest: quia velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, vt aut approbetur, aut improbetur. *Quibus manifeste docet Augustinus. Primò Deum, & hominem sapè idem velle. Sed Deum benè, hominem malè.*

Bellarmini responsio.

Homo sapè vult malè, quod Deus bene.

Sed facilimè id soluitur. Nam in his rebus quæ sunt per se malæ, & in nullo casu possunt fieri bene, nunquam Deus vult id, quod volunt homines mali. In rebus autem quæ sunt malæ ratione præcepti positiui, eas prohibentis, aut alicuius circumstantiæ facilè fieri potest, vt Deus bonâ voluntate velit, quod malâ voluntate volunt homines mali, & quod nolunt bonâ voluntate homines boni; ita vt magis congruant cum bonâ voluntate Dei illi qui nolunt, quam illi qui volunt quod ipse vult. Exempla sunt in eodem loco S. Augustini, vult Deus aliquem hominem mori, quia id merentur eius peccata; voluntas hæc Dei iusta est, ac per hoc bona: fortè etiam vult hoc Deus, quia præuidit illum, si diutius viuat, grauius peccaturum, & atrocius apud inferos puniendum, ex quo non solum iusta, sed etiam misericors est voluntas Dei, quæ vult illum de medio tolli. Contingit autem, vt filius eius, non quia scit patrem mereri mortem, aut grauius peccaturum si vixerit, sed quia eum odit, aut cupit cito possidere paternam hæreditatem, velit eundé mori; sine dubio hæc filij voluntas, quamuis id velit, quod vult & Deus, iniquissima est. Tenetur .n. filius parentes diligere, & iuuare ac multò magis nō odisse. Proinde magis congrueret cum bonâ Dei voluntate

voluntas

voluntas, si nollet quod vult *Deus*, quam nunc congruat, quando vult, quod *Deus* vult.

Pareus pag. 401.

Malum materialiter intellectum possunt idem Deus & homines velle, vt actionem ipsam.

Defensio.

Si de actione malâ per se intelligitur, nec Deus, nec homo eam sine crimine velle potest; odium Dei internum nec Deus quidem velle potest vt fiat ab homine, nam si actum illum fieri vult, deformitatem non velle non potest. Et si actum approbat, malitiam odisse non potest, vt Aug. li. de diuinatione dæmonum, supra citatus. Si hac in re Augustini sententiâ stamus, audiamus eum c. 6. libri de continentiâ. *Sunt*, inquit, *& qui eodem modo in excusatione peccatorum suorum accusant Deum, vt dicant ei placere peccata. Nam si displicerent, inquiunt, nullo modo ea fieri omnipotentissima vtique potestate permitteret: quasi verò Deus impunita peccata permiserit, etiam in eis, quos à supplicio sempiterno remissione liberat peccatorum. Nullus quippe debitæ grauioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcunque: & si longe minorem, quam debeat, soluerit, pœnam: atq; ita impartitur largitas misericordiæ, vt nō relinquatur etiam iustitia disciplinæ. Nam & peccatum quod inultum videtur, habet pedissequam pœnam suam, vt nemo de amisso nisi aut amaritudine doleat, aut cæcitate non doleat.*

Quomodo Deus nolit mala?

Sicut ergo tu dicis, cur permittit ista si displicent: ita & ego dico, cur punit ista, si placent? Ac per hoc sicut ego confiteor, quod omninò ista non fierent, nisi ab omnipotente permitterentur ita tu confitere facienda non esse, quæ à iusto puniantur: vt non faciendo, quæ punit, mereamur ab eo discere, cur permittit esse quæ puniat. Perfectorum est enim, sicut scriptum est, solidus cibus: in quo hi qui bene profecerunt, iam intelligunt ad omnipotentiam Dei iam potius id per-

tinuisse, vt ex libero arbitrio voluntatis venientia mala esse permitteret. Tanta quippe est omnipotens eius bonitas, vt etiam de malis posit facere bona, siue ignoscendo, siue sanando, siue ad vtilitates piorum cooperando, atq; vertendo, siue etiam iustissimè vindicando. Omnia namq; ista bona sunt, & Deo bono, atque omnipotenti dignissima, nec tamen fiunt nisi de malis. Quid igitur melius, quid omnipotentius eo, qui cum mali nihil faciat, bene etiam de malis facit.

Vbi præcipuè agit de peccato, quod permittit, & punit, verum Aduersarius affirmat, *Deum velle peccata, vt puniat*, quod omninò negat Augustinus.

Bellarminus.

Locus 4. ex l. 6. de gen. ad literam c. 15. *Voluntatem Dei esse rerum necessitatem, ex eo probare conatur* Caluinus libr. 3. instit. cap. 23. §. 18. *Dei decreto factum, vt Adam laberetur*. At hoc Augustinus non dicit, Deum voluisse, vt homo laberetur, sed de naturalibus loquitur, hominem ex limo factum, quòd ita Deus voluerit.

Pareus pag. 402.

Hic locus capillis ab Aduersario ad institutum trahitur, vt calumnia paretur Caluino.

Defensio.

Verba Caluini sunt: *Hic ad distinctionem voluntatis, & permissionis recurritur, secundum quam obtinere volunt, permittente modo, non autem volente Deo perire impios. Sed cur permittere dicamus, nisi quia ita vult. Quanquam nec ipsum quidem per se probabile est, sola Dei permissione, nulla ordinatione hominem sibi accersisse interitũ. Quasi verò non constituerit Deus qua conditione præcipuam è creaturis suis esse vellet. Non dubitabo igitur cum Augustino simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atq; id necessariò*

sario futurum esse, quod ille voluerit, quemadmodum ea vere futura sunt, quæ præuiderit.

An obsecro ille non à creandi voluntate, ad voluntatem peccatorum argumentatur?

Bellarminus.

Locus 5. Ex l. 5. c. 3. aduersus Iulianum Pelagianum, vbi ait Augustinus, non modò per patientiam, sed etiam potentiam indurare. &c. Sed facilis responsio ex c. 13. fieri id modis à D. Thom, Hugone alijsq; iam olim explicatis.

Bellarminus.

Locus 6. 7. 8. ex lib. de gratia & lib. arb. c. 20. & 21. Hæc exposita c. 13.

Locus 9. ex correpṫ. & gratiâ. c. 7. Electionem constat vocari permissiouem, & præuisionem.

Locus 10. De ordinatis hominum & angelorum voluntatibus iam supradictum, & contra Aduersarium est, modo remoueatur parenthesis Bezana.

CAPVT XVII.

1. *Calumnia & error Parei.*
2. *Secundum Pareum Deus ipsam malitiam decreuit.*
3. *Etiam ignorato euentu in certum finem hominem Deus creare posset.*
4. *Naturaliter nascimur peccatores.*
5. *Deus non ociose spectat actiones creaturarum.*
6. *Pœnæ etiam permissiuæ & priuatiuæ.*

Soluuntur obiectiones ductæ ex ratione.

Bellarminus.

PRima ratio Caluini est lib. 3. instit. cap. 23. ſ. 7. Si Deus non decreuit ab æterno, vt primus homo cum tota posteritate laberetur, sequitur Deum ambiguo fine condidisse nobilissimam creaturam. Non enim condidit, vt staret, vt perspicuum ex eo, quod non stetit; vel igitur condidit vt laberetur, & sic aperiretur via misericordiæ; & iustitiæ diuinæ, vel condidit in finem ambiguum atque incertum, vt ex euentu penderet id, quod Deus postea facturus esset, quod certè valdè absurdum esse videtur.

Responsio Bellarmini. Non in finem ambiguum esse hominem creatum, sed bonum, & cum peccaturum præsciuerit, ordinasse ad declarationem iustitiæ suæ peccatorem.

Pareus pag. 407.

Lapsum primi hominis decreuit, quia Ephes. 1. 11. *Omnia efficit consilio voluntatis suæ. Hoc dicit Apostolus de toto prædestinationis nostræ mysterio, quod lapsum hominis necessariò includit.*

Defensio.

Calumnia & error peccati. Immemor sui est: c. 15. pag. 393. ait: *Bellarminus Bezam malitiosè calumniatur. Neq; enim Beza locum eum trahit ad omnia simpliciter, tam mala quam bona.* Et: *propriè interpretatur de operationibus gratiæ. Vide,* inquit, *vt omnia sine exceptione tribuat Dei gratiæ.* At hic contra Bezam etiam lapsum includit; nec tamen probas. Quod verò subiungit: Deum voluisse lapsum Adami, vt occasionem suæ gloriæ. Hoc verò est peccatum, vt peccatum velle. nam vt est peccatum, sic est diuinæ gloriæ occasio.

Pareus pag. 410.

Finis hominis certus sine decreto non potuit esse; nam penderet à causa contingente, incerta, ambigua.

Defen-

Defensio.

Immanis blaſphemia argumentatione illa continetur. Nam ſi ideo lapſus erat Deo futurus incertus, quod eum Deus non decreuiſſet, neceſſe eſt ipſam peccati malitiam eſſe incertam Deo, eam enim fatente, ſed ἀσυςάτως, Aduerſario, non decreuit. Si ſolo decreto permittendi malitia non eſt incerta, poterit & eo ſolo ipſe actus certus eſſe. Si ad certitudinem non ſufficit decretum permittendi actus, ergo nec malitiæ. Quanquam argumentum hoc alio errore Piſcator reddat inutile Caluinianis. Nam multis oſtendere conatur, Decreto permittendi conſtituto, neceſſariò actionem conſequi, ſi neceſſariò ſequitur, hoc igitur ſufficit.

Parei opinione Deus ipſam malitiam velle debuit.

Bellarminus.

Addo præterea quod etiam ſi daremus, Deum non præuidiſſe, antequam decerneret hominem creare, quid homo facturus eſſet, ſi crearetur: tamen non propterea in ambiguum finem creatam à Deo fuiſſe nobiliſsimam naturam. Deus enim omnia propter ſemetipſum id eſt ad gloriam ſuam declarandam operatur; hic autem finis impediri non poterat vllo modo, quicquid tandem homo pro arbitrij ſui libertate faceret. Nam ſi peccaret, non effugeret Dei iuſtitiam, ſi non peccaret, Dei gratiam magis ac magis ſibi conciliaret. Semper autem Dei gloria eluceret, ſiue per excellentem gratiam homo coronandus eſſet, ſiue per iuſtum iudicium puniendus. An autem homo miſericordiam, an iuſtitiam Dei experturus eſſet, ambiguum aliquo modo fuiſſet. Sed abſque vllo detrimento gloriæ Dei, nam & ambiguitas iſta ex Dei decreto manaſſet, & (vt diximus,) ſemper Dei gloria ſiue coronando, ſiue puniendo locum ſuum habuiſſet.

Pareus pag. 411.

Falſum & blaſphemum eſt: nam repugnaſſet immenſæ ſapientiæ.

Defensio.

Si Deus euentum ignoraret tamen in finem certum hominem creare potuisset.

Blasphemum est, fateor, Deo aliquem euentum ignotum esse, vel ambiguum, nec hoc in mentem venit Bellarmino, sed etiam illâ blasphemâ hypothesi concessâ negat meritò sequi, hominem in finem ambiguum creatum esse, quantò magis negat, à Deo præsciente, certum in finem creatus est, si ab ignorante, si in omniscium ignoratio cadere posset in finem certum creari potuit? Interim & hoc argumento Aduersarium premere possumus. Si non decreuit Deus peccatum, vt peccatum fieri, sequitur Deo incertum fuisse peccatum, vt est peccatum.

Bellarminus.

Altera ratio Caluini ibidem eiusmodi est. *Non est factum naturaliter, vt à salute exciderent omnes vnius parentis culpa. Cum igitur hoc naturæ ascribi nequeat, ab admirabili consilio Dei profectum esse minime obscurum est. Quid ergo prohibet fateri de primo homine (qui videlicet decreto Dei lapsus est) quod inuiti de toto humano genere concedunt.*

Respondeo negare nos, quod inuitos concedere Caluinus assumit. Factum enim asseruimus omnino naturaliter, vt primo homine cadente genus humanum vniuersum caderet. Naturam enim in se primus homo vitiauit, cum iustitiam illam originalem amisit, quam Deus illi pro se, & pro toto genere humano donauerat. Quare qui per naturalem propagationem filij Adami efficiuntur, naturaliter iniusti, & peccatores nascuntur, quod Apostolus docet cum ait Eph. 2. *Eramus & nos naturâ filij iræ, sicut &c.*

Naturaliter nascimur peccatores.

Idem passim docet S. Augustinus, qui etiam tractatu 44. in Ioannem scribit, omnes homines naturâ esse filios iræ (qui peccante primo homine vitium pro naturâ inoleuit.) Et (quod magis est admirandum) ipse Caluinus ita exponit verba Apostoli in com-

commentario eius loci, vt probet peccatum originale, quia in omnibus naturaliter hoc peccatum inest, cum sit omnibus eadem natura communis: Locus, inquit, est insignis contra Pelagianos, & quicunque peccatum originale negat. Nam quod naturaliter inest omnibus; id certè est originale. Naturaliter vero nec omnes damnationi obnoxios Paulus docet. Quãuis igitur Adamus non naturaliter, sed volũtariè peccauerit, tamen posito peccato Adami & naturæ corruptione, quæ ex eo peccato consecuta est, sine alio Dei decreto: per ipsam naturalem propagationem nascimur omnes peccatores, atq; iræ filij.

Pareus pag. 412.

Naturaliter propagatur peccatum, sed initium non est naturale, sed ex Dei consilio.

Defensio.

Mandatum erat ex Dei consilio, non peccatum, nec peccati sequela, corruptio posteritatis, ex massâ damnabili naturaliter nascimur mali.

Bellarminus.

Tertia ratio Caluini, & Bezæ, *Homo non potuit labi Deo inuito, vel ignorante, vel ociosè spectante. Quia primum repugnat Dei potentiæ. Secundum Dei sapientiæ. Tertium Dei prouidentiæ, igitur Deo volente, & decernente lapsus est.* *Deus non ociosè spectat.*

Respondeo, non bene colligi cõclusionem. Nam lapsus est Deo permittente; & ex lapsu illo per suam potentiam, sapientiam, & prouidentiam ingens bonum eliciente. Atq; ita non est homo lapsus, Deo volente, aut decernente, sed neque eo inuito, aut ignorante, aut ociosè spectante. Quemadmodum non diceretur aliquis ociosè spectare fluuium, si cursum illius detorqueret ad agrum aliquem irrigandum, quamuis non ipse fluuio impetum illum dedisset.

Pareus pag. 413.

Etiam permissio est voluntatis, permisit enim volẽs.

Defensio.

Si cum velle Deum dicit peccata, intelligit de volente permittente, res facta est: hoc optat Bellarminus, *omnes Ecclesiæ, etiam Caluinistæ*, quibus prior suorum furor displicuit.

Bellarminus.

Quarta ratio. Sæpè vnum peccatum est pœna alterius peccati, vt ex scripturis manifestè probat S. Augustinus lib. 5. contra Iulianum cap. 3. At pœnæ auctor est Deus, igitur & peccati, quod pœna est alterius peccati.

Respondeo, peccatum bifariam considerari posse. Primò, vt egreditur à voluntate, & actio quædam est. Secundò, vt recipitur in ipsa voluntate, & passio est. Vt igitur peccatum à voluntate egreditur non est pœna, sed culpa; pœna enim non actionem, sed passionem significat: vt autem recipitur in voluntate, eamque bono rectitudinis priuat, sic pœna est, quamuis non omninò propriè, & in rigore, sed largo modo, quia pœna propriè dicta simpliciter inuoluntaria esset debet, vt culpa simpliciter voluntaria. Iam igitur Deus non est auctor peccati, vt culpa est, quod peccato propriè, & simpliciter conuenit, sed solum vt habet rationem pœnæ, quod (vt diximus) non simpliciter, sed secundum aliquid tantum peccato conuenit. Sed præterea obseruandum est: Deum non esse auctorem peccati vt pœna est, impellendo ad peccatum, sed deserendo, permittendo, non miserendo, ita vt non tam ipsum peccatum, quam desertio Dei pœna iusto Dei iudicio inflicta dici debeat. Sic enim loquitur Sanctus Augustinus libr. de grat. & libero arbitrio cap. 23. *Cum auditis, ego Dominus decepi Prophetam illum, & quem vult obdurat, eius merita cogitate; quem Deus ita seduci, vel obdurare permisit.*

Quomodo Deus peccatū vult vt pœna est.

Pareus

Pareus pag. 414.

Quomodocunq; peccatum ſit pœna, falſum eſt, quatenus eſt pœna, eſſe tantum à Deo deſerente, permittente. Pœnas enim peccatorum Deus, vt iuſtus iudex mundi non ſolum priuatiue, ſed etiam poſitiuè infligit: quia pœnæ inflictio eſt opus iuſtitiæ: vti decies iam diximus.

Defenſio.

Multas pœnas tantum priuatiuè infligit, quia ſunt priuationes gratiarum, & illuminationis cœleſtis. Deinde multa in aliorum pœnas permittit, quæ impedire poteſt, ſola igitur permiſsione pœnas exequi poteſt. Denique ſi in nihilum recidere mundum vniuerſum permitteret, id ſanè ſine alio Dei actu poſitiuo efficeretur, nec tamen pœna non eſſet. De Zvvinglii obiectione vide c. 5. *Pœna etiam priuatiue & permiſsiue*

Bellarminus.

Beza ſic ratiocinatur: *Sine quo Deus non potuit declarare ſuam miſericordiam & iuſtitiam, id Deus decreuit, & voluit. Sine hominis lapſu non potuit declarare ſuam miſericordiam & iuſtitiam. Ergo lapſum hominis decreuit, & voluit.*

Reſpondeo. At non fuit neceſſarium iuſtitiam Dei oſtendi, & poterat eam Deus oſtendere, etiam ſi peccatum nunquam extitiſſet.

Pareus pag. 416.

Propoſitio eſt veriſsima: quia agit de iuſtitiæ & miſericordiæ declaratione hypotheticâ.

Defenſio.

Hypotheſis erat condendi mundi, oſtendendi gloriam ſuam, & oſtendendæ iuſtitiæ non ſimpliciter, ſed in peccatorum vindictâ, non alias iuſtitia eſſe non poterat, non autem ad hoc decreuit fieri peccata, ſed præuiſa in eum finem ordinauit.

CAPVT XVIII.

1. *De concursu Dei ad actiones creaturarum.*
2. *Eius necessaria tractatio.*
3. *Blasphemia Caluinistarum iudice Caluinista.*
4. *Verbis negant, re fatentur Deum auctorem peccati.*
5. *Omnipotentiam Dei oppugnant.*
6. *Cur mala Deus impedire non tenetur.*
7. *Permissionis & effectionis diuersa ratio.*
8. *Concursus generalis à causa particulari determinatur.*
9. *Causa vniuersalis non est causa peccati.*
10. *Deus per se iuxta aduersarium est causa peccati.*
11. *Insignis in Bellarminum calumnia.*

Soluitur obiectio, quæ à Theologis proponi solet veritatis explicandæ causa.

Bellarminus.

Obiectio Scholasticorum de concursu Dei.

1 VNa restat obiectio, quam Catholici Theologi veritatis explicandæ causa proponere solent. Ea est huiusmodi *Deus est causa totius entitatis, quæ in mala actione cernitur, cum secundum scripturas, per ipsum omnia facta sint, & sine ipso factum sit nihil, igitur videtur etiam esse causa deformitatis, quæ in actione illa inest, quæ proprie peccatum dicitur.*

Probatur consecutio. Primo. Is qui est causa causæ, est etiam causa causati, at Deus est causa actionis, vnde resultat

resultat deformitas, igitur etiam causa est deformitatis, quæ ex actione illa resultat.

Secundò. Is vere ac proprie peccare dicitur, qui sciens, & volens est causa actionis, cum qua est annexa deformitas, licet ipsam deformitatem forte non velit; Deus autem sciens, & volēs est causa àctionis, cum qua est annexa deformitas, igitur peccare dicendus est, licet deformitatem illam nolit.

Tertio, qui sciens, & volens concurrit cum alio ad actionem malam, particeps est criminis, quod ille cōmittit. Deus autem sciens, & volens concurrit cum omnibus qui peccant, ad eorum malas actiones, igitur particeps esse videtur criminum, quæ ab omnibus iis perpetrantur, qui peccant.

Quârtò. Actiones quædam ita sunt per se, atque intrinsece malæ, vt deformitas ab eis sit omnino inseparabilis, & prohibitæ sint quia malæ, nō malæ quia prohibitæ ac denique nullo modo bene fieri posśint, quales sunt mentiri, odisse Deum, & alia id genus: Deus autem ad eiusmodi actiones non minus, quam ad alias omnes concurrit, igitur fieri non posse videtur, vt Deus omnino liberetur à culpâ.

Quintò. Nulla est ratio, cur homo dicatur peccare, dum mentitur, aut blasphemat, si non peccat Deus, dum cum homine concurrit ad mendacium, vel blasphemiam illam producendam. Vterque enim libere operatur, vterque facit opus intrinsece malum, vterque totam actionem illam efficit. At homo vere peccat omnium iudicio, igitur & Deus.

Non eodem modo soluitur ab omnibus. Quidam vt Durandus negat actionum esse Deum causam. alii non peccare, quia lege non tenetur, neutra adhibenda est: Nam omnino falsum, Deum non concurrere, & multæ actiones ita legi æternæ repugnant, vt fieri bene nunquam posśint. Deinde etsi Deus sine peccato multa queat facere, quę non possunt homines, non tamen homines iuuare in scelere potest. Pa-

Pareus 419.

Libri monstrosi struma monstrosa, & otiosa resecanda restat. Monstrosum dico librum, ob monstrosa Sophismata, & mendacia, quibus totus refertus est. Strumam dico hoc vltimum caput, qui liber carere ea potuit: Monstrosam, quia monstrosam obiectionem monstrose soluit: otiosam non solum ob superfluam verbositatem, sed etiam ob inanem acuminis ostentationem.

Defensio.

Necessaria de Dei concursu tractatio.

Necessaria tractatio, nam à nullo pene intermissa, ne Caluinistis quidem. Verum de totâ c.5. alia occasione disputatum est. *Nam qualis prædestinatio talis Deus, talis religio, qualis insuper cooperatio talis Deus, si enim ille mala illa intendens,* speciali actione, voluntatem determinans concurrit, vtique causa est eius mali. Recte Vorstius Sect. 17. in collat. *Considera enim, te quæso, in vero timore Domini, quanta hæc, quamque aperta blasphemia sit, statuere peccata fieri Deo procurante, & omnino sic volente. Item, quam euidens contradictio sit, negare Deum esse causam peccatorũ (quod alibi sæpe facis, idq; iure optimo) quum tamen ipso procurante, & omnino sic volente, eadem fieri hic, alibiq; affirmes. Cui tandem cordato & animum aduertenti, persuasurum te putas, neq; illic veram blasphemiam esse? neq; hic implicitam latere contradictionem? Quis enim nisi præiudicio impeditur, non videat, eum reuera esse peccatorum auctorem, aut saltem procuratorem, hoc est qualemcunq; fautorem, ac cooperarium, qui peccata ipse procurat? & prout illa fiunt, sic omnino fieri vult? præsertim si & procuratio illa, & voluntas ista fiant ex eiusdem decreto quodam absoluto, æterno, immutabili, & ita efficaci, vt nulla ratione ei resisti possit? Qualem tu & procurationem, & voluntatem Dei sine dubio hic intelligis. An nondum vides, quantum virus, ac periculum sub hac sententiâ tuâ delitescat? Quid autem prodest verbis alicubi negare Deum esse causam*

Blasphemia Caluinistarum iudice Vorstio.

Contradictio Caluinistarum.

Deus procurator peccatorũ

pecca-

peccatorum, cum reipsa idipsum hic affirmes? Nolo nunc aliis compluribus absurdis sententiam tuam onerare: quod alioqui procliue admodum foret. Tantum te oro, vt de eâdem vel tempestiue reuocandâ vel lenioribus saltem verbis mitigandâ, serio in posterum cogites: ne alioqui manifestæ blasphemiæ fauere, ac certæ hæresi patrocinari videaris.

Verbis negant, re affirmant Deum esse auctorem peccati.

Bellarminus.

Obiicies primò. Thomistæ & Scotistæ non omnino conueniunt. Respondeo, alii motionem in causas secundas, alii in effectum asserunt; vtrique generalem concursum.

Pareus pag. 429.

Neutra concursum generalem agnoscit, deinde sol est causa naturalis, bruta; Deus est agens liberum, omnipotens, ergo non patitur se determinari à causa particulari.

Defensio.

Primum falsum est, Ipse D. Th. in 1. 2. q. 80. art. 1. ad 3. vocat vniuersale principium omnis interioris motus humani: sed quod determinatur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe est quidem ex voluntate humanâ, & à diabolo, &c.

Quod vero dicat, quia Deus est agens liberum, & omnipotens, non patitur se determinari, improbissimam blasphemiam continet, & contra Dei omnipotentiam disputat. Concludit enim non posse vllum Dei influxum esse generalem, non modo non esse, quo concesso, constringitur, imo tollitur Dei efficientia in creaturis. Nam solis influxus in effectum est generalis, res creata est, ideo eget vt sit etiam, Dei influxu; Deus ergo vt cum sole ad agendum concurrit, non speciali, sed generali id præstat influxu, nam si solis influxus à Deo determinatur, iam non potest vllo respectu esse generalis, nam etiam quâ generalis est, à Deo tamen pendet, eiusque speciali influxu. Deinde cur omnes causæ vniuersales generalem habere influxum

Omnipotentiam Dei oppugnat.

xum possent, sola vniuersalissima non posset ? Respondet: Quia est libera & omnipotens, non ergo patitur se determinari à causa particulari. Verum quæ tandem est hæc argumentandi insania ? Non patitur causa omnipotens : Non causa determinatur omnipotens, cum eius influxus determinatur, sed eius cõcursus actualis, qui non est causa omnipotens, sed omnipotentis effectum. Non patitur sol, nec determinatur à causis inferioribus, verum eius lumen, & calor nunc ad vegetanda, nunc putrefecienda corpora determinatur. Fœda igitur deliratio, Causam primam non posse influxum vniuersalem causis particularibus impertiri, etiá cum vniuersalibus creatis agétem.

Bellarminus.

Cur Deus mala non teneatur impedire.

Obiicies secundò. Qui gladium præbet ei, quem male scit vsurum, peccat ergo & Deus. Respondeo. Hominem teneri impedire mala, Deum non teneri, tum, quia est summus prouisor, tum quia potest ex malis elicere bona, tum, quia æquum est, vt naturas conseruet, neque eis deneget auxilium sine quo operari non possunt; Tum quia plurima bona impediret.

Pareus 430.

Addendum non peccare Deum, quia lege non tenetur. 2. Secundum & quartum firmum non est: Quia propter bona non sunt facienda, aut permittenda mala, nec lupanaria permittenda, aut minus malum, vt vitetur maius. inter scelera non datur electio, proinde nec permissio inter homines.

Defensio.

Primo de lege quâ Deus tenetur, supra dictum est contra Zvvinglium. Secundò. *Propter bona non sunt facienda mala*, sed permitti tamen mala possunt, & mala minora, vt grauiora vitentur, Deus propter bona iudiciorum suorum, & tormentorum, vt illi volũt, decernit, & facit peccata, cur non & permittit, sine scelere permittere potest, quod flagitiose faceret. Nã si ea-

si eadem est effectionis, & permissionis ratio, poterit Deus peccatum vt peccatū efficere, quia potest permittere, aut si non efficere, nec poterit permittere. cur igitur illi dicunt Deum peccatum vt peccatum non efficere, sed permittere? Quod si nec mala permittenda sunt, vt fiant bona, nullo colore Deum suum excusare Caluiniani poterunt.

Permissionis & effectionis est diuersa ratio.

Tertio. Omnino inter homines permitti mala possunt à Magistratu, vt maiora vitentur, fieri non possunt, ne minima quidem, vt maxima caueantur, quâ in re nulla doctorum paucitas, nulla imperitorum turba dissentit. de permittendis lupanaribus, & vetandis consule Gretserum.

Et sane multo modestior Pelicanus Caluinista, vt ipsi aiunt, doctissimus, & sanctissimus. qui ne Lot quidem filias stupro offerentem, vt hospites seruet intactos damnare audet. Cur Deus permittat, vide Augustinum de continentia c. 6.

Bellarminus.

Obiicit tertio. Si concursus ad malas actiones est indifferens, ergo & ad bonas, ita nec illæ à Deo erunt. Respōdeo. Actiones bonas si sint supernaturales, hoc â speciali Dei auxilio sortiri. Si naturales, etiam in Deū referri, quia ab eo sunt intentæ, & eo hortatore, suasore procuratore fiūt. Pareus pag. 431.

Actiones bona à Deo.

Sed hæc ἀσύστατα sunt, concursum in actione esse specialem, & indifferentem. Concursus enim Dei & voluntatis non dicitur, nisi quatenus actione speciali terminatur.

Defensio.

Figmenta aduersarii, planissime sunt ἀσύστατα, veris pariter, & falsis aduersa. Concursum specialem à quo est actio supernaturalis, nusquam Bellarminus vocat malis, & bonis actionibus indifferentē. Cōcursus Dei generalis in actione speciali terminatur, & quatenus terminatur iā fit specialis, ex causę particularis determinatione. Sic cōcursus solis ad arborū germinatio-

Concursus generalis in se à causa particulari determinatur,

nem

nem ex se generalis est, à plantis determinatur, vt hæc illa species producatur.

Bellarminus.

Obiicies quartò. Actio humana, vt est talis in specie, est aliquid, at omne aliquid, est à Deo. Respondeo. Omne esse habere à Deo, sed esse specificum per Dei concursum ab humana voluntate determinatum.

Pareus pag. 432.

Ergo concursus Dei tantum in voluntate hominis terminabitur, non in actione.

Defensio.

Concursus generalis operationibus dari potest.

Audaci ruditate omnem indifferētem concursum tollit, quem ipse in sole aliisque agnoscit. Si enim concursus solis indifferens non in causa inferiore, sed in operatione terminatur, & tamen esse specificum est à causa particulari, solis concursum ad hanc speciem determinante, cur non & Dei concursus generalis? Aut si nullus cōcursus indifferēs in operatione terminatur, sed in causa speciali, nullus est concursus indifferens in vniuerso, quia de eo, qui operationum est, quærere se profitetur aduersarius.

Deinde insigniter calumniatur. Dixit Bellarminus, *Rem habere esse genericum & specificum à Dei concursu, sed specificum per concursum* Dei *determinatum à voluntate humana*, Hinc argumentatur calumniator. *Si enim specificum esse non habet à concursu Dei, sed tantum à voluntate humana, &c.* Non dixit hoc Bellarminus, sed mentitur Bellarmini aduersarius, aliud est, habere per Dei concursum à voluntate humanâ determinatum, aliud non à concursu Dei, sed solâ voluntate humanâ. De auxilio speciali l.4. cap. 14. dicetur. Non enim necesse est liberum arbitrium vel à speciali auxilio, vel hoc ab illo determinari, possunt enim â seipsis singula determinari, sed quomodo à voluntate determinetur, postea explicabit Bellarminus.

Bel-

Bellarminus.

Ex his facile responderi potest ad 3. argumenta initio posita. Primum argumentum erat: Qui est causa causæ, est etiam causati. Deus autem est causa causæ, id est actionis, ex qua deformitas peccati exoritur, igitur est causa ipsius deformitatis. Respondeo. Propositionem illam: Quod est causa causæ, est etiam causa causati, vt plurimum non habere locum in causa vniuersali, quæ adhibet influxum quendam communem & indifferentem ad multa. Nam sæpe accidit, vt causa secunda egrediatur ab ordine primæ; vel vt defectus sit in secunda causa, & non in prima; vel vt defectus oriatur ex re, vt est talis in specie, quod habet à secunda causa, & non à prima; ac per hoc multis modis fieri potest, vt causa vniuersalis sit causa causæ, & tamen non sit causa causati.

Causa vniuersalis non est causa peccati.

Hinc S. Thomas in 1.2.q.79.art. 1. docet, non recte concludi Deum esse causam peccati, quia sit causa voluntatis humanæ quæ peccatum facit. Non enim voluntas humana peccatum fuit, quatenus à Deo facta est, sed quatenus declinat ab ordine Dei, & nos supra demonstrauimus deformitatem peccati non posse tribui Deo, tum quia defectus est in sola causa secunda, tum quia deformitas illa sequitur actionem, vt est talis in specie, quam habet à secunda causa: qua etiam ratione monstra quæ sunt peccata naturæ, non tribuuntur causis vniuersalibus, sed solum propriis, & particularibus.

Alterum argumentum. Qui sciens, & volens est causa actionis cum qua est annexa deformitas, vere ac proprie peccat; Deus sciens, ac volens est causa actionis, cum qua est annexa deformitas, igitur Deus verè, ac proprie peccat. Respondeo, Propositionem esse veram de causa particulari actionis per influxum quendam generalem, & indifferentem, ex quo non potest sequi actio deformis, nisi causa secunda abutens influ-

xu illo bono, eum detorqueat ad malum. Itaque Deus ſciens,& volens cauſa eſt actionis, quæ quod attinet ad influxum eius,bona eſt, & ſimpliciter bona eſſet, niſi per influxum ſecundæ cauſæ corrumperetur.

Tertium argumentum erat. Qui ſciens, & volens cum aliquo ad actionem malam concurrit, is particeps criminis eſſe videtur. Deus autem ſciens, & volens concurrit cum omnibus, qui peccant, ad eorum malas actiones: Deus igitur particeps eſſe videtur omnium criminum, quæ ab hominibus perpetrantur. Reſpondeo.Propoſitionem eſſe veram de iis,qui concurrunt vt cauſæ particulares, ii ſiquidem vere concurrunt ad actionem malam: Deus autem, & cæteræ cauſæ vniuerſales non concurrunt propriè ad actionem malam, ſed ad actionem indifferentem ex ſe, vt ſupra ſatis explicauimus.

Quartum argumentum erat. Deus concurrit ad actiones intrinſece malas, à quibus deformitas nullo modo ſeparari poteſt,igitur Deus, vt eſt cauſa actionis,ita eſt cauſa deformitatis. Reſpõdeo, Actiones intrinſece malas nullas eſſe,niſi vt determinatæ, & tales in ſpecie;nam entitas ipſa odii Dei,ſi per ſe conſideretur,non eſt mala, ſed ſolum, vt eſt talis entitas,Deus autem (vt ſæpe diximus) non eſt cauſa ſpecificans actionem,cum ſit cauſa vniuerſalis, & ex ſe indifferens ad vnam actionem, & ad contrariam.

Quintum argumentum erat. Nulla eſt ratio,cur homo dicatur peccare, & non Deus, cum eandem actionem ſciens,& volens faciat. Reſpondeo. Iam rationem eſſe allatam, quia videlicet ad actionem illam concurrit Deus, vt cauſa vniuerſalis, homo vt cauſa particularis.

Pareus pag. 435.

Ad 1. Malæ actiones habent eſſe ſpecificum à Dei concurſu,ergo Deus cauſa ſpecifica. 2. Valet axioma in eſſe-

effectis, non defectibus, vt Thomas. 3. Nos dicimus Deum esse causam causæ per se, causati per accidens. 4. Deus est causa actionis, at deformitas non est ex actione per se, sed inquantum hæc contra legem Dei facta est.

Defensio.

1. Habet esse specificum à Deo, determinato illius concursu per humanam voluntatem.

2. Recte respondet D. Thomas, sed cur defectus non tribuatur causæ primæ, ratio redditur à Cardinale, quia eius concursus est indifferens.

3. Nec dicitis, nec si diceretis consentaneè vestris principiis loqueremini. Non dicitis. Quia quod Deus vt medium eligit ad finem, hoc vi intentionis eligit, & per se, etsi alium finem habet, nam nec homo aliter eligit, qui peccatum eligit, vt medium ad bonum vtile vel delectabile. Idem Deus per se eligit sanctitatem electorum, & tamen eius alia causa est, eiusdem misericordiæ declaratio. Nec suę hęresi consentaneè: Nam si hominem Deus cum rebellione propensionum naturalium creasset, auctor esset ipse peccati, vt libro de gratia primi hominis ad nauseam inculcauit. at ibi etiam responderi potuit. Deus causat voluntatem per se, & actionem, non autem causat voluntatem & actionem malam nisi per accidens, hæc enim sunt verba aduersarii. Quæ si huic argumento sufficiunt, in suis valere sinat, & bonam partem libri illius censoria deleat liturâ. Eisdem plane verbis ad quartum responderi potest. Ad 2. & 3. Nugæ sæpius repetitæ de formali & materiali peccati. itemque ad 4. & 5.

Deus per se iuxta aduersarium est causa peccati.

Pareus pag. 436.

Hac frigidissima disputatione liber iste monstrosus clauditur: Et quærat nunc lector ex Bellarmino: Quænam igitur sit vera causa peccati? Præ rabie enim in nostros doctores, hoc necdum dixit, nec dicere potuit.

Defensio.

Sæpenumero dixit, ex suâ, & Augustini sententia,

esse diabolum, & malam hominis voluntatem, à creatore recedentem: nullum penè caput est, in quo non dixerit.

Ignis iniuria in Bellarminum.

De rabie, quod furit, iam sæpe Deum hominesque testatus iterum obtestor, Bellarmino fieri atrocem iniuriam. Omnes Catholici veteres & noui, Lutherani, Mennonistæ, Caluinistarum moderatores cum Bellarmino contra rigidos Caluinistas sentiunt, an omnes illos Hecuba illa Silesia habet pro rabiosis canibus?

Si igitur & tu, & omnes necessario vtimini, etiam in horridissimo flagitio crudelis sententiæ, hac permissione, quid supplicii, vel reprehensionis meruit Illustrissimus Bellarminus, quod de eâ accuratè disputauit? An tractatio illa in Bellarmini tomis est struma, in tuorum volusianis chartis gemma? Non igitur verum, inquiris, sed conuitiaris orthodoxis, perpetuâ vsus dissimulatione, quasi vnus Bellarminus cum Sociis id in Caluino, Bezâ notent quod in eisdem plurimi & eminentissimi tuorum, quod tota antiquitas, quod omnes extra rigidos Caluinistas, cœtus detestantur, abominantur, quæ vt lector æquus agnoscat, iterum rogo, vt ea quæ de Idolo Eleusio Gebennensi diximus initio, & paulo post initium, perpendere dignetur.

DE-



DEFENSIO LIBRI TERTII DE STATU PECCATI,

QVI EST DE PECCATO *primi hominis*

Contra castigationes & explicationes Dauidis Parei.

1. *Institutum huius libri.*
2. *Disputatio huius libri non est inanis, sed etiam Caluino teste arduæ quæstionis.*



LAboratum est libro præcedente ab aduersario, vt ex duritiâ frontis fidem Lectori faceret, & dissimulatis hostibus domesticis, rabioso morsu, quasi solus vndam turbaret, impeteret Bellarminum Cardinalem: nunc lentiore veneno, fatigatus quasi per lusum cauillatur, se, suosque refellens, tanta est vis consuetudinis, tanta dulcedo maledicendi, sic desperatâ victoria arcuatum ictum in sese vertit scorpius, nodisque suis virus intimat, quod aliorum mortibus destinarat, vt iustissimo reciprocatu tandem violentiam caudæ, mortiferam etiam sibi, experiri se ipse cogat. Verum ad quod venimus, agamus.

Bellarminus.

Institutum huius libri. Disputatum est libro superiore, de causa peccati primi hominis primariâ: nunc de ipso peccato disserendum erit. Ac primum de tentatione præuiâ; Deinde de ipsâ culpâ; Tum de pœnitentia; Postremo de pœnâ, & consequentibus malis.

Pareus pag. 437.

Liber præcedens fuit calumniarum: iste vanitatum plenus est, in quo præter pauca nihil vtilis doctrinæ reperias. De peccato primi hominis instituit disputare Bell. Huc igitur quæstio de causa efficiente, seu deficiente primi peccati pertinebat, quam libro præcedenti tractauit calumniosissime, nec explicauit tamen. De ea nunc mussitat, & verbum non facit. De serpente disputat qualis fuerit? de primo peccato quid fuerit, superbiane, an infidelitas? veniale esse potuerit, annon? Grauius Adam, an Heua peccauerit? & alia id genus sophistarum suorum curiosa Leptologemata: quæ cum inter pios, nec vsum, nec quæstionem habeant, neque ad pietatem, vel contra nos, quos solos instituit iugulare, quicquam faciant, omnia taceri poterant, nisi & ingenium ostentare, & chartas multas complere voluisset aduersarius. Præcipuum erit de pœna primi peccati: de qua tamen concionabitur potius, quam aduersum nos disputabit. Nos igitur totum hunc librum leuiori brachio perstringemus, vt ad magis controuersa, & necessaria properemus.

Defensio.

Triplex accusationis caput: Primum, Calumniarum libri præcedentis. Alterum, omissæ à Bellarmino quæstionis quam instituerat. Tertium, de vanitate leptologematum Bellarminianorum. Sed vnus nocendi modus, vincere mentiendo veritatem velle.

Testes plu- Ad primum enim, defensionis exordio, pro libro

cum

secundo responsum est, testesque producti, ad quos cum Bellarminum calumniæ accersit. semper appello, quandoquidem ipse eos reiicere non potest. Nunc auctarium adiicio, ne sine mercede se queri posit, esse mentitum.

riani Bellarmin ... defe...

Iacobus Arminius in Academiâ Lugduno-Batauâ erudiendæ iuuentuti præfectus anno 1607. suæ sententiæ declarationem coram statibus Hollandiæ, &c. edidit, in ea compendium est libri tertii Bellarminiani. Illud nemo diabolicæ calumniæ accusauit, imò verò ordines amicissimos habuit Iacobus, testibus eius nouem liberis orphanis, qui iisdem ordinibus, vt Arminianæ sententiæ patronis collationem cum F. Iunio institutam dedicarunt.

Compend... Bellarm... ab Arminio factum.

Hanc, inquiunt collationem, quia & præcipuum Sanctæ Theologiæ caput explicat, qualis enim prædestinatio, talis & Religio: & quia inter duos excellentes doctrina viros instituta est: & ingentibus votis hactenus, multumque expetita, suasu amicorum paternorum, cum in lucem edere decreuissemus, & patronus aliquis huic operi quæreretur, inscripsimus vobis Illustres, & Magnifici Proceres, quorum & moderatio Christiano orbi, iam pridem nota fuit, & nuper constitutis decretis Ecclesiasticis magis adhuc emicuit, & affectus in Patrem nostrum tantus, dum vixit, fuit, vt vel illius memoria partem aliquam luctus nostri, dolorisque leniamus.

Ordines Hollandiæ à rigido Caluinismo recedunt.

Nauiter illa omnia orthodoxis & Bellarmino patrocinantur. Si enim Synopsis libri Bellarminiani nec falsitatis, nec calumniæ ab ordinibus fœderatarum prouinciarum Belgii damnata est, si eiusdem prolixior in collatione Iulianâ defensio ordinum patrocinio defenditur, si tantus tot procerum in Arminium affectus, si tanta illius ad controuersias in religione componendas crebro

adhibiti auctoritas, si ille vir INCOMPARABILIS, & tamen stans à Bellarmino horridam primogenii furoris, quo Zvvinglius insaniebat, heresin instanter accusat, eadem illi obicit, quæ Bellarminus, & ex Bellarmino, iniuria igitur ea ob dicta tam atrociter Cardinalis exagitatur, ob quæ Arminius & vir bonus, & Theologus iudicatur, & à moderatoribus reformatarum, vt vocant, Ecclesiarum amatur, defenditur, nec aduersæ partis desinit esse frater. Compendium, qui forte desiderat, à §. 12. descriptum inueniet.

Ad secundum. Toto libro secundo, & tertio ita luculenter ostenditur, non Deum, sed Satanæ, hominisque malam, & libere malam voluntatem, quod & libro primo, ipsa definitione expressum fuit, & declaratum, causam esse peccati, vt vel clausis oculis inueniri queat.

Ad tertium. De vanitate λεπτολογημάτων importuna, & inutilis accusatio. Quas enim vanitatis & Sophisticæ λεπτολογίας infamat, quæstiones, sunt. *Qualis fuerit serpens? Quod primum peccatum? anne superbia? an infidelitas? an potuerit esse veniale? Grauius Adam an Eua peccarit?* Nam alias; *An fidem primus parens amiserit? Quomodo Adam non fuerit seductus? An primi hominis peccatum fuerit omnium grauissimum? Quæ pœna peccati primi?* nemo, ne stultus quidem, inanitatis accusarit.

Quæstiones Bellarmini non esse Sophisticas.

In cæteris etiam aduersarius non aliquod Cardinalis delictum, sed maleuolentiam suam, eamque rudem, mundo patefacit. Disputationes illæ sunt Augustini, & veterum, sanctorum, grauissimorum Ecclesiæ doctorum, Confessorum, Martyrum, quos Hecuba nostra Sophistas, λεπτολόγους vocet, necesse est, aut se odio veritatis abreptum, in Bellarminum easdem quæstiones versantem, sine iudicio

dicio incurrere fateatur. Deinde eædem quæstiones à Gentilibus, Manichæis, atheis, Politicis, Fanaticis, agitantur, Denique à Caluino, Caluinistis, ipso Pareo. Cur igitur soli Cardinali, & Catholicis silentium imperatur? An solis nobis, quibus prisca veritas cordi est, loqui non licet, vt nouitatum vanitates absque metu correctionis possint esse loquaces? Non patiemur nobis hos palos figi.

Caluinus, *multas emergere, & arduas ait, quæstiones, ad decipiendum hominem adductum, sed sua ipsius malitia.* **Eadem Caluino ardua quæstiones.**

Pergit deinde de eodem disputare, minus rectè, sed tamen penè more Bellarminiano, idem Caluinus in v. 3. & 6. Quodnam fuerit *primum peccatum* inquirit, de cæteris alij, & ipse Pareus multa, nos in singulis id demonstrabimus, nunc morbum notasse satis est eius, qui odio cæcus vocat Leptologemata, quæ Caluino sunt arduæ quæstiones. Et reuera arduæ, nam disputatur quomodo generis humani status vno in Colloquio, vno in pomo mutatus sit, vnde originem habuerit, quam experimur, infelicitas. Verè arduæ & multæ, quibus olim homines improbi, & callidi fidem simplicium succutiebant. Verum nunc ad rerum ipsarum tractationem accingimur.

CAPVT I.

1. *Quidam negarunt primos parentes peccasse.*
2. *De certis docendi causa quæritur.*
3. *Quomodo iusto non est lex posita?*
4. *Dona supernaturalia primus homo habuit.*
5. *An lex damnet Caluinianos.*
6. *Deprauat Aduersarius Ambrosium.*
7. *A lege Moysis sumus liberati.*

De tentatione, quæ peccatum primorum parentum præceßit, quodque primi parentes verè peccauerint.

Bellarminus.

Quidam peccasse negaunt primos parentes.

NOn defuerunt, qui asseruerint primos parentes neque peccasse, neque peccare potuisse, ac ne tentationi quidem, quæ ad peccandum inducat, obnoxios vlla ratione fuisse. Lutherus comm. in gen. 1. *refert fuisse quosdam, qui legem positam primis hominibus negarent. Confirmabant id ex Lutheri principiis* 1. *Tim.* 1. 9. *Iusto non est lex posita.*

Pareus pag. 439.

1. *Totum caput est frigidum. Nam cum factum testetur sacra historia, frigidè quæritur an fieri potuerit? Quis cerebrum hominis non admiretur?* 2. *Non dixere fanatici illi non potuisse tentari, peccare primos homines, sed legem illis non fuisse positam.* 3. *Ex* 1. *Timoth.* 1. 9. *Fanaticus ille colligebat non esse peccatum originale, non autem primos parentes non peccasse &c.*

Defensio.

De certis docendi causa quæritur.

Iuris, & moris ignarus Aduersarius, adeo frigido capite differit, vt pro cerebro peponem, aut cucurbitam, nisi quâ bile incalescit, fouere videatur.

Non primò multa scriptura esse facta testatur, de quibus an facta sint, quæstionem ponit doctorum nō incredulitas, nec dubitatio, sed prudēs ad incredulos reuincendos, & ignaros erudiendos dexteritas, ideo quærunt, vt doceant, non quia vel nesciunt, vel non credunt. An non omniū illa docētium cōsuetudo est vsitatissima? Nōne inter innumeras quæstiones, quas Catechesis Haidelbergensis proponit, sunt & hæ: *An sit*

sit peccatum in nobis? An sit Deus? An Deus creauerit mundum? An aliqua sit prouidentia Dei? An Christus resurrexerit? An sit futurum iudicium? An sit prædestinatio? taceo similes. Sibi igitur ista canat: *Quod cum factum esse sacra historia, & euentus testetur, non minus frustra quæritur an fieri potuerit, quam an mundus, quem à Deo creatum esse constat, creari potuerit.* Quæ facta enim sacra historia testatur, ea fieri potuisse negabant philosophi, athei, hæretici. Negant ijdem hodie eadem, ideoq; multæ & prolixæ, imò necessariæ quæstiones de his proponuntur & dissoluuntur. Si nihil docendi causâ quærendum, quod scriptura testatur, desinant illæ quas è Parei Catechismo proposui quæstiones, aut laudetur Illustrissimi Cardinalis in refellendis Fanaticis vsitata sollicitudo.

Ad secundum, & tertium: Exertè docuit ille Fanaticus: *legem protoplastis non esse positam*; hoc mendacium sua fronte propositum, indiuiduo nexu, sed latenter insequitur, quam initio texit, blasphemia; *ne potuisse quidem peccare, vel tentari hominem.* Si enim nulla lex, seu νόμος, neque igitur ἀνομία, seu legis præuaricatio, nec ergo ad præuaricationem excitatio. Nam vt absque lege non est præuaricatio, ita nec præuaricandi tentatio est, nec esse potest.

Si iusto non est lex posita iuxta sententiam Caluinianam, non potest peccare.

Hinc apparet, quomodo ex Lutherianis principiis Libertinismo data sit occasio. Non quòd apostolica sententia: *Iusto non est lex posita*, nouitio faueat errori, sed quod deprauatio eius Αντινομίαν & confusionem recti & iniqui efficiat. Sed de eius loci expositione posterius. Nunc quid eorum interpretationem sequatur, videamus. Docent illi nos liberatos esse à maledictione legis, *Lex nos*, inquit Philippus, *obligat ad obedientiam, vel ad pœnam, & pœna à filio persoluta est. Liberati sumus à maledictione legis moralis, quia filius Dei persoluit λύτρα &c.*

Non

Non acccusat, non damnat lex reconciliatos, abrogata est lex, quod ad maledictionem attinet, non quod ad obedientiam attinet. At iusti erant illi, non ergo lex posita quoad pœnam. Et Pareus: *Lex igitur dominatur viuis, non mortuis, quia viui illam præstare, vel violare possunt, non mortui.* In comm. in Ep. ad Rom. 7. Deinde exemptos iustos esse vult ab execratione *actiua, passiua.* Liberi ergo & illi.

Bellarminus.

Peccasse eos pœna demonstrat, nec fuit illa ex naturâ cibi, qui bonus erat, & ostendit Ecclesiast. cap. 25. Paulus Rom. 5. & 6. & 8. Deniq; illa dona immortalitatis erant supernaturalia, à Dei igitur amicitia, non cibo aliquo pendebant.

Pareus pag. 442.

Primò, Interponere non debuit Canonicis Paulinis apocrypham auctoritatem Siracidæ. Secundò, Fanatici suo gladio iugulare Aduersarium possunt, nam ait de grat: primi hominis cap. 5. mortem non esse à culpa nisi per accidens, per se verò à conditione materia. Tertiò, supra ostendimus immortalitatem non fuisse supernaturalem.

Defensio.

Liber Sirach Canonicus. Ad primum. Non possunt tenebræ illæ tam fœdâ tergiuersatione, colorari, de libro Siracidæ nunc disputandi locus non est, vtitur eius auctoritate, quæ veteri Ecclesiæ fuit authentica, qua Augustinus septuagesies & amplius vsus est.

Mors à peccato. Ad secundum. Mendacium loco citato retudi: Mors est à peccato, vt causâ morali meritoriâ per se: ab eodem vt remouente prohibens, per accidens; ex conditione materiæ, vt causâ physicâ effectrice, de quo c. 8. lib. de gratiâ primi hominis.

Dona supernaturalia primus homo habuit. Ad tertium. Cur non addis, vt impudentiam probes esse constantiam, ne potuisse quidem esse dona supernaturalia, vt cum Pelagio sis, vt negator gratiæ

tiæ, ſic refragator omnipotentiæ cum Manichæis? verum hac de re ibi quoque & c. 5. reſponſum eſt , ex ſcripturâ, ratione, Patribus, nunc tuis erroribus aduerſantem audi magiſtrum tuum Caluinum, l. 2. Inſtit. c. 2. §. 12. *ac illa quidem vulgaris ſententia, quam ſumpſerunt ex Auguſtino mihi placet, naturalia dona fuiſſe corrupta in homine per peccatum, ſupernaturalibus autem exinanitum fuiſſe.*

Bellarminus.

Si peccatum præreq uirit legem, & lex peccatum; nam *iuſto non eſt lex poſita.* Igitur peccatum prærequirit peccatum, & ſic peccatum nullum eſt primum: ideo nullum omnino. cœperit enim oportet.

Pareus pag. 443.

Lex non ſemper prærequirit peccatum.

Defenſio.

Optimè equidem, ſed inter ſcopulum tamen, & ſinum deſtituis Lutheranos. Si enim lex ponitur iuſto, & pœna violatori, non ergo ſecundum illam ſcripturæ corruptricem interpretationem accipienda eſt ſententia Apoſtoli, cum dicitur: *iuſto non eſſe poſita lex*, vt iuſtus dicatur liber ab omni legis execratione actiuâ, paſsiuâ. Nam & primos parentes lex valde iuſtos tenuit, & pœna, legis violatione factos iniuſtos, validè perculit. *Iuſtus non liber à pœna.*

Rectè quidem Pareus de lege, peccatores damnante, intelligit, vt neget Paulus hanc eſſe poſitam iuſtis, ſed hic tamen ineuitabile præcipitium miſero. Quærimus enim, *An peccatores ſuæ iuſtitiæ certos, lex illa damnet*? Si damnat, tollitur omni peccato certitudo: ſi non damnat, nullo peccato tollitur iuſtitia, nulli imponitur pœna. Si enim iuſtus Dauid legem non habet, adulterio non redditur legis tranſgreſſor. *An lex damnet Caluinianos.*

Pareus pag. 444.

Ambroſii, & Auguſtini mentem deprauat; Nam Ambroſius nec tabularum, nec renouationis mentionem

nem facit. Deinde Ambrosius in Epistolam illam, ait legem non positam ad iustificationem acquirendam. Eodem modo Augustini sententia, non est lex iusto posita, *quia non est ex ea iustificatus. Itaque* lex non est iusto posita, *quia iustificatus est ex fide, deinde non est posita ad coactionem, damnationem.*

Defensio.

Maledicere non est, vt ipse putat, bonæ conscientiæ. Verba Bellarmini sunt: *Sanctus Ambrosius in expositione Psal. 36.* tractans versiculum illum: lex Dei eius in corde ipsius, docet verba Apostoli (*iusto non est lex posita, sed iniustis, & peccatoribus,*) debere intelligi de renouatione legis, quæ fit quando scribitur in tabulis, aut libris. Lex enim non ponitur in tabulis propter iustos, qui legem seruant, & eam in corde fideliter retinent iuxta verba Psalmi, *lex Dei eius in corde ipsius*; sed propter peccatores, qui legis obliuiscuntur, & ita viuunt, ac si legem non haberent. Vnde idem Apostolus cum ait, *sed iniustis*, græcè posuit ἀνόμοις, id est, exlegibus. siue legis præuaricatoribus. Ex quo apertè significauit legem non ideo poni iniustis, quia non tenerentur etiam antea lege, sed quia obliti erunt legis; nec ideo non poni iustis, quia iusti carere debeant lege, sed quia legem in corde se habere per opera bona testantur. Potuit igitur primis hominibus in statu innocentiæ dari lex tum naturalis; tum etiam positiua, sed non fuit opus renouatione, aut descriptione in tabulis lapideis. Quod propter iniquos postea factum est, vt peccatum cognosceretur, vt Apost. disputat Rom. 7. Verba S. Ambrosij. *In corde iusti lex est Dei. Quæ lex? non scripta, sed naturalis. Iusto enim non est lex posita, sed iniusto. In corde eius lex est, non perfunctoriè sicut in labiis Iudæorum. Corde enim creditur ad iustitiam, qui credit, & loquitur; qui autem*

Lex in tabulis & in corde.

Quomodo lex iusto non est posita.

autem loquitur non continuò credit. Denique non credidit populus, de quo dictum est: Populus qui labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Si igitur gentes, cum ea, quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex, cognoscentes quæ sequi debeant vel cauere, quanto magis fidelis, & iustus qui ad imaginem, & similitudinem Dei viuit, decora nouit, & honesta discernere, & vti legitimo quodam naturalis sapientiæ gubernaculo, ne eius supplantentur vestigia, sicut Esau, quem propter gulæ auiditatem frater supplantauit, vt caderet, atque in mortem vestigia eius effudit? Quo magis iustus est quisque, eo magis illi insidiatur inimicus: & ideo ait Scriptura. Considerat peccator iustum, & quærit perdere eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.

Cum ait Bellarminus; *Lex non ponitur in tabulis*, id est, quod dixit Ambrosius: *Non scripta, sed naturalis.* Ad renouationem pertinent illa: *In corde eius lex est, non perfunctorie,* &c. Renatos enim & eorum nouitatem, opponit vetustati Iudæorum labijs solis Deum laudantium.

Pareus pag. 444.

Cur non potius protulit Ambrosij, interpretationem ex commentario Epistolarum Paulinarum, vbi locum Apostoli ex professo interpretatur *de iustis fide,* & negat his *legem esse positam*, nempe ad iustificationem, sed ad quærendam ex lege iustitiam, *quia,* inquit, *accepta remissione peccatorum, iustificati sunt dono Dei per fidem Christi.* Quæ interpretatio euidenter facit pro iustificatione fidei, quam nos docemus, contra iustificationem operum, quem Aduersarius infra defendet.

Defensio.

Aut mendacium est in radio solis scriptum, aut

supi-

supina ignauia non visæ, quam allegat, citationis. Verba Ambrosij sunt: *Bonam esse legem, quæ per Mosen data est, non negat; ita tamen vt sensus eius sciatur, & quomodocunq; data est, accipiatur. Hic enim scit legem, & qua causa data sit, qui prædicato Christo deserit illam ex parte, qua lex factorum appellatur: circa dilectionem autem Dei vtitur ea; asserens & affirmans quæ à Saluatore dicta sunt in lege, & Prophetis. Hic enim legitimè vtitur lege, qui potest discernere ea, quæ ad tempus data sunt ab iis, quæ perpetua sunt: & quæ ad Christi pertinent Sacramentum, seruari iam in futurum non oportere, quasi venturus credatur qui iam venit. Si enim omnia locis suis accipiantur bona sunt: si quo minus, mala erunt peruersè asserenti. Peccare enim est, vnaquæque minimè locis suis exponere. Præterea quia iustis lege non opus est, id est, iis qui accepta remissione peccatorum iustificati sunt, nec iam viuunt sub lege, à qua liberati sunt dono Dei per fidem Christi, vt de cætero seruata legè naturæ, quæ creatoris cognitionem recipit, & non peccare hortatur; iudicij diem expectent, in quo iusti remunerandi sunt, custodientes legem naturalem: quam si humanum genus ducem habuisset, lex in literis per Mosen data non esset. Sed quia contemptui ducta est, quasi nullius esset auctoritatis, scriptura firmata est, vt sciretur quod seruanda esset, & propter tempus præsens, & quia requisiturus est in futurum, qui illam firmauit; à quibus neglecta, & à quibus seruata est. Itaque non solum propter malos actus, & vitia corporis legem datam dicit, sed & propter perfidiam, qua spernebant creatorem, vt benè viuere addiscerent, & gratias agerent conditori.* Verum non citauit hæc Bellarminus, quia illi commentarij non sunt Ambrosij, illi in Psalmos sine controuersiâ sunt Ambrosij. Distinguit ille legem Cæremonialem à naturali; Iustis negat esse legem Mosaicam Cæremonialem necessariam, quia liberati sunt à lege, ne viuant sub lege, videlicet

Deprauat aut non legit Ambr.

A lege Mosis liberati sumus.

licet cæremoniali, vt de cætero, seruatâ lege naturæ, &c. iudicij diem exspectent. Vt loci, cuius sensus controuersus est, intelligentiam lector percipiat, audiat Augustinum Psalmo 118. concione 11.

Apostolus dicit, iusto non est lex posita; iniustis autem & non subditis; &c. quæ ibi concludens ait: Et si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei; quod creditum est mihi. Nunquid ergo talis erat iste qui dicit; legem pone mihi Domine, qualibus Beatus Paulus dicit positam legem? Absit. Si enim talis esset, non superius dixisset, viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Quid ergo quod orat, vt sibi lex à Domino ponatur; si non ponitur iusto? An eo modo non ponitur iusto, quomodo posita est populo contumaci in tabulis lapideis; non in tabulis cordis carnalibus, secundum vetus Testamentum ex monte Sina, quod in seruitutem generat: sed secundum Testamentum nouum, de quo scriptum est per Hieremiam prophetam. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo domui Israel & domui Iuda testamentum nouum non secundum testamentum quod disposuit Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum vt educerem eos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus: quoniam hoc est testamentum quod constituam domui Israel. Post dies illos, dicit Dominus; dabo leges meas in mentibus eorum, & in cordibus eorum scribam eas; Ecce quomodo voluit iste legem sibi poni à Domino, non sicut iniustis & non subditis ad vetus testamentum pertinentibus posita est in tabulis lapideis: sed sicut sanctis filiis liberæ, hoc est, supernæ Hierusalem, filiis promissionis, filiis hæreditatis æternæ, sancto spiritu tanquam digito Dei in mente datur, & in cordibus scribitur: non quam memoria teneant, & vita negligant, sed quam sanant intelligendo, faciant diligendo in latitudine amoris, non in timoris

Quomodò iusto non est lex posita.

Tabulæ legis.

angustiis. Nam qui timore pœnæ, non amore iustitiæ opus legis facit, profectò inuitus facit. Quod autem inuitus facit, si posset fieri, mallet vtique non iuberi. Ac per hoc legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus, nec mundatur opere, qui immundus est cogitatione & voluntate. Talis non potest dicere, qaod iste dixit in superioribus versibus; Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, quia illa dilatatio charitatem significat, quæ secundum Apostolum legis est plenitudo.

CAPVT II.

1. *Bellarminus & Augustinus à calumnia vindicati.*
2. *Horrida sententia Piscatoris.*
3. *Cur Deus permiserit hominem tentari.*
4. *Quomodo Deus decreuit permittere?*

Cur Deus permiserit tentari hominem, quem sciebat casurum.

Bellarminus.

ZVVingliani docent, non solum permißione, sed ordinatione Dei tentatos, quos superiori libro refutauimus.

2. Prosper l. de vitâ contemplatiuâ videtur fuisse in eâ sententiâ, vt dicat tentationem præcessisse superbiam occultam, idemque sensisse Augustinus lib. 11. de Gen. ad liter. c. 10. Verum Augustinus intelligendus est de tentatione vincente. Nam c. 5 inquit, *Nec arbitrandum est, quod esset hominem deiecturus ipse tentator; si non præceßisset in anima hominis quædam elatio comprimenda. Sic etiam intelligi potest Prosper.*

Pareus pag. 449.

Calumnia est prima, Nos ista docere. Secunda, nos dicere Deum lapsum decreuisse, hoc est, approbasse. Tertia, Zvvinglium docere lapsum fuisse necessarium, vt iustitia cognosceretur. Quarta, Caluinum docere hominem oportuisse labi, quia Deus non potuerit aditum patefacere misericordiæ &c. Deniq; non negamus absoluta potentia aliter euenire potuisse, sed hanc fuisse diuini consilij viam conuenientissimam.

Nostris dimissis sugillat Augustinum, & Prosperum, eosque pruriente cauillandi libidine vellicat.

Defensio.

Ad quatuor calumnias, quas innocenti Bellarmino impingit, quod attinet, fidenter appello ad eam quam initio, & paulò post initium libri tertij posui testificationem. Si nocens est Cardinalis, cur eiusdem noxæ non est eadem tractatio? totus orbis, si paucos horridæ sententiæ asseclas excipias ab eo stat. Quid ad veritatis antistites, si tu nomen tuum blasphemijs illis, vt timor, & pudor non sinat recedere, obligasti? Laudo quòd hoc loco solum permissionis decretum agnoscas, quòd hoc inconstanter facis, meritò culpo, quòd illo artificio Doctorum tuorum absurda celare te credis, mihi crede insanis. *Bellarminus vindicatus a calumnijs.*

Quid enim, vt veteres taceam; respondebis ad multa Piscatoris? Vnum producam, Sect. 70. Etsi Deus vult (per naturam scilicet) aliter fieri posse, quæ ipse decreuit vt fiant, tamen quia decreuit vt fiant, adhibet etiam potentiam suam vt fiant. Vide & Sectionem 102. *Piscatoris horrida sententia.*

De Augustino & Prospero solent ità nonnulli sentire, vt retulit Bellarminus, ideo ipse; Videri, ait, hanc esse eorum sententiam: Deindè rectè illam interpretatur, adeo vt eius interpretationem Pareus

tacito nomine dictarit: si enim fateretur Patres illos verâ explicatione à Cardinale defendi, verum quidem ipse diceret, calumnia tamen concideret, quâ dicit: Augustinum & Prosperum sugillat, *pruriente cauillandi libidine vellicat.*

Bellarminus.

Cur Deus permiserit hominem tentari?

Augustinus tria docet. 1. Nullam fecisse Deum homini iniuriam, quod tentari permiserit. 2. Primariam causam permissionis Deo soli notam esse. 3. Rationes illas probabiliter reddi posse, quia id requirerent, omnipotentia, prouidentia, misericordia & iustitia Dei, pulchritudo vniuersi, & ipsa hominis gloria, atq; vtilitas.

Pareus pag. 452.

Hoc est illud, auditores, ad quod toties aduersus Bellarmini calumnias in nostros Doctores appellauimus. Hinc enim duas habemus demonstrationes. Quod requirebat Dei omnipotentia, prouidentia, misericordia, iustitia, pulchritudo vniuersi, & ipsa hominis gloria, atque vtilitas, id Deus ab æterno non solum præuidit, sed infallibiliter etiam decreuit vt fieret: secus tam Dei, quam hominum gloria periclitari potuisset: & de aliquo Deus consilium non fecisset, quod ad gloriam eius requirebatur, at hominis tentationem, & lapsum REQVIREBAT tum Dei omnipotentia &c. Ergo ab æterno decreuit.

Altera, si decreuit Christum redemptorem, ergo & lapsum. Qui enim decreuit consequens, oportet vt decreuerit antecedens.

Defensio.

O quanta est, Deus bone, cupido bellandi, vbi verbulum vnum materies idonea triumphi toties repetendi putatur? ô quanta Parei gloria, si vel vnum verbum de ingentibus Bellarmini Tomis eruisset, quo videretur, vel lapsu linguæ, Caluinissare?

Εὔρηκα

Εὕρηκα clamat Pareus. Sed quid? Thesaurum, vt aiunt, Carbones. Quantum à terra cœlum distat, tantum à Caluinisticâ blasphemia huius etiam loci sententia.

Nam vt Dei misericordia & iustitia ostenderetur, conueniens erat illa permissio, vt facto ostenderetur, requirebatur. Quid hoc aliud est, quam dicere: vt Deus miserendo subueniat misero, requiri, vt miserum fieri permittat, vt iure puniat sceleratum, requiri vt permittat scelus? Non quòd absolutè vel misericordia miseriam, vel iustitia malitiam requireret, sed quod actus miserendi & vindicandi sine delicto creaturæ futuri non essent.

Augustinus & Bellarminus vindicatus à Caluinismo.

Rectè se explicat Bellarminus: §. Quemadmodum. *Quamuis ex peccato omnipotentia Dei id bonum eliciat, non tamen propterea peccata necessaria fuerunt, &c. Alia enim ratione cognosci hæc potuerunt. Sic etiam Aduersarius: Non quòd aliter decernere non posset, sed quod hæc ratio maximè videretur conueniens diuinæ sapientiæ, seu quòd Deo placeret.* Itaque statuit creaturam suæ libertati permittere, peccata sinere, ex illis bona illa deducere. In Augustini igitur sententiâ, ne momo quidem quod carpat, superest.

At sæuioris Caluinismi mens longè horrentior. Atrox enim idolum gloriæ suæ decreuit impendere supplicia damnatorum nullo culpæ respectu, sola voluntatis immanitate. Huic fini media destinauit, decreuit, approbauit figmenti sui perpetuam, grauissimamque miseriam. Non solum statuit permittere, quod se non impediente, prævidebat operaturas esse malas voluntates, sed voluit impellere, imperare, cogere, delectatus iniquitate vt gloriæ suæ materie necessariâ. *Sicut ægrotus*, inquit Piscator, *non vult per se amarum potum bibere, quippe quo non delecta-*

tur, sed potius eum auersatur: & tamen vult eum bibere propter aliud nempe vt consequatur sanitatem: ita Deus iniquitatem non vult per se: quippe qua non delectatur, sed potius eam auersatur, interim tamen vult eam propter aliud.

Piscatoris Deus non modo vult permittere peccatum, sed etiam vult vt fiat.

Nec modò permittit Deus Piscatoris, sed volendo permittere vult fieri. Vorstiana thesis est: *Peccatum nullo modo Deus ab aliis vult fieri.* Piscatoris antithesis: *si Deus peccatum nullo modo fieri vellet, non permitteret fieri, sed impediret: cum impedire possit.* Responsio Vorstij est: *Permissionem esse voluntariam. At ista explicatio,* inquit Piscator, *euertit thesin: Nam si Deus volens permittit, vt peccatum ab aliis fiat, vult igitur vt fiat. Nam nisi vellet, non permitteret.* Ecce tibi Piscatoris Idolum, vult peccata permittere, permittit, sed non vellet permittere, si non vellet fieri. Elidit igitur, quicquid pro suorum defensione de permissione dixit lib. 2. Pareus.

Ad argumenta Aduersarij responsio facilis. Maior falsa est. Quod enim ex hypothesi requirebat omnipotentia, misericordia, &c. Satis erat decreuisse permittere, permissum in illa bona ordinare. Nec Dei gloria inde periclitabatur, tum quia aliâ ratione cognosci illa attributa poterant, tum quia quod permittere decreuit, præuiderat euenturum, non inferens præuidendo necessitatem vt fieret, sed quod ex causâ libera contingenter erat futurum cognoscendo.

Quomodo Deus decreuit permittere.

Nec aliter respondere Aduersarius potest, semper enim ingerit Deum peccata vt peccata permittere decreuisse, & tamen Sect. 102. *peccato opus habuit Deus*, vt sentit Piscator, in amicâ collatione. Et sanè *peccato vt peccato*, vt probatum lib. 2.

Alterum argumentum omnino impium est, vel ine-

ineptum. *Decreuit liberatorem, ergo lapsum.* Decreuit consequens, *ergo antecedens.* Impium est, si de eodem genere decreti agit. Nempe: decreuit Christum redemptorem decreto approbante, efficiente, ergo eodem etiam lapsum. Hoc ne Piscator quidem etsi dicat, fateri audebit esse suam sententiam. Irrefragabiliter enim sequetur. Decreuit Christum redemptorem, vt liberet à peccatis, qua mala, quâ peccata sunt, idque decreto approbationis, effectionis, non modò permissionis.

Impietas argumenti Caluiniani.

Decreuit consequens, hoc est, λύτρον & remissionẽ peccatorũ efficere, probare, amare, eodem ergo decreto peccata prędefiniuit, quæ si nunc palá memorat Aduersarius, gratias habemus, quod personam quam libro præcedente sumpserat, incautus deponat, neq; verborum nebulis Molochum suum inuoluat. Sequitur verò & illud: Damnationis pœna est consequens, Peccati culpa antecedens, Pœnam decreuit effectiuè approbatrice voluntate, Igitur & culpam.

Ineptum est, si de alio atq; alio decreto loquitur, nihil enim contra nos, vel fratres suos Caluinistas efficit illa argumentatio: Decreuit peccata remittere, ergo decreuit permittere, decreuit consequens, hoc est, salutem, ergo decreuit antecedens, hoc est, peccata, scilicet permittere. Si igitur hoc sentit, suos deserat, nec mox postico relabatur, timore vel pudore longæuæ errationis, latebras quærens, sciat laudabile esse à veritate vinci, turpe ita fluctuare, vt alibi blasphemiam apertè præferas, interdum neges.

CAPVT III.

1. *Ophitæ hæretici.*

2. *De serpente varii errores.*
3. *Fuisse verum & naturalem serpentem.*
4. *Serpentem tentare Deus permisit, & hunc solum.*

De serpente, qui Heuam seduxit, quod verus & naturalis fuerit serpens, quodq́; per eum diabolus sit loquutus.

Bellarminus.

SEquitur vt de primorum hominum tentatore pauca dicamus, præsertim cum & hanc doctrinæ partem hæretici variè deprauarint.

Ophitæ hæretici. Antiquissima hæresis à græca voce ὄφις, qua serpentem significat, Ophitarum fuit, cuius meminerunt, Irenæus lib. 1. de hæresibus ca. 34. Tertullianus in lib. de præscriptione aduersus hæreticos c. 47. Clemens Alexandrinus l. 7. Stromatum, Epiphanius hæresi. 27. Hierony. in dialogo aduersus Luciferianos, August. in lib. de hæresibus c. 17. Philastrius, Theodoretus, Damascenus, & alij, qui de hæresibus scribunt. Hi docebant, sapientiam Dei serpentem illum esse, qui primorum hominum oculos aperuit, vt bonum, malumq; dignoscerent. Idque fecisse in odium creatoris, cui ipsa contraria esset.

Varii errores de serpente qui tentauit Euam. Eundem errorem postea docuit etiam Manicheus (Augustino teste in libr. de hæresibus, cap. 46.) qui serpentem illum Christum esse volebat. Origenes etiam more suo ad allegoriam omnia, quæ absurda illi videbantur transferens, per serpentem delectationem intelligi voluit. Primò enim delectatio sensum quasi Heuam, titillat & seducit. Deinde sensus men-

mentem, hoc est, Adamum ad consentiẽdum, & peccandum inflectit. Vide Ambrosium libro de paradiso, cap. 2. vbi hanc sententiam, tacito nomine Origenis refert. Nec defuerunt (teste Procopio in cõment. 3, cap. Geneseos) qui asseruerunt diabolum induisse corpus phantasticum ad similitudinem serpentis. Iulianus denique (vt est apud Cyrillum lib. 3. In Iulianũ) narrationem Mosis de serpente fabulosam omnino fuisse contendit, eo præsertim nomine, quod serpens humanâ voce loquutus fuisse perhibeatur.

Cæterum verum illum, & naturalem serpentem fuisse, sed per eum diabolum esse loquutum, tam ex literis sacris perspicuum est, vt vix vlla probatione opus esse videatur. Nam quæ dicuntur cap. 3. Genes. de pœna serpentis, quod maledictus sit super omnia animantia, & bestias terræ: quod super pectus suum gradiatur; quod terram comedat; quod inimicitia perpetua sit inter filios Heuæ & serpentes: apertissime in verum & naturalem serpentem quadrat, vt notum est; In sapientiam Dei, vel delectationem nulla ratione conueniunt. Quocirca summo consensu sancti Patres docent, verum illum serpentem fuisse, vt Chrysostomus homil. 16. In Gen. Basilius in oratione quod Deus non sit auctor malorum. Epiphanius in hæresi Ophitarum, Augustinus lib. 2. de Genes. cap. 2. & alii.

Fuisse verum & naturalem serpentem.

Non autem ipsum per se mutum serpentem, sed diabolum per eum esse loquutum, testatur liber sapient. cap. 2. his verbis: Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Testatur etiam Christus Ioan. 8. cum ait: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit. Homicida enim ab initio non aliter fuit, nisi

quia primos homines, vt loquitur S. Leo, veneno suæ mortificauit inuidiæ. Testatur quoque S. Ioannes in Apocalyp. cap. 20. Vbi non alia de causa diabolum vocat serpentem antiquum, nisi quia diabolus initio serpentem induit. Testantur denique omnes Patres, tum ii, qui librum Geneseos interpretantur, vel quæstiones in eum scripserunt, vt Hieronymus, Theodoretus, Eucherius, Beda, Rupertus, Chrysostomus & Augustinus, tum etiam Cyprianus in sermone de zelo & liuore, Basilius in oratione, quod Deus non sit auctor malorum, Ambrosius in libro de paradiso, Cyrillus lib. 3. in Iulianum, & alii passim.

Quod verò Iulianus serpentem loqui potuisse, fabulosum putat, recte reprehendit Cyrillus loco notato, cum apud Ethnicos, quorum opiniones Iulianus sequi se fatebatur, & equi, & fluuii aliquando loquuti esse credantur: Ceterum apud Christianos non existimantur animantia bruta per se loqui posse, sed posse tamen spiritus angelicos siue bonos, siue malos id per ora bestiarum facile præstare. Non enim serpens duntaxat spiritu diaboli plenus loquutus est, sed etiam asina Balaam, bono angelo eam mouente, hominis voce loquens prohibuit prophetæ insipientiam, vt loquitur S. Petrus in Epistola posteriore cap. 2. & nota est historia ex c. 22. Numer.

Pareus pag. 458.

1. *Dubitatio, an sponte, an quia aliud instrumentum non permittebatur, diabolus elegerit serpentem est vitiligatio friuola nam vtrumq; est verum.*

2. *Voluit Deus, inquit, vt diabolus id non faceret, nisi per serpentem: & hoc tamen vt blasphemum errorem in Caluino paulo ante reprehendit.*

3. *Ipsi etiam Mosi obstrepit impudenter, dicendo, satanam occultiore consilio, & maiore fraude per columbam, quam per serpentem seductionis negotium peragere potuisse.*

Defensio.

Quæstionem ad inania & curiosa λεπτολογήματα hanc paulo ante referebat: Refellit eum accurata apud Augustinum, Chrysostomum, Rupertum tractatio. Deinde nobilis scriptor Iosephus, qui multorum in manibus est, vel solus hanc exigit disputationem. Ille cap. 1. lib. 3. antiq. *Non modo serpentem, sed reliqua etiam animalia fuisse ait ὁμοφρονοῦντα, ὄφιν vero συνδιαιτώμενον τῷ Ἀδάμῳ, eum loquela & pedibus priuatum, venenum linguæ inditum*, profecto necesse tam in conspecto positos errores confutare. Tertio, *locum hunc*, vt Caluinus fatetur, *exagitant impii sannis suis, quia facundum animal faciat Moses, quod bisulca lingua obscure tantum sibilat; ac primum quærunt ex quo tempore tandẽ muta esse cœperunt animalia?* Denique gloriosus senex se in comm. gen. aliquanto hæc diligentius excussisse, quam hic à Bellarmino explicentur, falso iactat, à Bellarmino, Pererio, quæ vera ibi dicit, furatus est.

Iosephus animalibus νοῦν & loquelam tribuit.

Ad primum. Vtrum de duobus verum sit controuertitur, vtrumque esse non potest, vt scilicet, & diabolus sponte hoc organon elegerit, & Deus aliud cupienti hoc solum permiserit. Illa enim discrepantia est sententiarum, vna libertatem è multis eligendi facit, altera ad vnum restringit.

Ad secundum. Nominis est prælium, & virulenta calumnia, cui facile nostra veritas occurrit: Verba Bellarmini. *Sed probabilior videtur sententia Sancti Augustini lib. 11. de Gen. cap. 3. qui docet Satanam non fuisse permissum alio instrumento vti, quam serpentis ore. Cum enim mens diaboli eo tenderet, vt seduceret, facilius sperare potuit se consecuturum quod quærebat, si insidias tegeret, quã si aperiret. Tegeret autẽ si columbam, aut ouẽ assumeret, quæ sunt animalia naturæ simplicis,*

Serpentem tentatori Deus permisit.

plicis, & innocentis. Sed voluit Deus, vt si diabolus hominem tentare vellet, id non faceret nisi per serpentem? vt sicut diabolo permittebat tentare, ita hominem admoneret ex ipsa forma serpentis quem callidum animal esse non ignorabat, vt caueret insidias. Quod vero S. *Chrysostomus dicit diabolum quæsiuisse idoneum animal ad insidias faciendas, locum haberet. si ea calliditate, quæ naturaliter in serpente est, Heua decipi potuisset, sed cum non serpentis muti. sed diaboli ipsius astutia necessaria fuerit, ad hominem seducendum æque potuit diabolus per serpentem, ac per columbam, & vt diximus occultiore consilio, ac maiori fraude per columbam negotium seductionis peragere.*

Non voluit, non probauit Deus diaboli tentantis inuidiam, non voluit tentationem, si tamen humanæ felicitatis inuidentia, diuinæ maiestatis odio tentare ipse aggrederetur, voluit Deus vt non alio instrumento vteretur, alia negauit, hoc solum, quo cautionis admonerentur tentati, permisit. Non hoc decreuit, non iussit, sed permittere statuit. Aliud est velle, prædestinare, cogere, aliud non impedire. Voluit Deus eum non vti alio, nec tamen voluit vti illo, sed voluit aliud, voluit illud permittere.

Solus serpens permissus tentatori.

Ad tertium. Quo obsecro verbo impudenter Mosi Cardinalis obstrepit? Moses *per serpentem decepisse* scribit, Bellarminus *maiore, occultiore fraude per ouẽ, aut columbam fieri potuisse* censet, sed non illi hoc esse permissum. ita Augustinus lib. 11. ca. 3. de Gen. ad literam: *Nec sane debemus opinari quod serpentem sibi, per quem tentaret, persuaderetq; peccatum diabolus elegerit: sed cum esset in illo propter peruersam, inuidamq; voluntatem decipiendi cupiditas, Non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est. Nocendi enim voluntas potest esse a suo quoq; animo praua, non est autẽ potestas nisi a Deo, & hoc abdita altaq; iustitia, quoniam*

niam non est iniquitas apud Deum. obdura frontem, & dic Augustino *impudenter obstrepis Mosi.*

CAPVT IV.

1. *Hæreticorum proprium est tollere scripturas.*
2. *Ecclesiasticus Augustino scriptura est.*
3. *Caluino primum peccatum fuit superbia.*
4. *Mulier legem examinat.*
5. *Superbia non statim excutit fidem.*
6. *Inobedientia primorum parentum fuit superbia.*
7. *Superbiam fuisse primum peccatum probat Bellarminus.*
8. *Aperta calumnia Parei detegitur.*
9. *Patres defenduntur.*
10. *Augustinum aduersarius deprauat.*
11. *Malitia voluntatis prior est errore.*
12. *Conuersio ad bonum creatum prior est auersione à Deo. Imo à Deo non receditur, nisi sub ratione boni.*

Primum peccatum primorum parentum fuisse superbiam.

Bellarminus.

QVidam peccasse putant anteuertendo vsum ligni scientiæ boni, & mali, alii intemperantiam, alii additionem ad verba Domini, alii collocutionem cum serpente, Lutherus & Caluinus infidelitatem, Catholici superbiam primum peccatum existimant.

Pareus pag. 462.

Tolerabilis sententia esset si nomine superbiæ temeritatem intelligeret, quâ mulier suis viribus confisa, Deo & ma-

& marito inconsulto certamen cum serpente fuisset ausa suscipere, non autem appetentiam Deitatis. Neque enim hanc superbiam primò, sed secundo afflauit, primò fidem labefactauit. Deinde calumniâ alia Deum inuidiæ arguit.

Defensio.

De altero illo superbiæ gradu, seu fastigio potius, non iam agimus, satis est confessionem aduersario extortam, esse *tolerabilem sententiam, quâ superba temeritas suis nisa viribus, Deo & marito inconsultis, disputationem cum serpente suscepit.* Illa peccatum est, itaque & primum est peccatum.

Bellarminus.

Incipiamus à scripturis: Eccles. 10. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit eum, recessit cor eius.* Et rursum: Initium inquit omnis peccati superbia. Quo loco duobus argumentis sapiens ostendit, superbiam esse vitium maxime detestabile. Primum, quia principium superbiæ humanæ, id est, primus actus superbiæ hominis apparuit in illa defectione primi hominis, quia à Deo, qui eum recens creauerat, sponte recessit nolens subiici eius imperio. Deinde, quia illa primi hominis superbia fuit initium omnis peccati; siue omnium peccatorum, quæ ab hominibus commissa sunt, & quotidiè committuntur. Quod idem Tobias confirmat illis verbis, quę habentur c. 4. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas. In illa enim initiũ sumpsit omnis perditio. Quamuis enim hæc loca referri possent ad peccatum Angeli, quod fuit absolute omnium primum; tamen credibilius est Ecclesiasticum, & Tobiam respexisse ad primum peccatum primorum hominum, quod notius erat vulgo, quam peccatum Angeli.

Pareus pag. 463.

Tres priores scripturæ nihil probant, quia apocryphæ.

Ter-

Tertia non agit de primo hominis peccato, sed aliis inde ortis. & deprauate legitur, Græce est, ἐν τῇ ὑπερηφανείᾳ ἀπώλεια, καὶ ἡ καταστασία πολλή.

Defensio.

Iam olim hæreseon praxis, instrumenta docendi corrumpere, aut excidere, vt doctrinam euerterent. Nec mirum malle reos improbare legum æquitatem, & conditorum auctoritatem, quam pœnę obnoxios teneri. Nos interim hæreditatem scripturarum fideli maiorum successione transmissam, fortiter tueamur, earum auctoritati seruiamus, iurati in verbum Dei, quo sine vllo retractatu aduersus futilia nouitatum præscribimus. Sententiâ suâ nobis præit Augustinus lib. 11. de Gen. ad literam capit. 15. *Merito*, inquit, *initium omnis peccati superbiam scriptura definiuit, dicens: Initium omnis peccati superbia.* Eiusdem auctoritate vtitur, l. 14. cap. 13. de ciuitate Dei. S. Bernardus serm. de S. Andreâ, & de interiore domo c. 41. Clarissime ergo tanti mali fontem cum Spiritus Dei demonstret, aliam scaturiginem ne queramus. Ἀρχὴ, inquit, ὑπερηφανείας ἀνθρώπου ἀφισταμένου ἀπὸ κυρίου &: ὅτι ἀρχὴ ἁμαρτίας ὑπερηφανία, καὶ ὁ κρατῶν αὐτῆς ἐξομβρήσει βδέλυγμα. Sensus est: initium superbiæ fuit cum homo à Deo deficeret, Eodem recidit, quod alii legunt v. 14. ἀρχὴ ὑπερηφανίας ἁμαρτία. Nec de primo solum angelorum delicto agitur, cum hominis apostasia nominetur.

Hæreticorũ est scripturas tollere.

Ecclesiasticus Augustino scripturæ est.

Tertia auctoritas libri Tobiæ à Bellarmino Tom. 1. & à Nicolao Serario prolegom. 5. in Tobiam asseritur.

Cum verò veterem lectionem reiiciat, causam nullam adfert. Nam Græci in eodem modo legunt, vt eodem loco ostendit Serarius, Hebræus: *contritionem præcedit superbia, & ante comminationem exaltatur spiritus.* Hieronymus nostram lectionem secutus est.

Bellarminus.

Rom. 5. 19. *Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi.* Inobedientia illa superbia est, ex S. Augustino l. 14. de C.D.c. 13. & l. 8. ad Genes. c. 14.

Pareus pag. 464.

Primus actus superbiæ fuit nolle obedire Deo, primus fons superbiæ, nolle credere verbis Dei. Deinde Augustinus superbiam, & obedientiam opponit, non vt contraria directe, sed vt contrariam causam, & contrarium effectum.

Defensio.

Parei responsio iuuat rationem Bellarmini.

Actus superbiæ habitu prior.

Caluino primum peccatum superbia.

Argumentum Bellarmini etiam de responsione Aduersarii robur trahit. Si enim primordialis illa inobedientia superbiæ fuit actus, prior igitur erat ipsa superbia, seu habitus, cuius fructus erat inobedientia; habitum vero fuisse actu posteriorem ex philosophia pariter, & Theologia constat. Nec fons superbiæ erat: nolle credere. Ex ipso Caluino id facile probaro. *Non tamen dubito quin mulierem serpens ad quærendam causam sollicitet, quoniam aliter eius animum à Deo abducere non poterat. Valde periculosa tentatio, cum nobis suggeritur, non esse Deo parendum nisi quatenus mandati ratio constat. Vera enim obedientiæ regula est, vt nudo imperio contenti, iustum esse ac rectum nobis persuadeamus, quicquid præcipit*, ante dixerat. *Verum hæc carnis arrogantia est, examini suò Deum subiicere:* hæc ad illa verba. Etiamne dixit Deus, &c.

Vnde ratio constat ex Caluino contra Caluinum. Prima suggestio erat ad causam mandati inuestigandam sollicitatio contra veram obedientiæ regulam; sed illa causæ examinatio carnis erat arrogantia, initium igitur criminis superbia. Nam sollicitatio illa effectum lugubrem habuit, vt constat ex serie gestorum, & Caluiniana interpretatione Iunii & Tremellii, in hæc verba: *Cur dixit Deus. Paralepsis est*, inquiunt,

tunt, *Nam Moses ex longiore diaboli ad mulierem sermone, id tantum refert, quo id obtinuit, quod moliebatur.* At moliebatur ad inuestigandam causam legis contra obedientiæ regulam sollicitare: id ergo eâ tentatione obtinuit. Arrogans ergo erat examinatrix creatoris, cum necdum diffideret Deo, nondum crederet diabolo.

Mulier legem examinat.

Pareus pag. 464.

At superbia non potuit cor hominis subire nisi fide verborum Dei prius labefactata, & excussa.

Defensio.

Problema illud si ad regulam expendas, penitus falsum inuenies, nec hominis quidem est, nedũ Theologi. Cum enim suæ quempiam excellentiæ pulsat appetitus, non continuo fidem excutit, et si prętér honesti normam sibi placet, occultè se pestis illa animis insinuat in ipsa fide etiam, & recte factis timenda. Deinde, mentem infidelitas non contenebrat, nisi prius affectum voluntatis in prauum torqueat malitia, Infidelitas enim sequitur contumaciam voluntatis Deo suo credere nolentis, qui contemptus de æstimatione sui nascitur, & superbia est. Tertio, longior fuit sermocinatio serpentis qua mulierem inducere nitebatur, vt verbum Dei examinaret, causam legis inquireret, at hoc sine contemptu legislatoris fieri nequit, superbia igitur Dæmon extulit protoplastos, & tumefactos lapsu grauiore strauit.

Superbia non statim fidem excutit.

Hinc vere Augustinus lib. 8. cap. 7. de Genes. ad literam. *Oportebat autem vt homo sub Domino Deo positus alicunde prohiberetur, vt ei promerenti Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, quam possum verissime dicere solam esse virtutem omni creaturæ rationali agenti sub Dei potestate, PRIMVMQVE esse, & maximum vitium tumoris, ad ruinam sua potestate velle vti; cuius vitij nomen est inobedientia.*

Augustinus parentum inobedientia superbia fuit.

Ad secundum. Augustini verba quæ citaui, redarguunt aduersarium mendacii: & quæ Bellarminus citat lib. 8. c. 14. ait enim: *Malum autem inobedientiæ, id est, superbiæ, & contumaciæ.* Hoc adeo perspicue docuit Cardinalis, vt euidentia veritatis attonitus Aduersarius, amplissimum abruptum saliens, verba eius intacta reliquerit, quæ ego lectori repræsento: *Quod si primum peccatum hominum primorum fuisset infidelitas, aut amor coniugis non vere, aut certe nō proprie S. Paulus illum peccatum inobedientiam appellasset. Neq; enim infidelitas vel amor coniugis nimius inobedientia proprie dici potest; Superbia vero quamuis ex se latius pateat, quam inobedientia, & non omnis superbia inobedientia sit, omnis tamen inobedientia formaliter sumpta superbia est, ac per hoc superbia quâ quis contemnit præceptum, nec parere vult legi superioris, proprie contumacia, siue inobedientia dici potest. Quēadmodum enim humilitas, quæ reddit hominem subiectum superiori, quoad omnia; latius patet, quam obedientia, quæ reddit hominem subiectum superiori, quatenus aliquid præcipit: tamen quædam humilitas, ea videlicet, quæ hominem præcepto superioris subijcit, simul & humilitas, & obedientia dicitur. Atq; hæc de testimoniis Scripturarum.*

Bellarminus.

Primum primi hominis peccatum superbiam fuisse probatur ex Patribus.

Probemus nunc testimoniis Patrum primum peccatum parentum primorum non infidelitatem, neq; aliquid aliud, sed superbiam fuisse. S. Basil. in oratione quod Deus non sit auctor malorum Quamobrem, inquit, dolis hominem aggressus, eâdem ambit omnis cupiditate, quam ipse ab initio habuit, velle similem esse Deo, hac rursus ad decipiendos nos vsus ligni ostendit, per cuius degustationem pollicitus est hominem similem fore Deo. S. Ioan. Chrysost. hom. 16. in Gen. Igitur, inquit, vt diuinitatem mente suâ imaginata est, ad esum properauit. S. August. l. 8. de Genesi ad literam,

teram, c.13. loquens de primo peccato: Deniq; inquit, à peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo ne admitteretur, sola deberet iussio dominantis attẽdi. Sed clarius lib. 11. c. 30. Quando, inquit, his verbis crederet mulier à bona, atq; vtili re se diuinitus fuisse prohibitos, nisi iam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio, quæ per illam tentationem fuerat conuincenda, & humilianda? His verbis apertissimè S. August. refellit sententiam, quam Lutherus, & Caluinus tuentur. Illi enim nolunt ex infidelitate superbiam natam esse; contra autem S. Augustinus disputat, non potuisse infidelitatem in animo primæ parentis locum inuenire, nisi in eo superbia pręcessisset. Idem August. in Enchirid. c. 45. enumerans actus malos, & quasi partes peccati primi hominis, primo loco ponit superbiam: Superbia, inquit, est illic, quâ homo in suâ potius esse, quam in Dei potestate dilexit. Item in lib. 14. de ciuit. Dei cap. 13. de vtroque primo parente loquens: In occulto, inquit, mali esse cœperunt, vt in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perueniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium quid potuit esse nisi superbia? initium enim omnis peccati superbia. Et infra. Manifesto ergo, apertoque peccato, vbi factum est, quod Deus fieri prohibuerat, diabolus hominem non cœpisset, nisi iam ille sibi placere cœpisset. Hic enim delectauit; quod dictum est, Eritis sicut Dii, quod melius esse possent summo veroque principio cohærendo per obedientiam, non suum sibi existendo principium per superbiam.

S. Leo ser. 5. de Natiuitate Domini: Quid, inquit, sanandis ægris, illuminandis cæcis, viuificandis mortuis aptius fuit, quam vt superbiæ vulnera humilitatis

remediis curarentur? Vbi vocat superbiæ vulnera mala inflicta humano generi ex peccato Adami. Item in eodem loco: Illi (Adamo) per elationem lapso, dictum est terra es, & in terram ibis. Huic per humilitatem exaltato dictum est, sede à dextris meis, &c.

S. Prosper lib. 2. de vitâ contemplatiuâ cap. 19. Et mihi quidem, inquit, videtur, quod non ederent de ligno prohibito, nisi concupissent; nec concupissent nisi tentati; nec tentarentur, nisi deserti, nec desererentur à Deo nisi ipsi prius desererent Deum; nec desererent Deum, nisi superbirent, & similitudinem Dei miserabiliter appetissent.

S. Fulgentius in lib. 2. de incarnatione & gratia Christi cap. 22. Quia primus homo in superbiam est diabolicâ persuasione deiectus, perdidit humilitatem.

S. Gregorius lib. 4. Moral. c. 9. Duas, inquit, ad intelligendum se creaturas fecerat, angelicam videlicet & humanam: vtramque vero superbia perculit, atq; ab statu ingenitæ rectitudinis fregit. Eucherius lib. 1. in Gen. & alii non pauci idem.

Pareus pag. 464.

Secundò profert auctoritates sanctorum, vt vocat, Patrum, in quo hypocrisis aduersarii notanda, vbi enim putat, Patres à suis partibus stare, præpositâ literâ S. Sanctos indigitat, vt Sanctorum auctoritate nos premat: Vbi videt sibi aduersari, litera S. eos minime dignatur, sed sanctitatis titulo spoliat: quæ hypocrisis aduersario vniuersalis est.

Sed Respondeo primo licet Patres hi dicant, parentes primos superbiâ peccasse: non dicunt tamen superbiam fuisse primum peccatum, & infidelitatem præcessisse. Videtur quidem hoc dicere Augustinus allegato secundo, quod est libro 11. de Genes. cap. 3. Alibi vero idem

An-

Augustinus prolixè, & perspicuè hac serie genealogiam primi peccati describit: quod inobedientiæ radix proxima in vtroque parente fuerit mala voluntas: malæ voluntatis causa superbia, seu appetitus peruersæ celsitudinis: superbiæ φιλαυτία: φιλαυτίας spontanea defectio à Deo: defectionis in Heua infidelitas: in Adamo nimius amor vxoris.

Ibidem cap. 17. Si Deo, inquit, credentes, & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas, & inobedientia quid nocerent, &c. quibus verbis infidelitatem inobedientiæ priorem aperte facit. Quod si inobedientia Augustino est idem quod superbia, vt vult Bellarmin. infidelitas igitur superbiam in homine præcessit. Dico secundò, quantumuis Patres hoc dicerent, tamen vni Mosi plus est credendum, qui aperte testatur serpentem prius mulieris fidem labefactasse, calumniando Dei interminationem: postea superbiam inspirasse, pollicendo homini diuinitatem.

Defensio.

Ad primum. Euidens mendacium, nec opus Tomos Bellarmini omnes relegere. Hoc capite refellitur. Sanctum Ambrosium, & Sanctum Chrysostomum in honoris titulum non modo litera S. præpositâ, nominat, sed integro verbo Ambrosio honorem defert. *Sanctus enim Ambrosius*, inquit. Refelitur & cap. 3. Nam in suam sententiam citat facile nouem Patres testes, nec tamen S. præponit, & capit. eodem recedit à sententiâ Sancti Chrysostomi, & tamen eo ipso loco bis eo honoris titulo ipsum compellat. Adeo ergo falsum; *Hanc hypocrisin illi esse vniuersalem*, vt pleraque capita reclament, nec dubito Pareum vltro mendacium suum esse agniturum, quod quilibet inspecto Bellarmino oculitus demonstrare queat. *Aperta calumnia Parei.*

Ad secundum. De primo agunt, nam S. Basilius:

Defensio Patrum. *Eadem ambitionis cupiditate, quam ipse initio habuit*, ait *eum ad decipiendos nos vsum*, vsus ergo ambitionis cupiditate vt deciperet, & lignum ostenderet, ambitio ergo quá decepit, prior fuit infidelitate ad quam deceptio duxit.

Chrysostomus etiam superbiam infidelitati præponit, *Ecce nihil nisi escam: calicem enim perniciali veneno plenum mulieri dedit, quæ lethiferum hoc esse videre noluit. Poterat enim si voluisset ab initio hoc scire. Sed vt audiuit ab illo quod ideo esum hunc prohibuisset Deus, quia sciret oculos ipsorum aperiendos, eosque sicut Deos fore scientes bonum, & malum: æqualis diuinitatis spe inflata, magna quædam secum concipiebat. Tales enim sunt machinationes inimici: vt quando per deceptionem in sublime subduxerit, tandem & in profundum per præceps deiiciat. Igitur vt diuinitatem mente suá imaginata est, ad esum properauit, & illuc postea fixit & cogitationem, & mentem. Et nihil aliud considerabat, quam vt calicem, à maligno Dæmone temperatum, epotaret.*

Ecce ab initio videre venenum poterat, & debebat, sed noluit, subducitur in sublime, deinde præcipitatur.

Cæterorum verba clarissima sunt, & de Sancto Augustino fatetur, sed alio loco contrariam ei sententiam affingit, verum impudenter lib. 14. de ciuit. cap. 13. Nam eo loco vtuntur interpretes, vt probent superbiam primum esse peccatum, & ita clare dicitur, vt Aduersarius non ausus referre verba eius, sensum etiam peruerterit. Verba Augustini. *In occulto autem mali esse cæperunt, vt in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perueniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium quod potuit esse nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est.*

Depravat verba Augustini.

Ordo peccandi primorum parentum.

Quid est autem superbia, nisi peruersæ celsitudinis appe-

appetitus? Peruersa enim celsitudo est, deserto eo cui animus debet inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet. Sibi vero ita placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi. Spontaneus autem est ille defectus: quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur, vt videret, & accendebatur vt amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum auerteretur, & ex hoc intenebresceret, & frigesceret, vt vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato vxoris præponeret voluntatem, putaretq́, se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret etiam in societate peccati. Non ergo malum opus factum est, id est, illa transgreßio, vt cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis, qui mali iam erant. Neque enim fieret ille fructus malus, nisi ab arbore mala. Vt autem esset arbor mala contra naturam factum est: quia nisi vitio voluntatis quod contra naturam est, non vtique fieret, sed vitio deprauari, nisi ex nihilo facta, natura non posset. Ac per hoc vt natura sit ex eo habet, quod à Deo facta est, vt autem ab eo à quo facta est deficiat, ex hoc quod de nihilo facta est.

Adam veniale peccatum putabat.

Nec sic deficit homo vt omnino nihil esset: sed vt inclinatus ad se ipsum minus esset, quam ei cum erat, qui summe est, inhærebat. Relicto itaque Deo esse in semetipso, hoc est, sibi placere, non iam nihil esse est, sed nihilo propinquare, vnde superbi secundum scripturas sanctas alio nomine appellantur, sibi placentes: Bonum est enim sursum habere cor: non tamen ad se ipsum, quod est superbiæ, sed Dominum, quod est obedientiæ, quæ nisi humilium non potest esse. Est igitur aliquid humilitatis miro modo quod sursum faciat cor, & est aliquid elationis quod deorsum faciat cor.

Hoc quidem quasi contrarium videtur, vt elatio sit deorsum, & humilitas sursum. Sed pia humilitas facit subditum supperiori, nihil est autem superius Deo, & ideo exaltat humilitas, quæ facit subditum Deo. Elatio autem quæ in vitio est, eo ipso quo respicit subiectionem, & cadit ab illo, quo non est quicquam superius, & ex hoc erit inferius, & fit quod scriptum est: Deiecisti eos cum extollerentur. Non enim ait, cum elati fuissent, vt prius extollerentur, & postea deiicerentur: sed cum extollerentur, tunc deiecti sunt. Ipsum quippe extolli, iam deÿci est: Quapropter quod nunc in ciuitate Dei, & ciuitati Dei in hoc seculo peregrinanti maxime commendatur humilitas, & in eius rege, qui est Christus, maxime prædicatur: contrariumq; huic virtuti elationis vitium, in eius aduersario, qui est Diabolus, maxime dominari sacris literis edocetur: profecto ista est magna indifferentia, quâ ciuitas vnde loquimur, vtraq; discernitur: vna scilicet societas piorum hominum, altera impiorum, singula quæq; cum Angelis ad se pertinentibus, in quibus præcessit hac amor Dei, hac amor sui. Manifesto ergo, apertoque peccato, vbi factum est, quod Deus fieri prohibuerat, diabolus hominem non cepisset, nisi iam ille sibi placere cœpisset. Hinc enim & delectauit, quod dictum est. Eritis sicut Dii: quod melius esse possent summo, veroq; principio cohærendo per obedientiam, non suum sibi existendo principium per superbiam. Dii enim creati non suâ virtute, sed Dei veri participatione sunt Dÿ: Plus autem (homo) appetendo minus est: qui cum sibi sufficere delegit, ab illo qui ei vere sufficit, defecit. Illud itaq; malum, quod cum sibi homo placet, tanquam & ipse sit lumẽ, auertitur ab eo lumine, quod ei si placet, & ipse fit lumen: illud, inquam, malum præcesserat in abdito, vt sequeretur hoc malum, quod perpetratum est in aperto. Verum est enim, quod scriptum est: Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Illa prorsus ruina quæ fit in occulto, præcedit ruinam, quæ fit in ma-

in manifesto, dum illa ruina esse non putatur. Quis enim exaltationem ruinam putat, cum iam sit ibi defectus, quo est relictus excelsus? Quis autem ruinam esse non videat, quando fit mandati euidens, atque indubitata transgreßio? Propter hoc Deus illud prohibuit, quod cum esset admissum, nulla defendi posset imaginatione iustitiæ.

Euidenter itaque Augustinus impudentissimæ glossæ contradicit. Ad tertium. Vbi verò illa Moses testatur, non Patres, non Prophetæ viderunt, nulla scriptura id habet. Imò scriptura testatur Diabolum dixisse cur dixit Deus? τί ὅτι; hoc molitum, vt legem creatoris sui examini suo putaret esse subijciendam, an quod credere nollet, non erat vel ipsum superbia?

Bellarminus.

Circa finem actus est prior quam circa media, superbia est circa finem, infidelitas circa medium, Ergo superbia præcessit infidelitatem.

Pareus pag. 466.

Assumptio est falsa. Nam infidelitas, non solum est circa medium, sed etiam causa superbiæ. Si enim in fide non fluctuasset, appetitio Deitatis, & superbia cor eius nunquam subijsset.

Defensio.

De fide historicâ, vt ipsi appellant, hic agitur, non de fiduciâ, quam illi Adamo negant, at quis fando vnquam audiuit fidem historicam cum superbiâ non posse consistere?

Superbia sine fide historica esse potest.

Bellarminus.

Præterea (vt sententiam Lutheri, & Caluini propriè refellamus) non potuit mens primorum parentum diuino lumine illustrata in errorem induci, nisi antea per auersionem à Deo lumine illo destituta fuisset, vt Augustinus ratiocinatur lib. 14. de ciuit. Dei c. 13. Quemadmodum nemo potest credere solem

non lucere, dum solem ipsum respicit: Ergo infidelitatem primorum parentum auersio à Deo, & peccatum præcessit; non igitur infidelitas primum peccatum fuit.

Pareus pag. 466.

Assumptio est falsa. Etsi enim ex superbiâ nascitur grauior alia infidelitas: tamen superbia ipsa ex infidelitate prima ortum habet: quia superbia in corde hominis non enascitur, nisi fide prius excussâ, vel oppressa.

Defensio.

Malitia voluntatis prior est errore.

Malâ fide argumentum retulit Aduersarius, peiore eludit.

Non est error in intellectu, nisi deprauetur affectus, voluntate in bonitate perseuerante, non potest esse infidelitas Dei verba falsa iudicantis, aut dubitantis, quomodo enim tempore prior illa actio; *non credo Deum veracem*, quam contemptus Dei, & complacentia sui?

Verum cum *infidelitatem causam* ait *erroris*, quo homo plus diabolo credidit, quam Deo, nomine infidelitatis intelligit ipse habitum, ille est enim causa erroris actualis, sed habitus ille causam efficientem quam habuit? alium necesse est habuerit errorem, ex actibus enim habitus: non igitur illa infidelitas primum peccatum, sed eius actus.

Cur homo Deo, non crediderit.

Deinde plus homo credidit diabolo, quam Deo, idque primo peccato. Quid eum mouit vt tam perniciosè erraret? fidem verbis Dei abrogaret, fraudibus dœmonis tantum tribueret? Vno verbo, suæ excellentiæ appetitus, lex Dei obnoxium Domino reddebat, subiectionis tessera; ad pileum vocabat miserrimæ libertatis assertor Diabolus, superbos faciebat, vt vinceret, iam tumefacti, facilè quod arrogantiæ fomento esset, credebant.

Bellar-

Bellarminus.

Adhæc mater infidelitatis est superbia, vt idem Augustinus docet in libro de pastoribus cap. octauo. Igitur superbia infidelitatem præcessit, non è contrario, nisi filiam matre antiquiorem faciamus.

Pareus pag. 466.

Assumptio falsa. Quia superbia in corde hominis non enascitur, nisi prius fide excussâ, vel oppressâ.

Defensio.

Argumentum Augustini confirmat, & obiectionem refutant verba Bellarmini sequentia.

Bellarminus.

Denique prior in peccatis est conuersio ad bonum creatum, quam auersio à bono increato: neque enim auersio per se appetibilis est, cum non sit bona, & solum bonum sit obiectum voluntatis. Igitur quia conuertimur ad bonum creatum, sequitur, vt auertamur ab increato, non autem primo, & per se auersio ipsa à voluntate eligitur. At non velle Deo credere, qui est actus infidelitatis, est auersio quædam à Deo, igitur infidelitas non est primus actus malus, sed alium aliquem priorem, quo ad bonum creatum conuertimur, sequitur. Quare scripturæ diuinæ non vno in loco testantur, mala opera præcedentia esse causam cõsequentis infidelitatis. 1. Tim. 1. Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt. Et 1. Tim. 6. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide.

Conuersio ad bonum creatum prior est in peccatis auersione à Deo.

Pareus pag. 467.

Respondeo, propositio manifestè falsa est. In omni enim motu prior est terminus à quo, termino ad quem. Ergo omnis auersio à bono increato prior est conuersione ad bonum creatum. Auersio autem illa fuit infidelitas. Conuersio illa fuit superbia. Etsi igitur

mala opera præcedentia dicuntur causa consequentis infidelitatis. 1. Tim. 1. 19. & 1. Tim. 6. 10. tamen infidelitatem aliam fuisse causam malorum operum præcedentium, negari non potest: Mala enim opera fluunt ex infidelitate. Ioan. c. 16. v. 9. quoniam quicquid non ex fide peccatum est. Vbi verò fides dominatur, mala opera non consequuntur.

Defensio,

Sophismata puerilia Aduersarii.

His armis non potest causa illa defendi. Infelix philosophia senis de triuio hauriēs errores, & ingenitâ mentiendi voluptate spargens. *In omni motu*, inquit, *prior est terminus à quo, termino ad quem: Prius ergo auertimur à Deo, deinde ad creaturas conuertimur.* Ita sese captant dialecticorum pueri, Theologo hæc risum mouent, aut stomachum. Sed tamen annosum puerum Christiana mansuetudo non refugit docere.

In motu physico ante est terminus à quo, quam terminus ad quem: cum incalescit vnda, ante frigus erat, à quo receditur, quam calor ad quem acceditur. In moralibus simili ordine. Cum peccatur, prior est innocentia quæ male deseritur, quam reatus, quo pergitur. Superbiendo à modestiâ fit discessio, & ad tumorem quo mens rumpatur, accessio. Sic non credendi actio suos habet terminos, fidem vnde venit, & infidelitatē quo deuenit. Hoc sensu verum est axioma, sed nihil ad Andromachen, nec ad Bellarminum. Ille enim non vnius motus terminos inter se confert, vt quærat, vter sit prior, hoc enim etiam sine disciplinâ norunt idiotæ. Diuersorum motuum, suos terminos habentium comparationem instituit, & quærit vter sit prior? Peccauit Salomon lasciuiendi libidine, peccauit idolomaniâ. Duo motus, vtriusque duo termini, Prioris à castitate aut minore luxuriâ, ad luxuriem, aut luxuriem maiorē, alterius à religione ad superstitionem. Sed vtro motu prius deliquit? Nemo non respondet: Priorem fuisse feruorem libidinandi,

volun-

voluntate idololatriæ, Traxit eum improbus cupido boni illecebrosi, inde factum vt vellet Deum relinquere; Non enim in Deo relinquendo aliud quærebat bonum, quam ne suas delicias contristaret, quæ nisi essent, iam gratis esse malus nollet, & scelus idolomaniæ tam sapiens non perderet, cuius fructum putabat esse voluptatem.

Nunc rationem Bellarmini expendamus.

Integra erat in homine voluntas, & luce purâ vigebat intellectus, ad quodnam malum se primogenia illa libertas conuerteret? An primo elegit *auerti à Deo illi non credere, nolle credere, nolle illum amare?* Nullo modo. Elegit ergo aliquod suum bonum creatum, idq; sine conuenienti ordine ad bonum increatum, à quo, & ad quod erat ipsa creata. Nã *velle auerti à Deo, nolle credere, nolle amare, ex se nec veram, nec imaginariam rationem boni habent*, nisi fortè propriæ libertatis licentiosum exercitiũ, vt ideo velit auerti à Deo, quo libere proprio vtatur arbitrio, sed in illâ infelice ostentatione etiam est peruersi amoris in suum bonum conuersio. Ideo nec appetuntur nisi ob bonum, cuius inani simulachro deducitur creatura à vero suo, vnicoque bono. Ideo enim deserit Deum solum bonum, quia alteri bono per affectum adhærescit. Cum igitur voluntas etiam mala, non intendat malum, nisi sub ratione boni, vel propter bonum, in illis autem auersionibus non fuerit ratio boni, ad aliquod ergo bonum illas ordinabat, quod iam ante non secundum Deum amabat. Sine affectu namque talis boni non faceret illa mala, quæ sine alterius boni appetentia etiam à voluntatibus valde malis non peraguntur: Bonum illud erat naturæ dignitas, in ea sine consideratione creatoris arroganter acquiescebant.

A Deo non receditur nisi sub ratione boni.

CAP.

Capvt V.

1. *Ad superbiam & infidelitatem tendit tentatio.*
2. *Non omnia scelera sunt ex infidelitate.*
3. *Infidelitas quomodo finis peccati.*
4. *Nusquam in scriptura initium peccati est infidelitas.*
5. *Isaias ab Aduersario deprauatus.*
6. *Locus Heb. 11. 6. ab eodem corruptus. item Locus Rom. 4. 23. & Marci 16. 16. & Ioan. 16. 9.*
7. *Incogitantia superba.*

Soluuntur obiectiones, & explicatur quæ fuerit superbia primorum hominum.

QVandoquidem Aduersarius obiectiones à Bellarmino propositas reformando facit suas, nos vt tanto euidentius soluantur ipsius eas verbis referemus.

Pareus pag. 468.

Obiectio. Qualis ordo tentationis cui succubuit Heua, talis ordo peccati. At primò sollicitatur Heua ad infidelitatem, ne crederet verum, aut serium Dei mandatum, & interminationem: Itane dixit Deus: ne comedatis &c. Postea ad superbiam, vt appeteret Deitatem: tandem ad inobedientiam, vt gustaret arborem vetitam. Heua igitur primum peccauit infidelitate, hæsitanter dicendo: ne forte moriamur: postea superbia, cōtemnendo Deum ceu inuidum, & appetendo Deitatem: tandem inobedientia rapiendo fructum vetitum.

Bellar-

Bellarminus.

Reſponſio. Satanas non ſolum ad infidelitatem, & inobedientiam, ſed etiam ad ſuperbiam adducere conabatur Heuam. Nam ideo dixit: ſcit enim Deus, quia quacunque die comederitis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum. Quare mulier in eo primum à tentatore ſeducta, & deuicta eſt, quod in ſuperbiam elata affectauit eſſe ſicut Deus, ſciens bonum, & malum; deindè per ſuperbiam excœcata credidit Diabolo, & non credidit Deo, & in apertam inobedientiam lapſa eſt. *Ad superbi. m & infidelitatem tendit tentatio.*

Replica Parei pag. 469.

Prius verum eſt, quod ad vtramque tentata fuerit Heua. Poſterius falſum, & abſurdum: Falſum, quia eſt contra ſeriem tentationis, & hiſtoriæ, quæ teſtatur, prius mulierem fuiſſe ſollicitatam ad contemptum præcepti. Itane dixit Deus &c. Poſtea ad contemptum ipſius Dei: ſcit Deus quod &c. Abſurdum quoque prius fuiſſe elatam ſuperbia, quam audiuiſſet Satanæ pollicitationem, eique fidem habuiſſet potius, quam Deo: quia ſic fingitur effectus ante ſuam cauſam. Niſi igitur mulier prius audiuiſſet, & veram credidiſſet Satanæ ſuggeſtionem, non veram Dei interminationem, nunquam ſuperbia, & appetitio peruerſæ celſitudinis (vt vocat Auguſtinus) in eius corde ebulliiſſet.

Defenſio,

Nihil contra ſeriem hiſtoriæ Bellarminus ſed contra ſemet, Pareus contraq; ſuos, & contra Moſen ſerpente fraudatore plenus ſibilat. Si enim hiſtoria teſtatur, interprete Caluino, mulierem *prius ſollicitatam ad contemptum præcepti*, cuius rationem exigebat, *ſi id quod moliebatur prima tentatione obtinuit.* vt Iunius & Tremellius, ſollicitata igitur eſt ad ſuperbiam. nam lex Dei ſine arrogantiâ contemni non poteſt, & Deus ipſe in contemptu mandati ſui ſpernitur.

Pareus.

Pareus.

Absurdum superbiâ elatam fuisse ante, quàm audiuisset pollicitationem Satanæ; eiq; fidem habuisset potius, quàm Deo.

Defensio.

Quasi verò quicunque superbiæ motu pulsatur Diabolo potius ante crediderit; quàm Deo. Certè mulier ante auditam pollicitationem; Eritis sicut dij: Iam causas parendi requirebat, legem contemnebat, inconsulto marito & Deo; proprijs viribus confisa colloquebatur. Itaq; se Deo vel quasi parem, vel quasi liberam legis opponebat.

Pareus pag. 469.

Fides est radix & origo iustitiæ. Ergo infidelitas est radix, & origo iniustitiæ.

Bellarminus.

Responsio. Ex antecedente ab aduersariis posito sequitur oppositum consequentis. Quia enim fides est origo iustitiæ, sequitur infidelitatem non esse originem, sed finem iniustitiæ. Nam quod est primum in generatione est vltimum in resolutione. Fundamentum est principium ædificationis, sed euersio fundamenti non est principium, sed finis destructionis. Qui enim ædificat, à fundamento incipit, in tecto desinit: qui destruit incipit à tecto, desinit in fundamento. Et in animantibus cor primum incipit viuere, vltimum desinit viuere. Quare nunquam in scripturis dicitur radix omnium malorum est infidelitas, sicut dicitur radix omnium malorum est cupiditas, id est, amor sui, siue propriæ excellentiæ, quæ est superbia.

Replica Parei pag. 470.

Hoc est deploratum ludibrium: quoniam primum argumentum nostrum procedit ex theoremate Logico: contraria causæ habent contrarios effectus. Fides & infidelitas sunt contrariæ causæ. Ergo sicut fides est origo iustitiæ

iustitiæ, sic infidelitas est origo iniustitiæ. Secundò falsum quod sequatur infidelitatem esse finem iniustitiæ. Finis enim dicitur quod mouet agentem; seu quod intenditur ab agente. Quis verò dixerit infideles pro fine intendere iniustitiam? Tertiò, infidelitas non potest dici finis iniustitiæ, quasi aliquid vltimum: sicut finis significat, cum dicitur primum in generatione esse, vltimum in resolutione: quasi sit posterior iniustitia, cum sit eius causa: alioquin idem dicendum esset de fide, quod sit finis iustitiæ, id est, posterius iustitia; quod est falsum. Quòd addit in scripturis nusquam reperiri infidelitatem esse radicem omnis peccati; & omnium malorum; sicut legitur de superbia: est ἀθεόλογον & falsum. Quid aliud enim volunt sibi hæc, & similia dicta: Si non credideritis, non permanebitis: sine fide Deo placere est impoßibile: Quicquid non fit ex fide, peccatum est. Qui non crediderit, condemnabitur. Arguet mundum de peccato; quia non credunt in me: &c.

Defensio.

En dialecticen noui Chrysippi, Theorema suum nec intelligentis; nec causæ adaptantis. Nam Syllogismus alogismum habet apertum. *Contrariæ causæ habent contrarios effectus, Fides, & infidelitas sunt contrariæ causæ, ergo fides & infidelitas habent contrarios effectus.* At verò noster: *Ergo sicut fides est origo iustitiæ, sic infidelitas iniustitia.* *Contrariarum causarum contrarij effectus.*

Quæ conclusio ex mente Aduersarij sic intelligenda est, vt dicat quemadmodum sine fide impoßibile est esse iustum, regenitum, virtutibus cæteris ornatum, ita sine infidelitate non poßint esse aliorum vitiorum prauitates. Nam alioqui non probaret necessariam esse superbiæ ex infidelitate, vt matre natiuitatem. At neutiquam sequitur, infidelitas est causa iniustitiæ, non igitur sine infidelitate iniustitia, cum fideles multa agant iniustè, iniu- *Iniustitia sine infidelitate esse potest.*

Non necessario scelera ex infidelitate. stitiæ non vna causa. Deinde contrariarum causarum sunt contrarij effectus proprij & proximi, caloris calfactio, frigoris infrigidatio; non remoti, & consequentes, calor enim indurat & frigus, ille lutum, hoc aquam, calor indurat cæmentum, soluit ceram. Si fidei effectus proximus credere Deo, infidelitatis est non credere. Superbiæ suam amare excellentiam, peruersè humilitatis de se modestè sentire. Cum verò infidelitas dicitur causa superbiæ, vel hæc illius, comparantur causæ & effectus remoti, quorum non necessaria connexio. Et quidem infidelitas causa est iniustitiæ, cum sit ipsa contra ius æternæ veritatis, sæpè etiam causa aliorum scelerum, non tamen ex eâ necessariò omnia.

Deniq; vt ratio illa concludat, statuendmest, aliter fieri non posse, quin omnium peccatorum initium sit infidelitas, quod nemo vnquam asserere ausus est.

Infidelitas non modo finis peccati. Ad secundum. Etiam hic nugæ, & nominis crimen. Non est infidelitas finis iniustitiæ, vt discentis scientia, medentis sanitas, rectè viuentis beatitudo: non eò incumbit intentio delinquentis, sed finis est, hoc est extremum malorum, vt finis ebriosorum caros. palmos hydrops, arthritis, quos fines ipsi cum corda & corpora onerarent crapula, nec optabant, nec satis timebant. Gradus sunt vitiorum, non eodem semper ordine, frequenter tamen extremo in descensu infidelitas.

Pareus.

Si infidelitas est iniustitia posterior, ergo fides etiam iustitiam sequitur.

Defensio.

Infidelitas sequi potest iniustitiam non ideo fides iustitiam. Non potest esse infidelitas iniustitia posterior, cum ipsa sit iniustitia. Omnis enim infidelis iniustus. Potest tamen esse posterior iniustitia particulari siue certæ speciei, ideo sequi iniustitiam simpliciter

potest:

potest : nec tamen ideo fides iustitiam sequitur : falsa itaque est sequela illa hominis minimè arguti. Hoc enim syllogismo ratio conficienda esset : *Si priuatio est aliquando priuatione posterior, ergo habitus etiam habitu, & actio actione est posterior.* Non sequitur. Si desperatio est posterior iniustitia, ergo spes iustitiam sequitur. Si odium Dei est iniustitiâ posterior, ergo caritas iustitiam sequitur. Nec sequitur. Si mors est peccato posterior, vita igitur innocentiam sequitur, nam vita innocens sine vitâ esse non potest.

Ad Tertium. *Quod addit in scripturis legi infidelitatem esse radicem omnis peccati, & contrarium esse ἀϑεόλογον, citatque* Is. cap. 7. 9. Hebr. 11. 6. Rom. 14. 23. Marci 16. 16. Ioan. 19. 9. Oscitantiam prodit & ignorantiam. Probandum est in scripturis inueniri. *Radix omnium malorum est infidelitas, Initium omnis peccati est infidelitas.* Ostēdat, cui vnica norma est, & iudex verbum Dei scriptum. Non tamen sibi deest, duæ cœcitatis species facilè concurrunt, vt qui non vident quæ sunt, videre videantur, quæ non sunt. Scripturas attulit Bellarminus, negauit se videre, nunc videre se putat eas, quæ nihil eorum quæ ipse imaginatur, memorant. *Nusquam in scriptura, Initium peccati infidelitas.*

Primò itaque trahitur in causam Isaias 7. 9. *Si non crediderítis, non permanebitis.* Quid inde? an sequi potest; *Ergo initium omnis peccati est infidelitas?* Dixit Dominus : *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis,* Impœnitentia igitur radix omnium malorum, & præfica omnis peccati? Non iuuat causam illam locus Isaiæ : In Hebræo elegans est alliteratio אִם לֹא תַאֲמִינוּ כִּי לֹא תֵאָמֵנוּ. *Si non credideritis, quia non credemini, seu non eritis stabiles,* 70. οὐδὲ μὴ συνῆτε, *neque intelligetis.* Iun. & Tremell. *An non creditis, quòd non confirmamini? hac promißione scilicet, sed in vestra trepidatione pergitis?* *Isaias depranatus ab Aduersario.*

Eligat quamlibet interpretationem, vel præsumptio quæ recusat, vel iniquitas, quæ desperat veritatem, cominus, eminus experiatur, an vel mentiendo hanc conclusionem deducere queat. Non faciet, aut si conabitur, de superbiâ reuincam, Matthæi 18. 3. *Amen dico vobis nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ergo non conuerti & effici sicut paruuli, initium est omnis peccati.

Locus Heb. 11. 6. corruptus. Secundò Isaiæ subiungitur Apostolus. Hebr. 11. 6. *Sine fide placere Deo est impossibile*; infidelitas est ergo causa peccati; & origo omnium scelerum. Perinde ac si dicas, sine caritate, spe, obedientiâ, castitate, humilitate, impossibile est placere Deo, igitur odium, desperatio, inobedientia, luxuria, superbia est initium omnis peccati.

At bona verba. Quæ fides sine quâ est impossibile placere Deo? si est specialis fiducia, ergo sine fide illa fuit primus homo, eâ enim caruit, si Caluinianis credimus; non ergo Deo vnquam placuit. Si non est specialis fiducia illo loco, facessant; qui in perniciosam securitatem animas corrumpunt, totoque Apostoli illo tractatu contra veritatem abutuntur.

Locus Rom. 14. 23. Tertiò, iterum Apostolum exagitat, Rom. 14. 23, *Quicquid non fit ex fide, peccatum est*, ergo infidelitas est primum peccatum. Peruersissima ratio. Tum quia fides illo loco est dictamen conscientiæ arbitrantis licitum esse agere, tum quia Caluinistis est, de quâ iam dixi, fiduciatio, cui est contraria, non infidelitas verbo Dei fidem abrogans, sed de sua salute desperatio, vel dubitatio, vt illi putant.

Primum igitur peccatum fuisset πληροφορίας defectio, conatusq; diaboli ad desperationem miseros adduxisset.

Quartò

Quartò. Marci 16. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Infidelitas igitur initium omnis peccati. Ratio huic parallelæ. Galaticæ 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt: Fornicatio, Immunditia,* &c. *quæ prædico vobis sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Fornicatio igitur, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia est initium omnis peccati. Secundò, Fides illa, de quâ Dominus apud Marcum loquitur, Caluinistis est fiduciatio certa gratiæ præsentis, & gloriæ futuræ, nam sequitur: *Qui crediderit, saluabitur,* τὸ credere illis est necessario fiduciari, ergo quod illi opponitur τὸ non credere, est vel de salute desperare, vel hæsitare. Hoc ergo, si sibi constant, initium esse peccati dicant necesse est, aut sanè imaginariam suam πληροφορίαν ex hoc loco contra orthodoxos vrgere sectarij non debent. *Locus Marci 16. 16 corruptus.*

Deniquè Ioan. 16. 9. *Arguet mundum de peccato, quia non credunt in me.* Ergo infidelitas quâ non crediderunt in Christum, initium est omnis peccati. Hic quoque de citatione Aduersarij fabricandus est Syllogismus. *Peccatum* de quo mundum arguet Spiritus S. est initium omnis peccati, sed illud est non credere in Christum, ergo initium omnis peccati est non credere in Christum. Nam non statim de quolibet peccato arguet mundum: inquit Aretius, *Vna & certa peccati species est, quam solus Spiritus S. arguet,* ἀπιςίας *scilicet, nam reliqua sine hoc condonari poterant,* &c. *Docemur fidem in Christum esse necessarium, sine qua certissima adest damnatio.* *Locus Ioannis 16 9. corruptus.*

Nec enim liberum est credere vel secus: sed vt fides in eum seruat; ita ἀπιςία *mox damnat.* Hic teste Aretio, fides est specialis fiducia in Christum, at secundum Caluinistas ea non fuit, imo esse non potuit in primis parentibus, nec necessaria erat, non igitur illa ἀπιςία, de qua mundum arguet Spiritus sanctus,

initium erat omnis peccati. Sed aliud argumentum locus ille suppeditat. *Spiritus Sanctus arguet mundum de iustitia, & de iudicio. Hoc est propter iustitiam, non quidem suam quæ nulla est, sed Dei iustitiam quam mundus contempsit. Iustitia autem Dei est, quæ ab eo mundo proposita fuit ad reconciliationem, quæ Christus est, 1. Cor. 1. factus à Deo nobis iustitia. Hanc superbè mundus contempsit, cuius nomine grauis est illi reddenda ratio.* Ita Aretius Caluinista in huius loci expositione. Vnde Syllogismus. De quo mundum arguet Spiritus Sanctus, fuit initium omnis peccati, de superbo contemptu iustitiæ Dei, ad reconciliationem propositæ arguet mundum, superbus ergo contemptus ille initium omnis peccati.

Ecce tibi lector pro Aduersario firmamenta de scripturâ, quæ non modo causam Caluinianam, sed stomachum cerebrumq; euertunt. Ego ab illis scriptis, & loquendi præfidentiâ ad conscientias auctorum appello.

Pareus pag. 470.

Tertia obiectio Caluini in forma sic erit: Quo non posito non posita fuisset superbia in Adamo: id prius fuit superbia in Adamo. At non posita incredulitate non fuisset posita in Adamo superbia, seu vt loquitur Caluinus: nunquam repugnare imperio Dei ausus fuisset Adam, nisi eius verbo incredulus, ergo incredulitas fuit prior superbia in Adamo. Sed non fuisset incredulus, nisi ante per elationem à Deo auersus.

Replica Parei pag. 471.

At Augustinus libr. 14. de Ciuit. Dei, cap. 17. Hoc itaque esse falsum, & contra seriem tentationis iam ante ostensum est. Nulla enim potuit esse elatio in homine, nisi fide eius prius labefactata, vel excussa. Facit huc, quod Augustinus ipse infidelitatem ponit ante in-

te inobedientiam libr. 14. de ciuitat. Dei cap. 17. Reſpondit Bellarminus agi de aperta inobedientia, quam præceßit infidelitas, vt ibidem Auguſtinus cap. 13. At fruſtra. Nam cap. 4. dixit ſuperbiam eſſe inobedientiam, inde nos ſic. Inobedientia eſt ſuperbia, Infidelitas præceßit inobedientiam, igitur & ſuperbiam.

Defenſio.

Omnia rectè Bellarminus: illud infidelitas præceſsit, inobedientiam apertam ſcilicet, cum vetitos iam fructus carpere contenderent, non autem occultam, quam primus tentationis impulſus attulit.

Pareus pag. 472.

Quarta obiectio diſtortè ponitur ab Aduerſario: In forma ſic erit. Ex quo fluxit ſuperbia hominis, id ſuperbiam præceßit. At ſuperbia fluxit ex eo, quod homines crediderunt, ſe fore ſicut Deos, omniſcios. Hoc ergo in hominibus ſuperbiam præceßit. At facit hoc infidelitas, vel certè fides falſa Satanæ habita, non Deo. Iſta igitur infidelitas ſuperbiam præceßit.

Bellarminus.

Reſpondeo, Sanctus Auguſtinus vult quidem amorem inordinatum erga vxorem fuiſſe priorem in Adamo, quam eſſet aperta inobedientia, vt loca citata demonſtrant, tamen non vult priorem fuiſſe, quam ſuperbiam occultam. Nam libr. 14. de ciuitate Dei c. 13. contrarium his verbis docet: Spontaneus eſt autem ille defectus; quoniam ſi voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur vt videret, & accendebatur, vt amaret, ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum auerteretur, & ex hoc tenebreſceret, & frigeſceret, vt vel illa verum crederet dixiſſe ſerpentem, vel ille Dei mandato vxoris præponeret voluntatem &c.

Primò igitur secundum Augustinum fuit superbia occulta in animo Adami, deinde vitium inordinati amoris erga vxorem, postrema aperta mandati diuini transgressio. Neque in libr. 11. de Gen. ad Literam, cap. 42. dicit Sanctus Augustinus, Adamum fuisse in statu innocentiæ, quando immoderatè vxorem amare cœpit, sed dicit, nondum sensisse concupiscentiā carnis repugnantis legi mentis. Potuit .n. fieri vt amissâ innocentiâ, originalique iustitia non continuò extiterit in carne motus ille pudendus, quamuis continuò existere potuerit. Nam etiam hoc tempore quo iustitiâ originali caremus, non semper patimur carnis rebellionem, & Heua non solum per superbiam interiorem, sed etiam per exteriorem inobedientiam lapsa fuerat in peccatum, & tamen non continuò sensit carnis rebellionem, alioqui nuditatem suam agnouisset, & erubuisset, antequam virum suum ad peccandum induceret.

Replica Parei pag. 473.

Primo, falsum, superbiam quæ fuit actualis appetitio Deitatis sine infidelitate esse potuisse.

Secundò, non fuit soli incogitantia. Nam addidit mulier, non tangetis eam, &, Ne fortè moriamur. Si fuit incogitantia, fuit vitiosa, quæ tantam superbiam in animo genuerit, si vitiosa incogitantantia præcessit, superbia non fuit peccatum primum.

Tertiò, Falsum & vertiginosum est, quod dicit superbiam hominum ab illo actu non cœpisse. Nolo esse sub Dei potestate. Atqui cap. 4. §. Adhæc. expressè dixerat, primum superbiæ actum esse, nolle subijci imperio alterius: & primum superbiæ actum in homine fuisse nolle parere Deo. Manifesta igitur contradictione se implicat.

Quartò, falsa, & ἀσύςατα sunt, quod fatetur in hac delectatione homines diuinitatē appetere, Dei minas con-

contemnere cœpisse: & tamen sine vllo errore per incogitantiam in eis superbiam initium habuisse. Quintò falsum, & ἀσύστατον commentum est: quod primum peccatum hominum fuerit simile ei peccato, quod Sophistæ delectationem morosam vocant. Nam in delectatione morosa secundum Caietanum non est voluntas exequendi actum malum cogitatum. At in primis parentibus fuit voluntas exequendi malum actum excogitatum, seu peruersæ celsitudinis appetitum. Rursus verò præ contendendi libidine non videt, se turpiter implicari iis quæ dicit. Si enim primum peccatum hominum fuit delectatio morosa: falsum igitur, quod contendit, primum peccatum hominum fuisse superbiam. Ante enim superbiam nunc palam fatetur, fuisse aliud peccatum, & quidem mortale: quia Toletanus aperte dicit, delectationem morosam etiam esse peccatum mortale.

Defensio.

Ad primum. Actualis appetitio fuit sine errore & infidelitate. Potest enim, vt optime explicat Bellarminus, esse tale desiderium sine errore, nam etiam nunc sæpe sese cogitatione earum rerum oblectant peccatores, quas consequi non possunt, non considerando se eas non posse consequi, sed affectu & delectatione adhærendo. Quòd verò adiungit imaginationem & appetitionem non solum manifestum errorem, sed turpem infidelitatem & falsam fidem esse, ἀθεόλογον est, nec vlli philosopho probatum. Error & infidelitas non sunt imaginationum, & appetitionum, sed nec omnium intellectionum, sed intellectus enunciantis, seu diuidentis & componentis, legendus itaque Aristoteles περὶ ἑρμηνείας. *Sine errore mali potest esse desiderium.*

Ad secundum. Incogitantia, mulieris verba præcessit, nam verba illa: *Ne forte*, iam dubitantis erant, quæ dubitatio ex inconsideratâ sui æstimatione nascebatur. Incogitantia illa vitiosa erat æstimatio suæ digni- *Incogitantia superba.*

tatis sine relatione ad Deum, comes superbæ cogitationis, non dux.

Ad tertium. Primus superbiæ consummatæ, seu inobedientiæ perfectæ est, Nolle obtemperare, alii ad hunc sunt gradus: nulla ergo contradictio.

Ad quartum. Et quare sunt ista ἀσύστατα: diuinitatem appetere, & per incogitantiam incipere initium superbiæ?

Ad quintum. Initio non fuit voluntas exequendi cogitatum, cum Eua diceret, *ne forte moriamur*, delectabatur ea cogitatione, sed in crimen nondum consenserat. Sæpe etiam morosa cogitatio consensum trahit ni moras præcidas. Quod subiungit. *Ante superbiam fuit aliud peccatum mortale, scilicet cogitatio morosa, non ergo superbia fuit primum peccatum*: quid nisi inscitiam patefacit? Ipsa enim circa dignitates delectatio morosa, est superbia. Non potuisset hoc nescire, si vltimum Bellarmini paragraphum inspexisset.

Superbia etiam morosa cogitatio.

CAPVT VI.

1. *Quæ infidelitas protoplastorum.*
2. *Bellarminus à calumnia defensus.*
3. *Lutherani Caluinistas comparant serpenti.*
4. *De figmento arcus triumphalis Romæ erecti.*
5. *Adam Veniale suum peccatum putare potuit.*
6. *Caluinistæ mendacia tribuunt nouo testamento.*

Primos parentes amisisse fidem, & quæ fuerit eorum infidelitas.

Bel-

Bellarminus.

Infidelitate peccasse concedunt omnes Tertull. aduersus Marcionem cap. 2. Ambros. Epist. 33. lib. 5. August. Ench. capit. 45. Prosper ad capitula Genuens. dub. 3. Leo sermone 4. de natiuitate Domini. Fulgentius de incarnatione, & gratia Christi c. 22.

Infidelitate peccarunt protoplasti.

2. Quæ fuerit infidelitas fœminæ duplex opinio. Prima, Eam putasse mentitum Deum, & ex inuidentia vetuisse fructum. Altera, non fuisse serio prohibitum fructum, maritum, & se non bene verba Domini intellexisse. Atque in hanc sententiam exponunt illa verba: *cur præcepit*? ita Augustin. lib. 11. capit. 30. de Gen. ad literam. Epiphanius in hæresi Caianorum. Fauere videtur & illud 2. Corinth. cap. 11. & textus Hebræus. *Verone*, &c. Sic Caluinistæ negant nos verba Christi intelligere, cum dicenti: *Hoc est corpus meum*, credimus esse corpus eius. Vtraque sententia probabilis est.

De illa duplex sententia.

Adam verò veniale fore peccatum existimauit, deinde non credidit se moriturum, imò dubitauit an non verum esset: *Eritis sicut Dii*: hoc enim illi Deus exprobrat. *Ecce Adā sicut vnus ex nobis factus est*. Vide Aug. l. 14. de C. D. c. 11. & c. 13. & de Gen. l. 11. c. 30.

Pareus pag. 475.

Quæstio ociosa, si amisit homo imaginem Dei, igitur fidem.

2. Frustra illas sententias adfert.

3. Illa verba: Cur præcepit vobis Deus, &c. non sunt mulieris sed satanæ.

4. Non recte verba Christi interpretatur, cum dicit, Hoc est corpus meum, sunt enim sacramentalia sacramentaliter intelligenda.

5. Papa omnia Dei sibi sumit clam, non palam, imitatur ergo serpentem. Modernus etiam Papa sibi arcum triumphalem Romæ poni passus est, cum inscri-

inscriptione Paulo V. Vicedeo, quo titulo mirabili Dei prouidentiâ numerus nominis bestię 666. expressus, & antichristus declaratus fuit.

6. Vtraque opinio vera est, non ergo opus fuit committere inter se, & cum Paulo Patres.

7. De peccato Adami quod dicitur, quid est nisi hominis pudenda foliis ficulneis pueriliter tegere velle? Quomodò quæso existimare potuit Adam in imagine Dei constitutus, veniale esse, vel fore, transgredi & violare serium Dei interdictum: Non comedes; morte morieris? An existimare potuit, Deum interminando mortem transgredienti vel iocatum, vel mentitum esse? Hoc parum probabile: Igitur hæc falsa existimatio fuisset primum peccatum, contra aduersarium. Neque id Augustinus simpliciter affirmat, sed dubius ait, potuisse eum ita falli, vt veniale esse existimaret. Quicquid obtendatur contra disertum Dei interdictum, arborem vetitam gustare, edere, erat Deo non credere, Deum cum suo interdicto contemnere: quæ non solum fuit infidelitas, sed superbia, & rebellio non minor, quam mulieris: Imo tanto fœdior, quanto vir muliere magis sapere debuit. Itaque aduersarius nolens volens contra se ipsum fateri tandem cogitur, Adamum Deo non credidisse, & infidelem, vel vt Tertul. loquitur, hæreticum factum fuisse: imo non Deo, sed diabolo fidem habuisse.

Defensio.

Omnium Patrum vna sententia, primos parentes peccasse infidelitate, de modo infidelitatis aliqua est discrepantia, omnia itaque Aduersarii conuitia Sanctos Patres, non Bellarminum flagellant. ad singula seorsum respondeamus.

Ociosa non est quæstio, cum pp & Caluinistæ eam disputent.

Ad primum. Non esse ociosam illam disputationem sentit Catechismus Heidelbergensis, quo specіatim omnia Adami peccata enumerantur, Deinde Caluinus comm. in Gen. v.6. Arminius in responsione ad

ne ad ad articulos falso sibi impositos, art. 19. Tilenus capit. 14. contra Arminium, Coruinus cap. 14. contra Tilenum pro Arminio, quæstionem illam disputant, ingenti dissensu, magno bono Catholicæ veritatis, liceat ergo & nobis loqui. Sic ergo & respondemus;

Ad secundum, petimusq; probari SS. Patres frustra illa disputasse.

Ad tertium. Verum est, verba illa serpentis esse, non Euæ. Verum & illud, ex verbis serpentis colligi quid peccarit Eua. Certe Patres aliquos ita collegisse certissimum est, vere igitur illud refert Cardinalis. Quòd verò Aduersarius eum arguit, quasi verba serpentis putauerit esse Euæ, impudentissimè calumniosum esse ostendent verba Bellarmini. Atq; in hanc sententiam exponunt verba illa: *Cur præcepit vobis Deus, vt non ederetis de omni ligno, &c. Ac si dictum esset, cur præcepisset Deus, vt à fructu alicuius arboris manum abstineretis, cum omnes sint bonæ, & salutares? Non est igitur cur credatis vos morituros, si lignum scientiæ gustaueritis, scit enim Deus, eam arborem vtilissimam esse, quippe quæ scientiam augeat, & ideo cum bonus sit, & vestri curam gerat, nunquam rem tam bonam vobis prohibuisset. Indicat hanc sententiam S. August. lib.*11. *de Gen. ad lit. c.* 30. *his verbis. Arbitror quod putauerit, Heua, Deum alicuius significationis causa dixisse, si manducaueritis morte moriemini, atq; ideo sumpsit de fructu eius, & manducauit, & dedit etiam viro suo. Eadem insinuat Epiphanius hæresi Caianorum, quæ est* 38. *vbi dicit, diabolum vt mulierem seduceret simulasse, se amicum Dei, diabolus, inquit, per mendacium decepit Heuam, & Adam, alia pro aliis dicens, & amicitiam cum creatore demonstrans. Non igitur Deum mendacem, & inuidum facere voluit, si amicitiam cum illo demonstrauit.*

Bellarminus verba serpentis non tribuit Euæ.

Ad quartum. Rectè sanè Bellarminus. Nam eius sen-

ſententiam, quaſi hinc deſcriptam approbauit cariſsimus frater tuus Iacobus Reneceius Paſtor Hamburgenſis, libro de ortu, curſu, exitu Caluiniſtarum, nam initio mox, cap. 2. §. 1.

Lutherani Caluiniſtas comparant ſerpenti.

Die Caluinianer kommen mit der Schlangen vberein/durch welche der Teuffel vnſere erſte Eltern betrogen. Gen. Cap 3. Hoc probat in hunc modum. Ob wol Gott der HErr mit hellen/vnd deutligen worten geſagt: von dem Baum der Erkentnus gutes/vnd böſes ſoltu nicht eſſen. Gen. 2. v. 17. So hat dennoch der verſchlagene Teuffel durch die Schlangen ſolche klare vnnd offenbare Wort deß HErrn in zweiffel gezogen: Ja ſolt Gott geſagt haben / Ihr ſolt nicht eſſen von allerley bäumen im Garten. Gen. 3. v. 1. Thun das auch die Caluinianer nicht? hat Christus die wort von dem eſſen ſeines Leibes / vnnd von dem trincken ſeines Blutes nicht klar vnd hell gnug geſetzet/ vnd gegeben: wen er geſprochen: Nemet/eſſet/das iſt mein Leib: trincket alle daraus: das iſt mein Blut deß Newen Teſtamentes? Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. Doch dennoch reiſen die Caluiniſten dieſe deutliche / vnd greifliche wort in einen zweifel / wenn ſie diſputiren/ vnd fragen: Ob auch iuxta literam, vnd nach dem buchſtaben zuverſtehen ſeyn Oder ob ſie per tropum ſollen erklert werden? wir aber ſollen wiſſen:

Reges dii, Regina dea.

Ad quintum. Mirum, & indignum tot calumniis imperi Papam, præter ius, & æquum nihil ſibi arrogantem, cum veſtris non modo Regibus, ſed mulierculis, plus offeratis ipſi. Si illi, & illæ non vice modo Dei, ſeu Vicarii, & vicariæ Dei; ſed dii etiam, deæque. Papa quod ordinarium Principi Apoſtolorum ius collatum vniuerſitas Catholica agnoſcit, tuetur, nec abdicare poteſt, cæterum ſeruum ſe ſeruorum Dei ingenue profitetur.

De

De arcu triumphali quid aliud dicam, quam publicâ imposturâ Germanos nostros iam dudum decipi? vsura mendacii ad tempus fruuntur, miseramque plebem obnoxiam tenent, interim dum veritas elucescit, satanæ regnum augent Caluiniani. Mirantur Romani arcum illum in Germaniâ legi, cum Romæ nusquam erectus, nusquam visus fuerit. Tu vero Paree, age, si non mentiris, age quando, quo loco erectus ille arcus? Hominem qui viderit nominá. Nihil tale factum, purum putum mendacium est, à quo si liberari desideras, age, quod necesse est, proba. Ego te calumniosæ imposturæ confidenter accuso.

Ad sextum. Sit sane vtraque vera, non pugno modò Patrum diuersa sentientium in re adiaphorâ sententias retulisse fraudi ne sit Bellarmino.

Ad septimum. Solita calumnia, non Bellarmino, sed Augustino impacta. Veniale putauit Adam, quod fuisse grauissimum vterque fatetur, non igitur Protoplasti peccatum tegunt, sed tantum esse, quod tegi non debeat, nec possit non immerito dolent.

Sed pergit: an Veniale potuit existimare, an Deum iocatum vel mentitum?

Respondeo: Quippe ni? Si comminationem Deo falsam Deum inuidum arbitrio malignæ suspicionis potuit existimare, cur non iocatum, vel mentitum? Mendacissimâ fateor existimatione, sed tamen existimare potuit. Nec mirum cum Caluinus & eius asseclæ, post Euangelii interpolationem aliquid tale existiment. Inter eos Franciscus Iunius in locis communibus, lib. 1. capit. 19. pagin. 61. & 62. *Scriptores, ait, noui Testamenti, interdum recepto errori aliquid ex caritate condonasse, & propter opinionem publicam à veritate historiæ deflexisse, adeoque præter veritatem quædam sacro textui inseruisse.*

Adam Veniale potuit æstimare peccatum.

Caluinistæ mendacia tribuunt nouo testamento.

An nouum testamentum non est verbum Dei? an interdum mendax? an illi scriptores sua mendaciola veritati æternæ miscuerunt, vt omnes eius partes vel contaminarent, vel adulterii facerent suspectas? si in illo diplomate, quod Deus haud inscius obsignauit, sunt mendacia excusari non potest, qui scribundo adfuit præfuit Deus. An grauius existimare, Deum esse cum vno homine iocatum? an publico scripto, quod pro suo, & authentico, sub pœna exitii sempiterni recipi iubet, esse mentitum?

CAPVT VII.

1. *Vir non seductus.*
2. *Quid proprie seduci.*
3. *ἐναντιοφάνη scripturarum sunt concilianda.*
4. *Augustini de illa seductione sententia.*
5. *Eiusdem cum Bellarmino consensus.*
6. *Aperta Parei calumnia detegitur.*

Adamum proprie non fuisse seductum.

Bellarminus.

Quomodo vir non seductus, vel seductus.

1. Timoth. 2:14. Vir non est seductus, mulier autem seducta in preuaricationem fuit. & 2. Cor. 11. Timeo ne sicut serpens Heuam seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri. Sed Patres vestri Adamum etiam seductum aiunt. Apparenti discordię tollendæ, multi ita interpretati sunt verba Pauli, vt ex iis colligi non possit, Adamum vere ac proprie seductum non esse. Prima interpretatio. Vir non est seductus, nempe à diabolo. 2. Non prior. 3. Non describitur eius seductio. 4. Non est seductus in præuaricationem, vt alteri fuerit occasio peccati.

Sed illæ interpretationes non satis idoneæ sunt. Nam Paulus ostendere vult, mulieres non admittendas ad docendum, quod minoris ingenii sint, & iudicii, quod illę interpretationes non conficiunt. Non enim sequitur: fœmina seducta est à diabolo, prior eius seductio describitur, fuit alteri occasio lapsus, ergo fuit minore iudicio, ac prudentiâ. Duæ tamen priores ad rem faciunt, si certo modo intelligantur. prior, si hic sensus sit: Mulier vere, & proprie seducta est, quia serpens eam animo fallendi astute decepit ; cum ei proposuit falsum sub specie veri: at vir seductus quidem est aliquo modo à muliere ; sed non proprie; quia nec illa intentionem habuit fallendi, nec ipse ob eius persuasionem ; sed ob eius amorem excæcatus est. Et hoc existimo S. Ioannem Chrysostomum sibi voluisse, cum interpretationem illam excogitauit. Ipse enim primus est auctor illius interpretationis.

Secunda, vir non est seductus prior: quæ magnos quoque auctores habet; S. Epiphaniũ hæres. 38. S. Thomam, Theodoretum, & Oecumenium in commentario; Vera erit, si hoc modo accipiatur. Vir non est seductus prior, quia videlicet diabolus agnoscẽs virum sapientiorem; non ausus est illum immediate aggredi; sed à muliere, quæ facilius seduci poterat, incepit, vt ea seducta virum etiam deiiceret, si non proprie seducendo, at certe blanditiis mulieris inflectendo, atq; ad peccati societatem impellendo.

Patres indicant Adamum materialiter, & occasionaliter seductum esse, non vere & proprie, nam quod crediderit peccatum veniale fuisse, ex superbiâ, & cæcitate errauit. Quod crediderit se non moriturum, experientia post gustum pomi didicisse se putabat, sic deitatem arrogantia affectabat, non â serpente persuasus.

Pareus pag. 482.

λογομαχία, ταυτολογία, ludus histrionicus est. Nam

Patres & Apostolum committit, conciliat, conciliationem repudiat, approbat, igitur ingeniũ ostẽtat, &c.

Defensio.

Quæ repugnantia videntur, conciliãda in scripturis.

Quid adeo tutum vt non rodat liuor? sed conuitia mittamus, disputationis est negocium. Primò, interpretum, nemine ne Caluiniano quidem, ne Pareo quidem, qui Caluinianorum extrema est linea, excepto, consuetudo, vt ea quæ ἐναντιοφανῆ sunt explicando concilient: verba Patrum & Pauli videntur esse contradicentia, nec Patrum modo, sed ipsius etiam Bezæ, cuius ad illa Apostoli verba: *Adam non fuit seductus,* hæc est notatio, *seductus certe fuit, sed ipsius mulieris operâ.* Bonâ ergo operâ, hæc in speciem dissonantia, componit Cardinalis, neq; ideo Patres & Paulum, quasi pariando committit, quo verbo de arenæ atrocitate sumpto delectatur aduersarius. Secundo, cum illa conciliatio, non eodem modo instituatur, diuersas refert Bellarminus, duas omnino reiicit, duas certo sensu reiicit, certo admittit, vt ex Bellarmino, & eius compendio certo constat.

Pareus.

Potuit vno verbo dicere, Adamum non seductum primo, & immediate per serpentem, sicut Eua, sed secundo, & mediate.

Defensio.

Potuit dicere, dixit enim. Voluit & aliorum iudidicia non tacere, & quid sibi de illa conciliatione videretur referre.

Pareus.

Apostolus non dicit absolute Adamum non esse seductum, fallit igitur Bellarminus.

Defensio.

Quid proprie seduci.

Absolute dicit, nullâ additâ limitatione, *non esse seductum, Vere scilicet & proprie:* Ab aliquo intentione fallendi falsum pro vero persuadente. Seducũtur proprie non quos affectus prauæ voluntatis, sed quos fallaciæ falsa dicentium in errorem ducunt.

Pa-

Pareus.

Argumentum Apostoli non est à mulieris imprudentia, sed peccato, ideo quia seducta est vetatur docere, etsi sit acutissima, vt interdictum sit pœna.

Defensio.

Non est argumentum à solo peccato, sed præcipuè ab ipsa naturali constitutione, quæ ignobilior, infirmior, ideo enim prohibetur αὐθεντεῖν dominari, quia creata posterius: docere, *quia seducta est.* vtrumque naturæ imperfectioris indicium. In hunc modum docet Aretius Caluinistæ comm. in 1. Timot. *Primo, inquit, Adam conditus est, ergo sapientior & prudentior Eua; valet ratio in eadem specie, alioquin infirma, cum pecudes & plantæ ante Adamum conditæ sint: sed in eadem specie videtur Deus præstantiora primo loco condidisse, vt inter homines Adamum, Eua ergo hoc gradu inferior est.*

Fœmina infirmior, ideo non permittitur docere.

Pareus.

S. August. non dicit proprie & formaliter Adamum non esse seductum. Nam in Psal. 68. habetur contrarium.

Defensio.

Causa Augustini est, meo patrocinio non eget, loquatur ipse, se & Cardinalem defendet. de Gen. ad literam lib. 11. ca. 42. Illud magis mouet: si iá spiritalis erat Adam, quamuis mente non corpore, quomodo credere potuerit, quod per serpenté dictum, ideo Deũ prohibuisse, ne fructu ligni illius vescerëtur, quia sciebat eos si fecissent, futuros vt Deos propter dignoscétiam boni, & mali, tanquam hoc tantum bonum creaturæ suæ creator inuiderit: hoc mirum si homo spiritali mente præditus credere potuisset. An quia hoc credere ipse non posset, propterea mulier addita est, quæ parui intellectus esset, & adhuc fortasse secundum sensum carnis, non secundum spiritum mentis viueret, & hoc est, quod ei Apostolus non tribuit imaginem Dei. Sic enim ait: vir quidem non debet velare caput, cum sit imago, & gloria Dei: mulier au-

tem gloria viri est. Non quod mens fœminæ eandem imaginem capere non possit, cum in illa gratia non dicat, nec masculum esse nec fœminam: sed quod fortassis illa hoc nondum perceperat, quod sit in agnitione Dei, & viro regente, ac dispensante paullatim fuerat perceptura. Neque enim frustra est illud, quod Apostolus ait: Adam enim primus formatus est, deinde Heua: Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione facta est, id est, vt per illam etiam vir præuaricaretur. Nam & ipsum dicit præuaricatorem, vbi ait: In similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. Seductum tamen negat. Nam & interrogatus non ait : Mulier quam dedisti mihi seduxit me, & manducaui: sed ipsa, inquit, mihi dedit à ligno, & mãducaui. Illa vero: Serpens, inquit, seduxit me. Ita Salomon vir tantæ sapientiæ, nunquid nam credendum est, quod in simulachrorum cultu credidit esse aliquid vtilitatis? sed mulierum amori ad hoc trahenti resistere non eualuit, faciens quod sciebat nõ esse faciendum, ne suas quibus deperibat, atque diffluebat mortiferas delitias contristaret. Ita & Adam postea quam de ligno prohibito seducta mulier manducauit, eique dedit vt simul ederent, noluit eam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo, & omnino illâ interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentiâ, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ: sed amicali quadam beneuolentia, quâ plerumque fit, vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus, quod eum facere non debuisse, diuinæ sententiæ iustus exitus indicauit. Ergo alio quodam modo etiam ipse deceptus est, sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse seduci in vllo modo quo illa potuit.

Hanc autem proprie seductionem appellauit Apostolus,

stolus, qua id quod suadebatur, cum falsum esset, verum esse putatum est, id est, quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuerit, quod sciebat eos, si tetigissent, velut Deos futuros, tanquam eis diuinitatem inuideret, qui eos homines fecerat. Sed etiam si virum propter aliquam mentis elationem, quæ Deum internorum scrutatorem latere non poterat, sollicitauit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem videret acceptâ illâ esca non esse mortuam, secundum ea quæ superius tractauimus: non tamen eum arbitror, si iam spiritali mente præditus erat, vllo modo credere potuisse, quod eos Deus ab escâ illius ligni inuidendo vetuisset. Sed quid plura? Persuasum est illud peccatum, sicut persuaderi talibus posset: conscriptum est autem, sicut legi ab omnibus oporteret, etsi à paucis hæc intelligerentur, sicut oportet. Et cap. 11. lib. 14. de C. D. Satan sermocinatus est fœminæ; à parte scilicet inferiore illius humanæ copulæ incipiens, vt gradatim perueniret ad totum, non existimans virum facile credulum, nec errando posse decipi, sed dum alieno cedit errori. Sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus: nec Salomonem credibile est, errore putasse idolis esse seruiendum, sed blanditiis fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum: ita credendum est illum virum suæ fœminæ vni vnum, hominē homini, coniugem coniugi, ad Dei legē transgrediendam, non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Non enim frustra dixit Apostolus: Adam non est seductus: mulier autem seducta est: nisi quia illa, quod ei serpens locutus est, tanquam verum esset, accepit, ille autem ab vnico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati, nec ideo minus reus, sed sciens, prudensque peccauit. Vnde & Apostolus non ait, Non peccauit: Sed, non est seductus. Nam vtique

ipsum peccasse ostendit, vbi dicit: Per vnum hominem intrauit peccatum in mundum: & paulo post apertius, In similitudinem, inquit, præuaricationis Adæ. Hos autem seductos intelligi voluit, qui id quod faciunt non putant esse peccatum, ille autem sciuit. Alioquin quomodo verum erit, Adam non est seductus? sed inexpertus diuinæ seueritatis, in eo falli potuit, vt veniale crederet esse commissum ac per hoc in eo quidem quo mulier seducta est, non est ille seductus, sed cum fefellit quomodo fuerat iudicandum quod erat dicturus: Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa mihi dedit, & manducaui. Quid ergo opus est pluribus? Etsi credendo non sunt ambo decepti, peccando tamen ambo sunt capti, & diaboli laqueis implicati.

Clarissime vero abutitur testimonio Augustini in Psal. 68. *Qui seduxit Adam*, inquit Augustinus, *ergo* inquit Pareus, *agnoscit, aliquo modo seductum*. Hoc enim plane asserit Bellarminus, Adamum seductum, sed non proprie, & hoc Augustinus sentit.

Pareus pag. 485.

Augustinus nullum, Bellarminus triplicem errorem agnoscit in Adamo, pugnant igitur.

Defensio.

Consensus Augustini & Bellarmini.

Bellarminus triplicem errorem agnoscit ex Augustino. Nam credidit Adam peccatum fore veniale, se non moriturum, imo sicut Deum futurum: sciuit tamen quod faciebat esse peccatum, nam Veniale peccatum, sine dubio peccatum est, in eo igitur non errauit, nam quod faciebat, sciebat esse peccatum.

Pareus pag. 486.

Aduersarius turpissimâ contradictione sese implicat, capite enim præcedente dixit: Initium superbiæ fuisse sine errore. Nunc tres errores, eosque præcessisse fatetur, Quæ hæc est Vertigo?

Aperta Parei calumnia.

Defensio.

Ne sæui, iam auditor de tua confidenti loquentia cru-

Erubescit. Nusquam, nusquam Bellarminus tres illos errores facit superbia priores, disertis verbis dicit posteriores. Verba eius; *Primi erroris causa fuit amor nimius erga coniugem, ac per hoc non seductio alicuius, qui per dolum eum deceperit, sed propria ipsius prauitas, & cæcitas, EX PRAECEDENTE ELATIONE SVBSECVTA.* Nihil hic opus ficulnis foliis, nudam mendacio linguam impudice prostituisti. Et tamen exclamas: Quæ hæc est vertigo?

Pareus pag. 486.

Quid quod duo errores sunt prorsus ἀσύστατοι; Nam credere se venialiter peccare: & credere, Deum mentiri, sunt non modo insana, sed prorsus incompossibilia, cum Deum arguere mendacii, veniale esse, credere nemo possit, nisi insanus vel ἄθεος.

Defensio.

Errores illi fateor hominis insani, & ἀθέου, quia tamen homines insani esse possunt, & ἄθεοι, nihil repugnat errores illos in eodem inueniri. Certe non admodum scelus suum æstimant, cum in Deum retorqueant, interprete Caluino, An Iudæi cum obstreperent Prophetæ: *Non est æqua via domini*, dicentes, se putabant peccare mortaliter? Imo in tam atroci blasphemia culpam nullam agnoscunt. Vtinam ἀσύστατοι essent tanti errores, non tam multi in grauissimis sceleribus sibi blandirentur.

Et quomodo ἀσύστατον est, & hæc, & ista peccare, cum tu tam ἀσύστατα dicas, & tantos facias esse peccatores, vt omnino ἀθέους fuisse suspiceris? Quæris enim, *an tantum nefas raptus pomi?* Respondet: *sane grauissimum: quia multa in eo horrenda peccata concurrunt.* Quæ vero illa sint enumeras. *1. superbia, ambitio, admiratio sui. 2. Incredulitas. 3. Contumacia seu inobedientia. 4. Ingratitudo pro acceptis beneficiis.* 5. ἀστοργία. 6. ἀποστασία.

Si hæc tanta in se admisit ille flagitia, certe insanus & ἄθεος fuit, cur ergo sic contra Bellarminum argumentaris: Non fuit insanus & ἄθεος, non igitur erroribus illis obnoxius? *At Deum arguere mendacii, inquis Veniale esse nemo credere potest, nisi ἄθεος vel insanus*: ita tu quidem: Et idem tamen affirmas in Catechesi: *Arguebat Deum mendacij. Dixerat Deus: morte morieris. Hoc negauit diabolus, inquiens: nequaquã moriemini: accusant Deum inuidiæ: sed nouit Deus, quod in die quâ comedetis ex eâ aperientur oculi vestri, eritisque sicut dii, scientes bonum & malum: diabolo Adam plus credidit, quam Deo*, addis etiam; *Adamum non credidisse futurum vt puniretur, Deum habuisse pro non Deo, diabolum substituisse in locum Dei.* an obsecro parum insanus est, & ἄθεος, qui Deum mendacem facit, veracem diabolum, Deum habet pro non Deo, illi substituit diabolum. An qui hæc facit, non posset etiá cogitare hæc esse venialia? an simplex furor est ista facere, & tamen facta asseris. Hæc primi hominis peccata, at non fuit ἀσύςατον cũ illis existimatio de veniali peccato. Nam nec tuis magistris mira videtur illa facti extenuatio in v. 7. Gen. 3. *Consuunt sibi ex foliis perizomata. Quorsum? vt tanquam inuicto propugnaculo Deum procul arceant: Fuit ergo confusus tantum, vt cũ hebetudine coniunctus mali sensus, qualis in somno inquieto esse solet. Nemo enim nostrum est, qui non illorum stultitiam rideat (vt certe ridiculum fuit tale integumentum Dei oculis opponere) Interea & pudore afficimur: sed protinus obrepit indulgentia, quæ nos inducit ad friuolas ineptias, quasi promptum sit Deo illudere. Itaq; nisi magis prematur conscientia, nullus est tã inanis, & fluxus excusationis color, in quo non adquiescamus: Imò si nullus fucus suppetat, facimus tamen nobis delicias, & tridui obliuione putamus nos bene esse tectos. In summa, describitur hic à Mose frigida & semimortua peccati cognitio, qualis ingenita est mentibus hominum, vt reddantur inexcusabiles.*

In-

Insculptum est omnium cordibus boni & mali discrimen, vt docet Paulus ad Rom. c. 2. 15. sed inanibus foliis omnes vitiorum suorum dedecus sepeliunt, donec eorum conscientias intus voce sua Deus percellit: Voci Dei, & nuditati suæ timorem imputat. Quod pudoris causam in peccato non cognoscit, in eo nimis stupidus est. Sic ergo se pœnam sentire ostendit, vt culpam nondum fateatur. Tacitè prius cum Deo expostulabat, nunc palam cum eo litigare incipit, immò quasi fractis repagulis insultat. Vnde perspicimus, quam præfractum, & indomitum animal ceperit esse homo, postquam à Deo alienatus est.

Corruptæ enim naturæ viua effigies, in Adam nobis proponitur ab eius defectione. Tentatur vnusquisque â propria concupiscentia, inquit Iacobus: & Adam ipse non nisi sciens & volens Deo se rebellem præstiterat. Perinde tamen ac nullius mali conscius, vxorem substituit ream suo loco: Ideo comedi, inquit, quia dedit illa, neque hoc contentus, Deum simul arripit in crimen, obÿciens vxorem quæ perniciem attulit, fuisse ab illo datam. Nos quoq; in eadem peccati originalis schola edocti, captandis eiusmodi effugiis nimium sumus habiles, sed nullo profectu: Nam vtcunq; flabella aliundè ei instigationes impellant: intus tamen est infidelitas, quæ ab obedientia Dei nos abducit: intus est superbia quæ contemptum parit. Et in v. 13. Non tamen obmutescit (Eua) sed mariti exemplo exonerat alio crimen: serpentem culpando se absolutam putat: stultè quidem & impudenter. An qui tanta scelera commiserunt, & tamen Deum arcere, in fuco adquiescere, culpam non fateri, cum Deo litigare, Deo insultare, Deum in crimen arripere, obtenebrati & semimortuâ peccati cognitione trepidantes pergant, non possent putare peccatum esse veniale, qui penè nullum putabant, aut si initio putabant aliquod, illud tamen inanibus folijs sepeliebant. At si ita est, fuerint aut insani, aut ἄθεοι,

omnino verò & inſani, ſtulti, & imprudentes, & ἄθεοι. Vtinam non multos hodie maior inſania teneat, atq; ἀθεότης, cum ſibi perſuadent omnia flagitia ſimul ac te prædeſtinatum imaginatus fueris remiſſa eſſe.

Ex hiſce ad cætera quoq; facilis eſt reſponſio.

CAPVT VIII.

1. *Vter protoplaſtorum grauius peccarit?*
2. *Sententiæ variant.*
3. *Septem actus in his peccatis.*
4. *Bellarminus à contradictione vendicatus.*

Primum peccatum non potuiſſe eſſe veniale.

Bellarminus.

NOn potuit: quia etiam timor, & dolor in eo eſſet. Deinde quia nec veniale ex genere, nec ex ſubreptione eſſe potuit. ita Auguſtinus.

Pareus pag. 490.

Quærere an primum peccatum poſsit eſſe veniale? eſt quærere, an nolle ideo credere, Deum mendacij arguere &c. ſit veniale?

Defenſio.

Falſum eſt quod aſſumitur. Sed eſt quærere, an aliquis poſsit eſſe tam paruus, tam parui peccati motus, qui ſit venialis, isque primum peccatum, nullo mortali præcedente peccato.

Pareus pag. 490.

Per omne peccatum homo deſinit eſſe in ſtatu innocen-

nocentiæ. Deinde plura supra sunt numeranda genera venialium.

Defensio.

Quæ innocentia per venialia tollatur, quę maneat, supra dictum est, libro primo. Deinde diuisionem illam eodem libro defendimus.

CAPVT IX.

Peccatum Adami grauius fuisse quàm peccatum Heuæ.

Varia Patrum sententia. vter Protoplastorum grauius peccarit.

TRactatur à Doctoribus alia quæstio, vter peccauerit grauius, vir primus, an mulier prima. Et quidem Sanctus Ioannes Chrysostomus homilia septima ad populum Antiochenum, disertis verbis docet, peccatum mulieris grauius fuisse, quam peccatum viri. Quam sententiam plerique Scholasticorum sequuntur in secundo sententiarum distinct. 22. Contra autem Sanctus Ambrosius in libro de institutione virginis, cap. 4. multis argumentis contendit, virum grauius peccasse, quam fœminam. Sanctus Augustinus loquens de primo actu malo primorum parentum, id est, de motu superbiæ, libr. 11. de Genesi ad literam, cap. 35. Dicit eam peccasse impari sexu, pari fastu. Et tam in eo libro, quam in libro 14. de ciuitate Dei, semper ita loquitur, ac si æquale putauerit fuisse peccatum mulieris peccato viri. Sed quoniam cap. 6. duas opiniones probabiles esse diximus, de infidelitate mulieris, vnam, quod crediderit Deum esse inuidum, & mendacem; Alteram, quòd crediderit, Deum non prohibuisse lignum scientiæ, seq; aut virum suum non benè intellexisse verba Domini: Idcirco nunc etiam duas opiniones probabiles esse, affirmare cogimur, de grauitate peccati viri ac mulieris.

Proba-

Probabile est Euam grauius Adamo peccasse.

Probabilis enim est sententia Sancti Ioannis Chrysostomi, & multorum scholasticorum, qui docent, mulierem grauius peccasse, quam virum: quia si mulier credidit, Deum ex inuidia esse mentitum, cum ait: quacunque die comederis, morte morieris, quod (vt dixi) Doctores illi probabiliter sentiunt, certè mulieris superbia, & infidelitas longè fuit grauior, quàm superbia, & infidelitas viri. Mulier enim voluit inuito Deo, fieri sicut Deus, quæ est superbia planè intolerabilis, & credidit Deum esse inuidum & mendacem, quæ est species infidelitatis extremæ, & blasphemiam cõtinet inauditam. Vir enim non credidit, Deum esse inuidum, vel mendacem, sed veniale fore peccatum suum, ac per hoc se moriturum transgrediendo præceptum, forte etiam futurum sicut Deum. Proindè cupiuit quidem fieri sicut Deus, sed non inuito Deo; & infidelis fuit, sed absq; blasphemiâ illâ, & errore grauissimo, quæ in peccato mulieris fuerunt.

Probabilius tamen Adamum absolutè grauius peccasse.

Probabilior tamen sententia nobis videtur (vt supra etiam diximus) mulierem non credidisse Deum esse inuidum & mendacem, sed solum præceptum Dei à se, vel à viro suo non bene intellectum, ac per hoc cum Sancto Ambrosio arbitramur, virum absolutè grauius peccasse, quam fœminam; licet quòd ad aliquos actus æque peccauerit mulier, ac vir, vt S. Augustinus rectè docuit.

Septem actus mali in protoplastorum peccato.

Sed vt hæc omnia facilius perspiciantur, sciendum est in peccato viri fuisse septem actus malos, & in peccato fœminæ totidem, sed non omnino eosdem. Primus actus malus in peccato viri, superbia fuit, qua in suâ potius esse, quam in potestate Dei dilexit. Testis Augustinus in Enchiridio, cap. 45. Secundus, amor coniugis immoderatus. Testis idem Augustinus libr. 11. de Genesi, cap. vlt. Tertius, infidelitas, qua Deo non credidit dicenti: morte morieris, & Diabolo credidit, eritis sicut Dij. Augustinus in Enchirdio, capite

capite quadragesimo quinto. Quartus, curiositas. Sollicitauit enim eum quædam experiendi cupiditas, inquit Augustinus lib. 11. de Genesi cap. vlt. Quintus, inobedientia particularis & expressa. Comedisti de ligno, de quo præceperam ne comederes, inquit Deus ad Adamum Genes. 3. Sextus excusatio peccati. Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, Genes. 3. Septimus, læsio proximi. Nam in Adam omnes moriuntur, 1. Corinth. 15. In peccato mulieris Primus fuit, superbia, Augustinus lib. 11. de Gen. cap. 3. Secundus infidelitas, quâ serpenti credidit, & Deo non credidit, Augustinus ibidem. Tertius, concupiscentia cibi prohibiti. Vidit enim lignum, quod esset pulchrum visu, & ad vescendum suaue, Genes. 3. Quartus inobedientia particularis, & notissima. Sumpsit enim de fructu & manducauit, Gen. 3. Quintus, inductio viri ad peccandum. Attulit viro, qui & ipse comedit, Genes. 3. Sextus excusatio peccati. Serpens decepit me, Gen. 3. Septimus, læsio generis humani. Nam à muliere initium peccati, & per illam omnes morimur. Eccles. 25. Iam verò si conferamus actus ipsos malos inter se, inueniemus peccatum viri æquale esse, aut aliquando grauius peccato mulieris. Si conferamus personas peccantes; inueniemus in multis peccatum viri esse grauius, in paucissimis grauius esse peccatum mulieris.

Primus actus vtriusque, fuit superbia, est superbia plane eadem. De vtroque enim scribit Augustinus li. 11. de Gen. c. 34. Quid mirum, si superbi volentes esse sicut Dij, euanuerunt in cogitationibus suis; Et ca. 25. Impari sexu, pari fastu.

Secundus actus vtriusque communis fuit infidelitas, & infidelitas eadem, aut per similis, vterque credidit se non moriturum, sed futurum sicut Deum, hoc solum videtur esse discriminis, quod mulier credidit, præceptum non esse datum, aut à se non bene intelle-

intellectum ; Vir credidit veniale fore peccatum, si præceptum transgrederetur, ac per hoc non ita accipiendum præceptum, vt verba sonare videbantur. Itaque fere in idem recidit infidelitas vtriusque.

Tertius actus vtrique communis, fuit inobedientia, & inobedientia omnino eadem, vt notum est.

Quartus actus communis vtriq; fuit, excusatio peccati. Et in hoc actu grauior fuit iniquitas viri, quàm mulieris. Vir enim sociam accusauit, mulier hostem; & præterea vir in Deum culpam reiecit, cum ait: Mulier quam dedisti, &c. Mulier in serpentis astutiam, & in suam simplicitatem: Serpens, inquit, decepit me.

Quintus actus communis vtrique, fuit læsio generis humani; & in hoc etiam actu sine controuersiâ grauius Adam, quam Heua peccauit. Nam Heua occasionem dedit perditioni generis humani, sed Adam vera ac propria causa fuit eius perditionis. Nam si sola Heua peccasset, non propterea corruptum esset genus humanum, siquidem, per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, & in vno homine, Adamo videlicet, omnes peccauerunt. Roman. 5.

Sextus actus viri proprius, fuit amor nimius in coniugem, cui respondet sextus actus mulieris proprius, inuitatio viri ad peccandum. Qui duo actus videntur omnino similes; cum Heua non aliâ de causâ virum incitauerit ad cibum vetitum degustandum, nisi quia valdè diligebat eum, & vt bonum, quod se inuenisse credebat, cum eo communicaret.

Septimus actus viri proprius, fuit cupiditas experiendi, an cibus ille mortem adferret; cui respondet septimus actus mulieris proprius concupi-

cupiſcentia cibi illius, qui vel ipſo aſpectu ſpeciem & ſuauitatem præſeferebat. In hoc verò actu quis non videt, grauiorem viri eſſe culpam, quàm mulieris; Nam curioſitas illa viri tentatio Dei erat, & quidem periculoſa admodum; Cupiditas mulieris tentatio fuit gulæ, quæ ab obiecti præſentiâ facilè irritatur. Actus igitur mali per ſe conſideſiderati, magis virum, quam mulierem damnant.

Quòd ſi perſonas conſideremus aliasque actuum illorum circumſtantias, longè clarius apparebit maiorem viri, quam fœminæ culpam eſſe iudicandam.

Primum enim, vir erat ſapientior & fortior. Deinde, vir caput erat mulieris, & eam docere, non eam audire debuit. Quod exprobrans illi Deus ait: Quia audiſti vocem vxoris tuæ, &c. Tertiò, vir hoſtem habuit debiliorem, mulier fortiorem, vt notum eſt. Quartò, vir à Deo præceptum acceperat, mulier à viro (vt ſupra ex Ambroſio & Auguſtino docuimus.) Quintò mulier magis agnouit culpam, quàm vir, ſiquidem confeſſa eſt errorem cum ait: Serpens decepit me: vir neq́ue errorem, neq́ue culpam agnouiſſe videtur. Sextò, Deus longè grauius Adamum reprehendit, quàm Heuam. Ait enim per irriſionem: Ecce Adam ſicut vnus ex nobis factus eſt &c. Septimò, cum Deus & virum, quæ vtrique communis futura erat, ſoli Adamo ſignificauit, dicens; Puluis es & in puluerem reuerteris.

Pareus propter compendiariam exegeſin, & repetitiones nugarum, ſupra refutatarum, nihil adfert.

Grauiter tamen inſonat pag. 496. *Quod crediderit, præceptum non ita accipiendum, vt verba ſonare videbantur, contradictoriè pugnat cum eo, quod dixit c. 6. §. De viro, Adamum id non crediſſe: Verba fuerunt: ſiue Diabolus perſuadere voluit, Deum eſſe inuidum*

uidum & mendacem, siue præceptum de fructu ligni scientiæ non edendo non fuisse accipiendum propriè, sed cum aliquo tropo: id mulier credidit, ac per hoc seducta in præuaricatione fuit. Vir autem non credidit nec seductus fuit, sed alia ratione errauit. Ibi igitur vir non credidit præceptum cum tropo esse accipiendum, vt verba sonare videbantur: quæ apertißima & pudenda est Aduersarij contradictio,

Defensio.

Bellarminus à contradictione vindicatus,

At nulla est contradictio: Non credidit præceptum impropriè, & cum tropo accipiendum, aut non esse datum, idque ex alienâ seductione, credidit verò se non moriturum, aut veniale peccatum. Sed quomodo? non seductus verbis serpentis aut Euæ, sed aliâ plane ratione; inductus superbiâ & nimio amore coniugis. Nam cap. 6. §. De viro, Bellarminus de seductione agit, quæritque an Adamus errarit seductus alienâ persuasione, quod est propriè seduci, sic enim seductum negat, at simpliciter errasse fatetur.

CAPVT X.

1. *Quod peccatum grauissimum?*
2. *Non omnis superbia Dei odium continet.*
3. *Quomodo primum peccatum grauissimum secundum aliquid.*
4. *Parei stoicismus.*
5. *Pareus à se omnino recedit.*

Peccatum primi hominis fuisse aliquo modo peccatorum omnium grauißimum, non tamen absolutè.

Bellar-

Bellarminus.

ILlud peccatum absolutè dicitur grauius, quod secundum suam speciem est grauius; illud absolutè grauissimum, quod secundum suam speciem est grauissimum. Illud autem secundum speciem suam est grauius, cuius obiectum maiori bono contrarium est; & ideo cum nihil sit amori Dei præferendum, nullaq; sit virtus caritate præstantior, efficitur vt nihil sit in malis deterius odio Dei. Porro peccatum primi hominis non fuit propriè odium Dei; sed superbia, inobedientia, infidelitas, quæ non caritati, sed humilitati, obedientiæ, ac fidei propriè opponuntur.

Pareus pag. 501.

Illud est grauissimum absolutè, non quod secundum materialis sui speciem, sed quod secundum formale est grauissimum. Tale fuit hoc. Nam fuit inobedientia, superbia, Dei contemptus, quæ non sunt absque odio Dei: nam grauissimè offendit.

Defensio.

Quorsum hæc tam putida tendunt? *Secundum speciem materialis* dicitur valdè impropriè, non enim species à materiâ est, sed formâ. Secundò, Formale quod peccato speciem probet, non est offensio; hæc enim est omni peccato communis, sed sua cuique peccato peculiaris deformitas speciem. Itaque aliud est iniustitia, aliud intemperantia, de sua quodq; specie.

De hac specie quæri solet, quodnam sit ex specie seu natura suâ grauissimum, & responderi, id quod nobilissimæ virtuti opponitur, videlicet expressum odium diuinitatis; contrarium ei, à qua vniuersa lex pendet, & prophetæ; caritati. Nec omne tamen Dei odium, etiam sine pleno consensu incautis obrepens, omni alio scelere grauius est: sunt quæ odij malitiam eousque minuant, alia peccata exasperent, περιστάσεις seu circumstantiæ; donec quod ex specie *Quod ex specie grauißimum peccatum.*

tætrius erat, consideratione accidentium minus censeatur. Est videlicet homicidium furto grauius naturâ seu specie, fieri tamen potest vt grande furtum, malitiose perpetratum, vel etiam cogitatum homicidio vel facto, vel deliberato sit grauius, minuere enim malitiam possunt, atrocitas iniuriæ illatæ, cautio futuri, subiti doloris excandescentia; tētationis vehementia, inconsideratio, imprudentia. Hanc comparationem ita instituunt Theologi, vt dicant: Paribus circumstantiis illam peccati speciem ex naturâ grauiorem esse, cuius grauissimum crimen, est maius alterius speciei maximo sceleri. Hac igitur ratione peccatum primorum parentum non est ex specie sua grauissimum.

Pareus.

Fuit superbia, ergo odium & contemptus Dei, omnis enim superbia, est cum Dei contemptu. & superbis Deus resistit.

Defensio.

Non omnis superbia odium Dei continet.

Communis sensus expers argumentum. Si enim quicquam efficit ratio, de omni superbia conficiet. Omnis superbia, etiam minima vanitatis cogitatio est cum contemptu & odio Dei, vt ait aduersarius, ergo ex specie grauissimum peccatum. Et omni superbiæ etiam minimæ Deus resistit. Igitur. Respondeo. Non omnem superbiam habere odium Dei, imo ne formalem quidem diuinitatis contemptum, nisi eo modo, quo in omni peccato mortali cernitur quidam Dei contemptus, cum creaturæ postponitur amicitia creatoris.

Pareus pag. 501.

Omnis amor Dei deficiens, est odium Dei, superbia est amor deficiens, ergo est odium Dei. Luc. 14. Nisi quis odio habuerit parentes propter me, id est, amore mei defecerit parentum causa.

De-

Defensio.

Itane in re seria ludere? An & amor Dei deficiens in dormientibus est odium Dei? an & amor Dei, sed non summus est odium Dei? An caritas imperfecta est odium Dei? an omnis actio hominis regeniti, cum sit imperfecta est odium Dei? Nec ad rem facit cap. 14. Lucæ. *Si enim odisse parentes, est,* vt ait Aduersarius ex Matth. 10. 37. *non supra Deum diligere* & omne peccatum, quo creatura diligitur supra Deum, est odium Dei, sequitur omne peccatum, quo conuertitur ad creatum bonum inordinatè res creata, esse odium Dei, ideoque natura grauissimum.

Pareus pag. 502.

Quod dicit, fuisse peccatum grauißimum secundum aliquid, est aliquid sed non satis, imo nihil: quia illud aliquid, quid sit, non explicat.

Defensio.

Illud aliquid sane est aliquid, & quod Pareus dicit, etsi satis est, imo nimium, tamen nihil est, quia mendacium est, satis euidens, ne posset negari, nimium turpe, vt erubescat intueri, sed vel auersis oculis ingeramus illi Bellarminianum aliquid. Quod autem, inquit, secundum aliquid peccatorum omnium grauissimum fuerit, demonstrat Sanctus Augustinus ex triplici capite. Primo ex facilitate non peccandi, quæ maior fuit in Adamo, quam in aliis hominibus vnquam. Habuit enim præceptum vnum tantum, idque leuissimum; habuit multa, quæ ad seruandum impellerent, Dei iubentis auctoritatem, & grauissimas pœnas transgressori propositas: caruit concupiscentia, quæ ad peccandum induceret. Sed Augustini verba audiamus lib. 14. de C. D. cap. 12. Hoc, inquit, de vno cibi genere non comedendo, vbi aliorum tanta copia subiacebat, tam leue præceptum ad obseruandum, tam breue ad memoria retinẽdum, vbi præ-

Bellarminus exponit quomodo primorum parentum peccatum fuerit grauißimum secundum aliquid.

ſertim nondum voluntati cupiditas reſiſtebat, quod de pœnâ tranſgreſsionis poſtea ſubſecutum eſt, tantò maiore iniuſtitiâ violatũ, quãtò faciliore poſſet obſeruantiâ cuſtodiri. Et in eodem l.c. 15. Vbi .n. magna eſt inobedientiæ pœna propoſita, & res à creatore facilis imperata, quiſnam ſatis explicet, quantum malum ſit non obedire in re facili, & tantæ poteſtatis imperio, & tanto terrenti ſupplicio?

Altera ratio ducitur ab ingratitudine primi hominis, qui ſummâ felicitate in paradiſo fruebatur. Nunc .n. maxima à Deo beneficia habemus, ſed partim in fide, vt beneficium incarnationis, partim in ſpe, vt ſempiternam felicitatem, ex quo fit, vt parum admodum illa cognoſcam⁹: deinde admiſta nũc ſunt beneficia flagellis, & cõſolationes tribulationib. Quocirca nõ eſt adeo mirum, ſi in his, & in hoc exilio multi Deũ deſerant, & ad temporalia bona declinẽt. At Adã plurima habuit Dei beneficia, maximũ lumen, nullas tribulationes, nullam ignorantiã, & tamen Deum deſeruit. Quia (inquit) Aug. l. 14 de C.D.c. 15. contemptus eſt Deus iubens, qui hominem creauerat, qui ad ſuam imaginem eum fecerat, qui cæteris animalib. præpoſuerat, qui in paradiſo conſtituerat, qui rerum omniũ copiam, ſalutiſq; præſtiterat &c. iuſta damnatio ſubſecuta eſt. Et l. 21. c. 12. Sed pœna æterna ideo dura, & iniuſta videtur ſenſib. humanis, quia in hac infirmitate moribundorum ſenſuũ, deeſt ille ſenſus altiſsimæ, puriſsimæq; ſapientiæ, quo ſentiri poſsit quantum nefas in illâ primâ præuaricatione commiſſum ſit. Quãtò .n. magis homo fruebatur Deo, tanto maiore iniquitate dereliquit Deum, & factus eſt malo dignus æterno, qui hoc in ſe peremit bonum, quod eſſe poſſet æternum. Tertia ratio ſumitur à læſione generis humani. Peccatum enim in eadem ſpecie tantò maius eſt, quantò pluribus nocet. Nullum autem fuit vnquam peccatum, quod pluribus noceret, quam peccatum

catum Adæ. Siquidem vniuersum genus hominum damnationi addixit. Hinc est (inquit S. Aug. loco citato) vniuersa generis humani massa damnata, quoniam qui hoc primitus admisit, cum eâ, quæ in illo fuerat radicata, sua stirpe punitus est. Vide eundem in Enchirid. c. 26. & 27.

Grauissimum igitur non ex suâ specie, sed facilitate præcepti, ingratitudine peccantis, pernicie perditæ posteritatis, quæ non sunt nihil, sed mala ingentia, mala grandia nimis.

Pareus pag. 503.

Non secundum aliquid, sed absolutè grauißimum reatum conciliauit hominibus omnibus, grauißimè ergo Deum offendit.

Defensio.

Puerile Sophisma: si enim sensus est: Absolutè conciliauit reatum grauissimum, hoc est, absolutâ, specificâ malitiâ, non eâ quæ ex circumstantijs, hoc est, quod negamus. Si sensus est: Malitiâ quæ ex circumstantijs aucta est, conciliauit reatum absolutè grauissimum, ad institutum nihil pertinet, quandoquidem multa ex naturâ leuiora Deum grauissimè offendunt.

Pareus pag. 503.

Primum peccatum non nisi grauißimo λύτρῳ, & satisfactione, morte videlicet filij Dei, pro nobis expiari potuit, ergo peccatum absolutè grauißimum fuisse, negari non potest.

Defensio.

Negauit libro primo, & rectè stoicorum in peccatis παραδοξοτάτην paritatem, nunc eam vertigine non disputandi, sed insaniendi, cum ipso Zenone inducit. *Pareus Stoicus.*

Nos, id demonstremus. Peccatum illud est absolutè grauissimum, quod non nisi sanguine Christi expiari potuit. Atqui minima minimi, peccati cogitatio,

non nisi Christi sanguine expiari potuit, minima ergo minimi peccati cogitatio, est absolute grauissimum peccatum, non igitur minimum. Maior est aduersarii, Minor orthodoxis, Lutheranis, aliis communis, nullum enim sine illo sanguine agni iustos dealbantis peccatum eluitur. Et libro 1. Aduersarium ita argumentantem audiuimus ; *Omnia peccata expiari debent sanguine Christi, nullum igitur Veniale.* Item: *Si veniale est , frustra Christus passus.* Nunc vero: *Primum peccatum sine illo λύτρῳ non potest expiari, absolutè igitur est grauissimum.* Cui dubium esse potest, quid diabolus strophis illis moliatur ? parum illi est Venialia tollere de medio, vt cui nullum sit Veniale: eodem Sophismatum ludibrio, etiam omnia æquare conatur, & cur illud? Non vt parua, velut magna mala fugiamus, sed vt magna paria minimis arbitrati fidenter faciamus. Æqualitate enim illa constituta, promptum est humano ingenio in sui adulationem propenso omnia parua potius, quam magna existimare.

Verum Aduersarium iam sanatum, omnia recantantem audiamus , quæ de primo peccato dixerat.

Pareus pag. 503.

Antecedentia fuerunt partim ἀφορμαὶ occasiones peccandi, partim ipsa peccata. Præcessit ocium, quod mulier tunc non potius culturæ paradisi vacauit : sicut iusserat Deus cap. 2. 16 5. quando venit, & curiosa præsumptio, quod absente marito in certamen periculosum cum serpente descendit : & incogitantia, quod verba præcepti non recordatur, & recitat sat rectè: & dubitatio, quod de veritate interminationis hæsitat: ne forte moriamur: & infidelitas, quod audita serpentis negatione, Deo amplius non credit; sed incipit eum suspectum habere inuidiæ: & fastidium status : quod imaginem Dei quam habet, pro nihilo facit : & superbia,

quod

quod affectat diuinitatem; & ambitio, quod desiderat omniscientiam: & idololatria, quod hæc tanta bona à diabolo expectat: & appetitus inordinatus, quod intus mouetur ad obiectum prohibitum: & praua voluntas, quod eligit obtemperare suasioni Satanæ potius, quam Dei præcepto: & concupiscentia oculorum, quod se pascit flagrante vetitæ arboris intuitu, & cibum illicitum ad esum oculis designat: & incontinentia manuum, quod tangit, & edit pomum interdictum: & intemperantia gulæ, quod delicium raptum comedit, & sic peccatum animo conceptum opere malo explet.

Hoc fuit transgreßionis caput, quod mox comitatur contumacia aduersus Deum, cui homo fit rebellis: & apostasia, quod transit à Dei obedientia in diaboli potestatem, ac seruitutem: & fœda ingratitudo, quod bona diuinitus collata momento abijcit: & fuga Dei, quod vocem Dei amplius non sustinet: & mala conscientia, quod torquetur sensu iudicii diuini: & tergiuersatio, quod peccatum amissum excusat: deniq; euersio sui, & mariti cum tota posteritate, quod totam naturam humanam maledictionis reatu inuoluit. Tam longam peccatorum, & malorum catenam vnius hominis inobedientia secum traxit. Et quomodo igitur dubitamus illam peccatum peccatorum omnium absolute grauissimum fuisse, dicere?

Defensio.

Macte paree: Sic te decuit tandem cedere non Bellarmino, sed tibi, nondum audio dicere veritati, etsi enim iure falsa, quæ dixeras, deseris, plusculum tamen error te inolitus à veritate dispescit.

Capite quarto, & quinto primum peccatum erat infidelitas. Nunc vero. Primum est ocium, quia non vacauit culturæ paradisi, sicut Deus iusserat, cap. 2. 16. *Pareus omnino à se recedit.*

Ordo peccatorum nouus.

Primum peccatum fuit, si non pigritia, saltem ἀεργασία quædam, non igitur infidelitas.

Secundum curiosa præsumptio, quod absente marito in certamen cum serpente descendit: sed hoc non simplex peccatum: Nam primo ipsa curiositas seu πολυπραγμοσύνη ex se veri nominis est peccatum, deindè pręsumptio, quę sane peccatum est, & quidem superbiæ. Tertiò temeraria periculorum susceptio. Quartò contemptus mariti & Dei. Tot igitur peccata iam pręeunt primum peccatum. Sed plures etiam sunt anteambulones.

Tertiò incogitantia, quod verba præcepti non recordatur, & non recitat sat rectè. Hic plura etiam delicta. Nam in tanta primordialis integritatis quiete, in illo memorandi vigore, inexcusabilis planè incogitantia est, & animi euagatio, non recordantis legem recens latæ, quæ iugi exercitatione erat vsurpanda. Magna etiam temeritas legem & comminationem cuius oblita erat recensere, quasi certo eam cognosceret: Denique si dictorum est oblita, culpanda negligentia, si meminit, per fraudem immiscet illud fatale nimis certum, *forte*. Ecce quod peccata præcedunt infidelitatem, quam Aduersarius, vt Bellarminum reprehenderet, fecit primum.

Alia etiam non pauca imperitè ab Aduersario dicuntur, sed multa illi ignoscenda sunt, vt liber posit absolui.

Vnum dissimulare nefas: Pagina 502. ait: Nam mulieri in certamine cum diabolo stare, & tentationem vincere sine speciali Dei auxilio, non modo non facilè fuit sed omnino difficile, imposibile quod euentus ostendit.

Primò quidem id contra Augustinum, & omnes veteres, magnam partem Caluinistarum, nam cui imposibile est, stare, sine culpâ cadit, nullum igitur

igitur fuit mulieris peccatum, sed miserabili necessitate mulierem constringentis Dei, nam auxilium quo stare potuit, iuxta illum non dedit.

CAPVT XI. & XII.

NIhil hic aduersarius carpit, quod non libro primo sit refutatum. Hoc solum nouum est, quod calumniatur Bellarminum, reatum mortis æternæ omittere, cum Bellarminus hic agat de pœnis, quæ proprie sequuntur ex hoc peccato, nam omnibus mortalibus pœna illa cómmunis.

Capite 12. De pœnitentia & salute primorum parentum agit. Aduersarius veterum argumentis, quibus Adamum & Euam saluatos fuisse probant, suas quasdam ratiunculas adiungit. Vt, Audiuerunt prædicationem Euangelii, non leguntur respuisse, acceptarunt igitur. &: Caritas hoc iudicat, ergo salui facti sunt.

Verum cum his finem ille faciat accusandi, nos quoque defensionem absoluamus.



DE HÆRESEON INCREMENTO, ET

UTRUM ANNUS M. D. CCXI. SIT MUNDO ULtimus.

Ad Collegium Anti-Bellarminianum Dauidis Parei consideratio.



NEſcio vos, ô viri Ante-Bellarminiani, qui genus, vnde domo, albi an atri ſitis ignoro. Nomē ſodalitii veſtri duntaxat in diſputatione aphoriſtica lego, in ea ſcriptum eſt. EX COLLEGIO ANTI-BELLARMINIANO DAVIDIS PAREI. itaque vos Pareo mancipatos, Bellarmino inimicos, de nomine magni aduerſarii glorioſas lites aucupari intelligo, & velle tanto Cardinali ambitione, vel periculoſa componi. Neque iſthoc miror, cum diſciplinę veſtrę φιλονεικίαν quotidiano conflictu mūdus agnoſcat, illud vero maximo opere demiror, quomodo ex tanta diſſenſione, quæ inter vos eſt, coaleſcere collegium potuerit, nec minus ambigo an veſtrum Collegium alteri itidem Collegio Anti-Bellarminiano Amādi Polani confœderatum ſit, Amandus enim ille nec à ſuis diſcipulis, à quibus amatur, defendi ſolet, vt conſtat *ex præfatione Groſſij in illud Collegium*. Admiratio & dubitatio Collegiorum iſtorum effecit, vt accurate omnia perpenderem, conſideratio-

Collegia Anti Bellarminiana.

nem-

nemq; meam, quaſi analecta in libros Pareanos ad vos mittam, cauſæ æquitati vos non iniquos fore confidens, cui teſtimoniũ perhibet conſcientia veſtra, quãuis adhuc auctorata Pareo lingua ſilentio premat confeſsionem, quam tamen ipſam non deſpero aliquando in vulgus prodituram, legẽdis itaq; hiſce, in quale barathrum errando, cadendoq; veneritis cognoſcite.

CAPVT I.

De veterum hæreſeon incremento.

CAuſa hæreſeon eſt ille qui Rex eſt ſupra omnes filios ſuperbiæ ſatanas, deinde ex primo illo fonte ſcaturiens hominum quoque arrogantia. Quicunq; enim in hæreſeon ſcopulos præcipitiaque adacti naufragium fecerunt, vel vt nouitate doctrinæ inclareſcerent, vel vt morum, & famæ ſiniſtræ dedecora abolerent, à ſolita via, & cõmuni veritatis ductu declinarũt. Talem nobis deſcribit Nouatũ glorioſus martyr Cyprianus. epiſt. 49. ad Cornelium. *Nam de Nouato nihil inde ad nos fuerat nunciandum, cum magis per nos vobis debeat Nouatus oſtẽdi, rerum nouarum ſemper cupidus, auaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantia & ſtupore ſuperbi tumoris inflatus, ſemper iſtic epiſcopis male cognitus, quaſi hæreticus ſemper, & perfidus, omnium ſacerdotum voce damnatus; curioſus ſemper vt prodat, ad hoc adulatur vt fallat, nuſquam fidelis vt diligat, fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia, turbo & tẽpeſtas ad facienda fidei naufragia, hoſtis quietis, trãquillitatis aduerſarius, pacis inimicus. Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoq; Eccleſiæ denegatæ, pater ab eo non ſepultus, vterus vxoris calce percuſſus.*

Cauſa hæreſeon.

Nouatus.

His agitati ſtimulis cœteri etiam ſectarii, cũ exorbitare cœperint, tandem in aperta monſtra, & ſcelera non iam opinationum ſed deliriorum erumpunt, vt

Finis hæreſeon.

iam

iam non aliena fidei modo, & pietatis Christianæ, sed rationi, & quam communis hominum sensus omnibus indidit, intelligentiæ aduersa, ridicula, delira, impia doceant impudenter, tueantur contumacissime. Magnum diuinæ seueritatis exemplum est omnis hæreticus, à probabili enim & ad imperitorum plausus commendabili errore fere omnes initium capiunt, donec ad ea, à quibus omnis honestas, veritas, humanæ vitæ societas abhorret, traditi in reprobum sensum, abripiatur, error enim parit errorem, paruus, ingentem, & qui contemni poterat, infandum. Hoc vt ostendam per exempla, & vetera, & noua eundum est.

Simon Magus. Principio quidem sese offert hæresiarcharum Coryphæus Simon Magus, *credidit ille, sed donum Dei existimauit pecunia possideri*, grande malum, nec summum tamen, nam metus & conscientiæ tormentum etiam preces expressere: *Precamini*, inquit, *vos pro me ad Dominum.* Initium habemus, progressum videamus. Qui modo supplex intercessionem Apostolicam ambibat, mox sanctæ doctrinæ obnititur, Magnam se Dei virtutem, Iudæis filium, Samaritanis patrem, gentibus Spiritum Sanctum venisse prædicat, Selenem scortum impurissimum ἔννοιαν esse, angelos, & potestates genuisse, à prole suâ detentam in varia corpora migrare iussam, & ne fabulæ deessent, esse illam ipsam Ledeam Helenam, quam propter Europæ, Asiæque concurrerit orbis.

Nicolaitæ. Eadem tempestate falsi nominis Nicolaitæ, à leui principio, & verbis Nicolai Diaconi non recte intellectis portentosa & gentibus etiam inaudita commēta turpitudini suæ prætexuere, omnium habiti sunt turpissimi, & absurdissime superstitiosi, inde commentitia & ficta numina, Barbelo, Prunicum, Ialdabaoth, Caulauchauch, Metran.

Cherintus. Cherintus zelo legis præpostero, vt multis tamen

tum

tum videbatur laudabili, Apoſtolis negocium faceſſiuit, ſeruandam enim Moſis legem aſſeuerabat, ſpecioſa tum diſputatio, ſed gradus erat, vnde deinceps ingenti ruina proſtratus eſt, Chriſti, & noſtram reſurrectionem negauit, *per adumbratas reuelationum imagines*, vt inquit Caius Theologus, *abſurda portenta, præſtigiasque comminiſcebatur, mille etiam annorum libidines in agro Hieroſolymitano ſuis ſectatoribus promittebat.*

Huius familiaris, Ebion, quanquam non per omnia eiuſdem erroris, impietatis tamen conſors, & eadem balnei ruina oppreſſus, eodem quo Cherintus prætextu ſeceſsionem fecit ab Eccleſia, deinde ex variis portentis vnum monſtrum effigiat, in vnum coeũtibus Samaritis, Iudæis, Oſſenis, Nazaræis, Cherintianis, & aliis, quos Ebion ſimul iungens, vnum ex his corpus componens, omne turpitudinis & impietatis prodigium ſuperauit. *Ebion.*

Simoniana portenta reſtituit omnia Menander cum Saturnino, ſed non ſine fenore, noua addidit: *Neminem niſi in ſuo nomine baptizatum poſſe ſaluari, ſectatores ſuos non eſſe morituros,* quo magis miror eos ad S. Iuſtini tempora vſq; duraſſe, in tã monſtroſa dementia, vt qui quotidianas ſymmyſtarum mortes haberent in oculis, ſe tamen fore crederent immortales. Verum hæc facta ſunt, vt hæreſeos cum ad faſtigium venerit, reprobum ſenſum intueantur orthodoxi. *Menander.*

Altius tamen quam Menander impietatem euexit eius diſcipulus Baſilides, Ille etiã ſecretiore quorũdam myſteriorum ſimulatione, dum ſibi ipſi portentoſas fabulas, eaſque pleniſsimas impii erroris commentus, conatus ſuos in immenſum extendit ille nouas prophetas, Barrabam, & Barchoph, nouos itidem portentoſiſsimorum nominum angelos, Deum ignotum, Chriſtum ingenitum, ſpiritum nullum eſſe aſſeruit. *Baſilides.*

Hinc

Hinc mira genealogia, à patre natum νοῦν, inde lo-
gon, à logo phronesin, à phronesi sophian, ab hac dy-
namin, ab his duabus, Virtutes, principes, angelos, ab
his factum cœlum primum, & alios angelos, qui alios
ordine cœlos ad 365. vsque condiderint, ab his angelis
regi mundum, Christum aduersus Iudæorum ange-
lum esse missum, vt impediret ne is suæ genti, quod
moliebatur orbem subderet, Christum porro esse νοῦν
non esse crucifixum, sed eius loco Simonem Cyrenæ-
um quo cum figuram commutasset.

Suppar horum temporum fuit Carpocras, vnde
Carpocras. Carpocratiani & Gnostici, de quibus multa veteres,
sed vnica eos hæresis nobis satis indicat. *Nullum deli-
ctum vetitum* dicebant, *omne flagitium imperatum.*
Et his quidē erroribus Apostolica Ecclesia est exagi-
tata, initio fere à disputationib. de legis necessitate, &
obseruatione orto, quas altercationes flexuosis am-
bagibus eo diabolus perduxit, vt qui initio conten-
derent sine cerimoniarum custodia spem salutis esse
nullam, tandem concluderent, omne nefas impera-
tum esse. Nam & Caiani sectæ huius interpolatores
Caiani. Cain, Sodomitas, cæteros scelere, & immanitate ce-
lebres cælo, & Iudam Ischariotam loco præcipuo di-
gnabantur, Abelem, & iustos inferis addicebant. De-
nique pronunciabant: *Neminem nisi per omnes turpi-
tudines, omnia peccata consummet, saluum esse posse.*

Cerdon. Cum igitur defensores cæremoniarum in tam hor-
renda decidisse Cerdon aduerteret, contraria bla-
sphemia tot malis obuiam eundum ratus, duos deos
finxit, bonum vnum, alterum malum, & sæuum, mū-
di creatorem, legis conditorem, legem itaque & Pro-
phetas repudiat, Deo creatori renūciat, natum Chri-
stum, & passum pernegat. Veruntamen non stetit in
suis sordibus Cerdoniana blephemia, sed alia quam-
Marcion. uis via, in cœnum Carpocratianum deuoluta est, Mar-
cion enim Ponticus ob stuprum Ecclesia eiectus se illi

inn-

Iunxit, tria principia tradidit, Deum bonum, Deum malum mundi creatorem, & diabolum. Vel, vt ait Origines, Deum Chriſtianorum, Deum Iudæorum, Deum gentilium. Vel, vt Tertull. nouem deos, coniugia damnabat. Cætera pœne cum Caianis cõmunia habet, niſi quod ille Abel, Abraham & alios ſanctos dãnatos dicat, quod Chriſto ad inferos venienti non occurriſſent, quodq; amici fuiſſent Deo Iudæorum. Caiani vero ideo ſaluatos negarent, quod omnia ſcelera non conſummaſſent, ſed illi poſteriores auxere priorum portenta.

Traduces erroris vt nequitiæ Marcionicæ Apelles ſcortator longe, lateq; plantauit, & propagauit, corpus Chriſti ſidereum & aëreum, in aſcẽſu ad cœlos, in elementa diſperſum tradidit, phaneroſeis philumenes puellæ ſecutus, libris ſyllogiſmorum omnia quæ Moſes de Deo ſcripſit, falſitatis arguere conatur. *Apelles.*

Anno 145. *Valentinus qui ſperauerat Epiſcopatum, quia ingenio poterat, & eloquio: ſed alium de prærogatiua martyrii loci potitum indignatus, de Eccleſia authenticæ regulæ abrupit, vt ſolent animi pro priorata exciti, præſumptione vltionis accendi, ad expugnandam conuerſus eſt veritatem.* Humano peccato, dolore repulſæ, quo vir tantus deuenit? Monſtrum horrendum conflauit. Triginta deos quos Æonas ſeu ſecula dixit, quindecim maſculos, totidem fœmellas, ex his Deos generari, ſe ſuoſque ad bona opera non eſſe obligatos, libidinibus cum ſe inſatiabiliter inquinarent, carnalibus carnalia, ſpiritalibus ſpiritalia reddere ſe iactabant. ſumma tamen cautio erat vt Eleuſinia ſua tegerent. *Valentinus*

Valentino certarunt Ophitæ, ſerpentis adoratores, nec in cœtum ſuum admittebant quenquam, niſi perfidiam contumeliis in Chriſtum congeſtis approbaſſet. Valentinianas fabulas additis octo æonibus Ptolomæus, & ſecundus adauxerunt Marcus, *Ophitæ.* *Ptolomæus. Secundus.*

vnde

Marcosii. vnde Marcosii, veritatem sine literis græcis inueniri posse negabant, illius in alphabeto græco plenitudinem esse, quia Christus A est & Ω. Mortuos oleo & balsamo quandoque vngebant, vt tereti lubricitate, & inaspectabiles supernos principatus effugerent, vita & moribus tales, quales disciplina Carpocratis facere posset.

Colarbasius. *Ascodryta.* *Archontici.* Colarbasius concors primum Marco, post inimicus, multo deteriora coagmentauit deliria. Ex eius schola Ascodrytæ, & Archontici, reuelationes, & nouos prophetas excitabant. Deum septimo in cœlo tyrannidem exercere, ex eo genitum diabolum, ex hoc & Heua Cainum atque Abelem. Sacramenta omnia reiicienda esse.

Nondum monstra illa euanuerant, cum esse anno 173. magna Ecclesiæ tentatione, quia callidissima pietatis simulatione vulgatæ prophetiæ Montani, omnia apud eos seueræ & rigidæ sanctitatis videbatur, noua ieiunia: vetita fuga martyrii, sed in chimæras & monstra omnē illum vmbraticæ religionis apparatū contulerunt. Mox enim prophetissæ scorta, & arreptitiæ, sectatores δαιμονιζόμενοι, apparuerunt, Montanum paracletum adorabant, Deum patrem esse illum asserebant, etiam postquam laqueo impias tibi fauces elisit. *Montanista & eius soboles.* Maiora monstra fuere discipulorum, Thrascodrugitarum, Pepuzianorum, Quintillianorum, Priscillianorum, Pattalorinchitarum, Borboritarum, non tam portenta nominum, quam doctrinarum.

Tatianus. Horum ætate Tatianus & suo nomine, & S. Iustini martyris discipulatu nobilis, tandem in Valentinianos Æonas impegit, nuptias damnauit, auctor encratitarum, qui omnia in maius auxerunt absurda, vino abstinebant, vitem de diabolo & terra germinasse credebant, diabolum Deo æquabant, ita enim Seuetiani delirabant. *Blastus Florinus.* Nec tacendi Blastus & Florinus, qui cum initio quæstionem de paschate mouissent Ecclesiæ,

clesiæ, tandem eo progressi sunt, vt vexillum atheismi, sub quo nunc Caluinistæ centuriati sunt, erigerent, Deum enim peccati auctorem Florinus esse blasphemabat. Nec de Valesiis seu Eunuchorum hæresi dicere operæ precium, qui sanctitatem, & salutem iniurioso, & pudendo vulnere definiebant. *Valesii.*

Helcesaitæ anno 249. repullularunt, cum auctor Elxai, anno 105. delirasset, librum è cœlo delapsum eius auditione omnia peccata deleri, at augenda figmenta fuerunt, scilicet, *Christum esse magnam virtutem, cuius longitudo 96. milliariorum, latitudo 24. cuius soror spiritus sanctus super nubes in medio duorum montium staret, duas deas quarum altera Marthus, altera Martana diceretur adorandas.* Hæc illi ex leuibus initiis orsi. *Helcesaitæ Elxai.*

De Manete non dicam, non enim fuit ille Christianus vnquam, licet plurimos Christianorum peruerterit, & posteri, Catharistæ; Macarii; Mundatores Christiano nomine pudenda dogmata palliarint. *Manes & eius posteri*

Quam magnifica prædicatione innocentiæ, se Nouatianus, & eius καθαροὶ, iactabant? quanta zeli ostentatione? adeo vt etiam candidati, quo animorum munditiem vestibus concolorem esse sibi significarent, incederent, grandis illa arrogantia; cruciatibus æternis deputanda, sed in monstra tandem exiuit, secundas nuptias damnant, remissionem peccatorum, hoc est, omnibus Christianis salutem abnegant & reclamante conscientia, experientiaque ab omni se peccato, etiam minimo prorsus immunes asserebant. *Nouatianus καθαροὶ.*

Infelicissimum schisma per Felicissimum in Africâ inchoatū est, tenui initio, Donatus vt zelo præferuido se multitudini commendaret hęresin addit calumniæ veteri, donec iam posteri per Donatum vt numē iurarent, Arianis se iungerent, & ne horrenda deessent, in meros furores abierunt, hinc Circumcellionum latrocinia, siue in se, siue in alios, sæuirent, nam *Donatistæ. Circumcelliones.*

totam Africam immani crudelitate diuexarunt, ignibus & laqueo ſe ipſi peremerunt.

Ariani. Quin Ariana quæ multo ſanguine regnauit perfidia leuiſsimam occaſionem habuit, ſi modo leuis eſſe potuit, grauiſsimi mali origo, ſchiſma tamen fuit, & ſchiſma deinde venia Epiſcopi ſublatum eſt, monſtra vero Ariana, liber ſotadicus; liber Crapularũ ab Ario conſcripti, Artemonis, Ebionis, Samoſateni hæreſes *Arianorũ germina.* renouatæ, idolatria reducta, omniaq; illa quæ Euſebiani, AEtiani, Photiniani, Eudoxiani, Acaciani, Eunomiani, Macedoniani, Pſatyriani, Cyrtiani, Duliani, malæ arboris nequiora germina, & de venenata radice peſsimi ſtolones addiderunt.

Pelagii & Cœleſtii cauta initio moderatio, Pelagi- *Pelagiani.* us etiam à S. Auguſtino laudatus eſt. Manichæorum odium præferebant, tandem non modo Dei gratiam repudiarunt, quod hæreſeos caput erat. Verum etiam iuſtos ſine vllo fuiſſe peccato, & eſſe pronunciabant.

Neſtoriani, Eutychiani, Monothelitæ à certamini- *Mahometani.* bus pro pietate exorti, in Monophyſitas, variaſq; hæreſes, ac tandem Mahometiſmum deſierunt. Eſt enim illa hæreſis ex omnibus ſectarum abominationibus conflata, à Iudaizãtibus circumciſionem, à Stoicis fatũ, à Saracenis cultũ aſtri Cubar, ab Arianis & Neſtorianis, de Chriſto opiniones hauſerunt, cætera ab Eutychianis, Carpocratianis, & turpiſsimis veterum hau- *Iconomachi.* ſerunt. Ex illis, & Iudæis nati Iconomachi, quorũ initia ex deteſtatione idololatriæ ſpecioſa, in monſtra tamen deſierunt, hinc Iſaurici, Theophili, Copronymi, hinc vox illa Iconomachica, ſicut me mea mater ita Chriſtum Maria concepit & genuit.

Variæ hæreſes. Omitto Albigenſes, Flagellãtes, Begardos, Fratricellos, Lollardos, Huſsitas, Adamitas, ſunt.n. noſtris temporibus viciniores, & eorũ in vulgus notiora portenta. Quod initio dixi repeto, omnem hæreſin iñ peius ſemper ruere, ſtare diu neſciam, fere labi in Epicureiſmum, & Atheiſmum.

Cap.

Cap. II.

Progressus hæreseon nouarum in controuersia de fide iustificante.

VEtera recensui, monstra noua spectanda, & in multis vetera illa rediuiua monstrabo, monstra inquam Collegiorum Antibellarminianorum, quæ multa sunt, & indies impare partu fœdiora gignũtur, nemo enim nouatorum suis præceptoribus, sed sibi quisque credit, ita & Pareus in præfatione Caluini orthodoxi, monet *se non omnia Caluini defendere.* & VVittakerus *in duplicatione aduersus Stapletonũ. Quæ Lutherus aut Caluinus docuit, nemo nostrum*, inquit, *vbiq; defendit.* Nemon'? Hercule nemo, noua ergo omnes, vt de se nouatores dici pôssint, defendũt. Quin & Ioannes Georgius Grossius *in epist. præfixa Collegio Antibellarminiano Amandi Polani*, valde commendat hoc nouatorum distychon. *Nouarum hæreseon monstra.* *Nouatores.*

Non ego Caluinum, nec magnum curo Lutherum,
Verus vterq; placet, falsus vterq; iacet.

Antiquando igitur, & nouando eò nunc miseriarum peruentum est, vt omnia veterum impia, & ludibriosa reuocentur. *Sunt inter ministros Hollandiæ* (inquit Sibrandus Lubbertus in declaratione responsionis Conradi Vorstii) *qui dicere nõ erubescunt, omnia Symbola, Nicenum, Ephesinum, Chalcedonense, & Athanasianum abrogãnda esse. Quin sunt, quos non pudet dicere, Symbolum Apostolicum indigere correctionis: Deum testor, quod hæc vulnera inuitus patefacio. Mihi ipsi de iustificatione certamen natum est.* Quid symbolorum illa abrogatio, correctio, nisi Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum reductio? & ministeria tamen illa Collegiis hisce contesserata manent. Verum initia consideremus. *Impietas prædicantium Belgicorum.*

Lutherus rumpendæ vnitati Catholicæ prætendit abusus indulgentiarum, quarum promulgandarum spe deiectus erat, similis causa quæ Valentino. Erat & popularis oratio, *abusus tolli oportere.* Modum excessit nescius, mox enim ipsas indulgentias in dubium vocat, quæ iã hęresis erat, dum autem errori argumenta congerit, monstrosam sentẽtiam extudit. *sola fides*, inquit, *iustificat sola culpæ & pœnæ eximit, non vtiles ergo sunt indulgentiæ.* Et quæ illa fides? consule epistolicam disceptationẽ inter Sibrãdum & Brentiũ Caluinistas. *Alter fidẽ illam esse τὸ credere, seu credendi actum, quẽ Deus acceptet pro perfecta legis obseruatione.* alter *nõ fidem iustificare, sed correlatiuũ fidei, solum Christi meritum.* Prior hæresis quam licentiam frenat, vel cohibet? Ebriosi, adulteri, latrones, piratę, Tyrãni, iusti sunt propter *τὸ credere*? an in ipsis sceleribus, & scelerum destinatione, Deus pro perfecta legis obseruatione acceptabit *τὸ credere*? Et quale per fidẽ vestrã ô Collegia Antibellarminiana, est illud πολυφήμητον *τὸ credere*? Inebriantur, luxuriantur, rixantur, latrocinãtur, blasphemant, & quia credunt Christum pro se mortuum, perfecta obseruatione legis sunt iusti, nam *τὸ credere* se iustum esse, est perfectæ obseruationis ἀντάξιον & vicarium. Minus portentosus erat liber ille Helcesaitis è cœlo lapsus, cuius lectione omnia peccatã delebantur.

Fides iustificans.

Τὸ credere.

Altera hæresis hanc Socinianismi damnat, & *solam fidem saluantem*, ait, *esse meritum Christi*, itaq; *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, quid reputatum est? an fides, an Christi meritum? An ergo omnium scelerum inquinamentis sordidissimi, iusti sunt merito Christi? siue faciant opere, siue agitent animo, scelera illa nefasq; ? ita sane censere tales necesse est, manet enim fides indelebilis, *donum enim Dei est sine pœnitentia*, vt illi Apostolũ interpretantur. Quantum hi absunt vt Carpocratiani vel Caiani efficiãtur?

Fides meritum Christi.

Gra-

Gradus hic impietatis eſt, non faſtigium. Probandum erat alteri parti, *fidem quæ eſt τὸ credere non iuſtificare.* Ratiocinatio ſumitur ab omni ratione alieniſsima. Nullum opus, etiam ſanctiſsimum, etiam ſupernaturale, poteſt vllo modo iuſtificare, τὸ credere eſt opus, non igitur iuſtificat. Et quare nullum opus poteſt iuſtificare? Reſpondent: *Omne opus optime factum, etiam opus fidei, & caritatis natura ſua eſt peccatū mortale, non igitur iuſtificat, ſed credentem & amantem cōſcelerat, æternæq; mortis cruciatibus facit obnoxium.* ô manifeſtam veritatem, quæ ſine tam portentoſis mendaciis oppugnari non poteſt. Si omnis animi ſynceritas,, caritas, Deo placendi conatus, oratio, vitiorū fuga, & hæc omnia optime facta ſempiternis dæmonum tormentis deputantur, quo homines ducimus, quos ad iſta hortamur? imo cur hortari pergimus ad iſta, quibus tanta ſupplicia ſunt conſtituta? non aduertimus vel ipſas hortationes in eadem damnatione eſſe? Profecto qui iſta ſentiunt, virtutum radices penitus excidere conantur. Ne pilo quidem meliores Marcionitis & Caianis eos iudico. Vitiis illi cœlū, noſtri ſectarii benefactis inferos aſsignant, pari impietate, maiore crudelitate. Ecce quibus gradibus, ex ſpecioſo titulo in horrendam virtutum, ipſiuſq; Dei, operavirtutum præſcribentis accuſationem aſcendit impietas. Nondum tamen finis: Poteſtne ergo dici aliquid portentoſius? Dixit Oſiander, Iuſtitiam noſtram eſſe ipſam Dei eſſentialem iuſtitiam, de quo, quia vix puto Collegiorum Antibellarminiorum illam eſſe ſententiam, amplius non dicam. Vos iſta conſiderate.

Faſtigium hæreſeos de iuſtificatione.

Cap. II.

De Merito.

POſtquam ſemel Apoſtolorum doctrinam legeſq; Eccleſię refigere viſum eſt nouatoribus, & ſui nominis

minis familiam ducere, ea collegerũt, quæ cauillis opportuniora fore videbantur. Maximo itaq; studio doctrinam de merito exagitarunt. Tanta hypocrisi, tam artificiosa humilitatis ostentatione, vt incautos fallerent, & propere, non animaduersi, malum vulgarent.

Argumenta contra merita.

Vllane, dicebant, *vel sanctißimorum merita hominum, agnoscemus: Quænam superbia est nobis tribuere merita, & ius suum, honoremq; Deo detrahere? Ad Deum omnia in solidum referenda sunt. Omnia à Deo iussa, debita ergo nostra sunt, non merita. Creatura obligare non potest creatorem, omnia opera nostra sunt res creatæ, à Deo dependentes, non igitur facere Deum debitorẽ possunt. Si demereri Deum creatorem suum lutea figmenta, possent certe inter omnia opera merendi prærogatiuam haberet, amor diligentium Deum ex toto corde, ex totâ mente, ex omnibus viribus, at mereri illud opus non potest, quia donum est Dei, iussum est à Deo, creatura est.* Demonstrabant tum nostri doctores meritis sanctorũ non tolli gratuitam Dei misericordiam, augeri honorem, Christi gloriam extolli. Non detrahi quicquã creatrici maiestati, nec munificæ bonitati, cum ipsa opera sint non modo ex gratia, sed etiam gratia, cum merita nostra sint Dei, dona iussa sunt à Deo, & facta sunt merita, quia præcepto faciẽdi, quod sine præmio præstare creatura debuit Domino, infinita benignitas legislatoris ex gratuitâ gratiâ addidit promissionem remunerationis. Iussa ergo, & merita, quia iussa cum conditione pręmii. Non potest habere creatura debitorem illum, cuius totum est in solidum, quod est, & quod agit, si vel operantem, vel natiuam vim operum spectemus. Habet tamen misericordissimum promissorem, de infinitissimæ bonitatis liberrima φιλανθρωπίᾳ merendi facultatem vltro offerentem, fidelitate, iuramento, fœdere suo immutabiliter præmia decernentem, sua igitur natura quæ est iustitia & bonitas, non vi operum tenetur, suo se chirographo obligauit,

Responsio.

cum

cum creaturæ se illa conditione deuinxit, vt redderet vnicuique secundum opera eius Abrahæ certe iurans per semetipsum cum impossibile sit mentiri Deum, sua se fidelitate obligauit. Hebr. 6. 14. 17. amor ergo noster Deum tenet obligatum, quem amat, quia Deus amorem sui, quem diffudit gratuito munere in cor nostrum, voluit esse etiam meritum amantis.

Tantę veritatis manifestationi tum quidem solum obstiterunt, at nunc quo progressi sint, docent libri pestilentissimi, nam argumenta illa, quæ contra humanā pręsumptionem facta videbantur in Christi cōtumeliam conuerterunt Sociniani discipuli Caluinianorum, in praua per quam ingeniosi. *Mors Christi,* inquiunt, *iussa est, nam factus est obediens vsq; ad mortē, non ergo meritoria, non pretium salutis. Mors Christi dolores, opera res erant creatæ, non ergo obligare poterant creatorem. Amor Christi quo diligebat Deū res creata, non ergo meritoria. De essentia meriti est, ne sit ex debitis, opera Christi ex debitis, non ergo merita.* Hæc non posse solui à vobis, nisi simul etiam sanctorum merita asserantur, res docet, & eadem oratione, quæ contra sanctorū merita obiiciuntur, plane refellantur. ostendunt hunc progressum hæreseos quæ in c. 5. ad Rom. contra Socinum præuaricator Pareus asserit. Nā primo fatetur, nihil de merito Christi in scripturis expressum esse, sed ex scripturis deduci. Secundo mortē Christi non fuisse satisfactionem nisi ex gratuita iudicis ordinatione, seu beneplacito, sed cur non & sanctorū opera esse possunt, ex beneplacito merita? Pergit: *Christus, inquit, respectu creditoris proprie meritus est ex pacto vel ordinatione singulari.* At sanctorum quoque opera, pactum, ordinationem iusiurandum habent, habent igitur & ordinationem diuinam.

Argumenta præterita contra Christum vertunt Sociniani.

Mira igitur astutiâ id satan egit, vt cum humanam deprimere superbiam velle videretur, & ius suum Deo asserere, honori redēptoris consulere, non modo

Christo meritum tollunt.

bonorum operum studia in animis hominum retardarit, exstinxerit, verum etiam Christum Dominum Saluatoris titulo spoliare conatus sit. In c.5. Ro. dub. 9. sic argumentatur Pareus, *Conditio operum est necessaria, non ergo meritoria, quia debita.* Dolendum sane est diabolum transformatum in angelum lucis, tam futilibus argutiis eo rem deduxisse, vt iam multi non aliter Christum saluatorem, quam Mosem agnoscát, exemplo, & doctrina, quæ hæresis est secundum Arianos, & Mahometanos. Et sane magna parte iã Christi meritum euacuarunt: Tota humiliatio Christi non habet rationem meriti, sed tantum solutio lytri, hoc est, passio mortis, inquit Sibrandus pag. 50. Insaniam plerique etiam corroborant suggerendo Socinianis argumentorum omnium solutiones. Exemplum dabo. Cum dicitur Rom. 14. 9. *In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur.* Phil. 2. *Exinaniuit se, &c. propterea exaltauit eum Deus.* orthodoxi concludunt sibi ista Christum meruisse. Respondet Pareus ad 1. Particula ἵνα, vt, significat τελικῶς, sed meritum non includit, ad 2. partila διὸ significat ordinem, & consequentiam non causam. Pari omnino audaciâ noui ex veteribus Caluinistis hæretici, vbicunque indicatur nobis Christus meruisse consequentiam, & ordinem esse contendunt, non meritum, ordinationem Dei non fuisse vt Christus mereretur, sed vt conditione passionis & mortis posita nos reconciliaret, idque gratuita beneuolentia, non mediatoris merito. Contra merita sanctorum primipili vehementer vrgebant nomen meriti in scripturis non inueniri, ideo, & vocem profanam, & doctrinam esse impiam, idem de Christi merito docti à suis Magistris vrgent, meliore iure, insigniore malitia Sociniani. *Meritum Christi non est in scripturis, non est igitur quicquam ille meritus.* Quid Pareus in Rom. 5. dub. 7.

Meritum in scripturis.

Licet enim vocabulum meriti nusquam exstet: quia nec Hebræi, nec Græci vllum habent, quod merito proprie respondeat, nam hebræorum חסד *misericordiam & gratiam potius quam meritum: Græcorum* ἀγαθοποιΐα *operationem quamcunq; bonam significat, tamen ad sensum meriti accedit vox* περιποιήσεως *acquisitio.* Sed respondent illi, Mosen etiam περιποιήσασθαι, & Paulum saluos aliquos facere conatum, hæc omnia de ordine & consequentiâ, debere à magistris intelligi. Nam negare illos Christum sibi meruisse, at cum acquisiuit Ecclesiam sanguine suo, si merẽdo fecit, ergo & sibi meruit, nã sibi emit, ius igitur emptionis nouo est consecutus titulo, nouum igitur seu potius noui tituli dominatũ consecutus est. Aut igitur sanctorũ merita defendant, aut eisdem argutijs, Christi meritum, satisfactionem, mortem, sanguinem euacuent, Arianismum, Socinianismũ adiuuent, Turcarum blasphemijs, quorum crudelitatem adhuc à ceruicibus nostris Deus auertit, pectora Christianorum subiugent.

CAPVT III.

De sacramentis.

DE cæteris alias agam, quæ in vniuersum sustulere, nunc quo progressu, quâ auxesi, Eucharistiam, & Baptismum corruperint, ostendam.

Magno supercilio, ingentibus animis, volitabant noui philosophastri: *Non posse esse in locis pluribus corpus vnum, rem nullam à seipsa alienam esse posse, vel distantem, vnumquodq; sibi vnitum,* ἀδιαιρέτως *&* ἀδιαστάτως *vnum esse clamabant*, aliaque quæ physicorum pueris formidulosa videntur, cum immensitatem omnipotentissimæ diuinitatis cogitationum suarum angustijs definire adlaborant. Negabant orthodoxi, locorum diuersitate mutari essentias, asserebant rem

Vnum in locis pluribus.

vnam non perdere præsentiarum multudine naturalem vnitatem. Exempla de natura veritati supernaturali suffragabantur. Eadem anima in toto est corpore tota, & tota in omni corporis parte, nusquam à se diuisa, & in tot tamen articulis vniuersa, nullo in membro partiaria. Immensitas infinitæ essentiæ, vniuersi omnibus est præsens spaciis, & vna tamen summa & perfectissima vnitate, tota præsens vbique summa & perfectissima vbiquitate. Sic posse corpus esse vnum, non vno loco. Romæ esse potest Titius, si non sit Venetiis, nec alibi, cur igitur non & Romæ potest esse, & Venetiis? an quia Romæ est, constringet omnipotentem manum factoris sui, ne collocari iam posit, vt ante poterat, Venetiis? Agitabantur olim ista. Nondum constabat, quam atrocem hæresin illa philosophiæ inanitate serpens antiquus molıretur. Nunc paucos ante annos patuit in Conrado Vorstio. Fixo enim in animis errantium vestro principio, *Rem quæ diuersis sit locis, vnam non esse,* in tætriores errores argumenta vestra concludunt. Hinc illa Vorstiana.

Progressus hæreseos de Eucharistia.

Deum cum vnus sit, vno solum loco esse,

Corpus esse, ne intereant scilicet Epicurei, & Anthropomorphitæ.

Simplicem non esse.

In terra non esse, sed in cœlo.

Immensum non esse.

Omnipotentem non esse.

Christum Deum non esse, aut sane cum in terra esset, non fuisse. Deus erat in cœlo, in terra non erat.

Ista aliaque ex plausibili illo principio vestri Patriarchæ, & ex illis Vorstius deduci vidit, sed errores illi continuerunt, Vorstius propalauit. In solo igitur cœlo Deus, sed quantum ibi spacium occupat, & quid non implet? Habetis Elxai, & Helcesaitas, fingite & vos magnitudinem mensuramque Dei vestri, & vetera monstra reducite. Hæc ergo hæreseos in re Eucha-

charistica, ex disputatione physica exaggeratio, & impietatis apex; statuere non esse Deum.

De Baptismo quoq; non primo in errore constitit hallucinatio. De effectu eius, & cærimoniis prima altercatio. Inde conclusum ab Anabaptistis, non esse licitum Pædobaptismum. Scriptum à Caluino Epist. 184. Infantis qui Baptismo priuatus sit, non deteriorem coram Deo conditionem. Scriptum ab eodem Epist. 278. Infantes à fœminis baptizatos nihil aliud quam pollutos fuisse, iterum legitimo baptismo lustrandos esse. & Epist. 185. Non nisi in cœtu baptizari posse. Homines à Dæmone legitime baptizari posse: vt Philippus Nicolai Bezæ obiicit, Lutheranus Caluiniano, ignarus quid ea de re Lutherus dixerit. Baptizatos infantes non omnes sanctificari, non regenerari, sed aliquos nunquam, aliquos multo post tempore, nonnullos tamen continuo. Itaque sollicitudinem priscæ Ecclesiæ, qua laborabat, ne ante baptismum morte occumberent, superstitiosam fuisse. Summa est, nec baptismum necessarium, nec vllum nunc baptizatum esse nisi qui in cœtu Caluinistico sit lustratus. Cum igitur quos ex Catholicis vel Lutheranis in nassas suas allexerunt vel adegerunt, non repabtizent, nec Babtizatos tamen legitime asserant, omnino necessarium est, vt inter adiaphora baptismum reponant. *De baptismo absurda.*

De materia etiam baptismi noua finxere. Bezę verba sunt, si desit aqua, & tamen baptismus alicuius differri cum ædificatione non posʃit, nec debeat, ego certe quouis alio liquore, non minus rite, quam aqua baptizarim. Vbi igitur Christi institutum de aqua? Mutat Beza, vinum, acetum, sputum, vrinam, omniaque alia admittet, etiam sanguinem, his addet dæmonem baptizatorem, ne non sint similes labris lactucæ.

Cap.

CAPVT IV.

De ſcripturis ſanctis.

FVndamentum omnium pariter Lutheranorum, Caluiniſtarum, Anabaptiſtarum, Illyricanorum, Socinianorum eſt, ſola, ſola ſcriptura, non ſcriptura Dei, ſed eorum verſionibus, interpretationibus, analogijs interpolata, deformata, deprauata.

Scripturas euertunt. Specioſa tamen oratio apud imperitos, quæque cauſam peſsimam probabilitate palliauit. Initium hoc fuit, progreſſus vero.

Primò, ita ſcripturas vertere, vt Beza breui futurum ominetur, *vt ipſa quoq; ſcripturæ poſſeſsione depellantur.*

Secundo, interpretationē hoc aſſecuti ſunt, vt publico in colloquio exclament Lutherani: *ſi ad hunc modum ſemper licebit omnia ſacræ ſcripturæ teſtimonia per gloſſas eludere, quid tandem in vniuerſa ſcriptura retinebimus? Exempli cauſa: Simon credidit, id eſt, ſimulauit ſe credere.*

Tertio, Analogiâ id agunt, vt veluti normam leſbiam ad ſuos errores, detorqueant. Vt, Deus omnes vult ſaluos fieri, id eſt, Non vult ſaluos, ſed oſtendit ſe velle. Deus non vult peccata voluntate reuelata, hoc eſt, dicit ſe non velle, vult tamen occulta voluntate, quod dicit, ſe non velle.

Scripturas accuſant. Quarto, ſcripturis non credunt, cum enim redarguuntur ex ſcripturis, vertuntur in accuſationem Apoſtolorum & Prophetarum, quaſi vera non ſcripſerint. Vorſtius *reſponſione ad alias fratrum obiectiones* morem iſtum oſtendit. *Denique obijcitur imprimis illud de Apoſtolis, aliisque N. T. ſcriptoribus, quod dicantur in rebus leuiculis errare, aut memoria labi potuiſſe, ſed annon, eadem, aut ſimilia habet* Caluinus? *cum interdum*

terdum eosdem scriptores aut superflua quædam tradere, aut alia magni momenti omittere, aut ordinem temporis in historia turbare, aut quædam ex V. T. minus apposite citare, &c. Non obscure scribit? Pro multis sit vnus ille locus in 1. Ioan. 2. 14. *Vbi disertè ait, repetitiones illas Apostoli esse superfluas, in his scilicet verbis: scribo vobis pueri. Sed vt Caluinum hic omittamus, quid de Francisco Lumo videtur? qui in locis communibus, recenter hic impreßis, lib. c. 19. non veretur affirmare. Scriptores noui testamenti ; aliquando scientes prudentes, præter veritatem historiæ quædam scripsisse, sic enim aperte scribit pag. 61. & 62. Eos interdum recepto errori aliquid ex caritate condonasse, & propter opinionem publicam à veritate historiæ deflexisse, adeoq; præter veritatem quædam sacro textui inseruisse. Plura id genus exempla ex doctoribus nostris, [illegible] opus erit alia occasione adferri poterunt.*

Quæ sunt *res leuiculæ?* opinor illas eos dicere, quæ ad fundamenta non pertinent salutis, & religionis, leuia igitur omnia, de quibus Lutherani & Caluinistę inter se dissentiunt, nam & in Irenico, & in alijs libris persuadere nobis Pareus conatur in fundamento Lutheranos secum conuenire. Quid igitur certi in scripturis, si hincinde sparsi errores, interposita mendaciola? Quid si in grauioribus errassent? Profecto si aliquando in gratiam populi mentiuntur, tuto credi illis non potest. Hinc aliud etiam maius malum.

Omnem fidem scripturis derogant.

Quinto, vt olim phaneroses, & libros alios, instrumenta suorum errorum reiectis scripturis veteres hæretici mundo obtruserunt, ita nunc dum scripturas accusant, Ecclesiæ fidem abrogant, aliam regulam necessario commentis suis conuenientem architectati sunt. Quæ illa sit, docet Vorstius, responsione ad Sibrandi præfationem. *Imo non desunt, qui idolum ex Catechismo faciant: dum pure diuinum scriptum esse putant, aut pari cum sacris literis fide dignum. Si fratres existi-*

Quid scripturæ substituant?

existimant, nullos tales vspiam reperiri, sciant nobis, haud paucos huiusmodi notos esse. Et pag. 17. Cuius etiam voti causam euidētem habeo, quod multi ex nostris (non dico omnes) nullum plane discrimen inter Catechismum, & ipsum Dei verbum amplius agnoscant, quodq; isto fere præterito, in illo solo simpliciter acquiescant. Exempla, si opus esset, afferri facile possent.

Idolum Caluinianum Catechismus Heidelbergensis.

Sexto. Eadem ex doctrina, Libertini, & Zvvenckfeldiani reiectis scripturis Enthusiasmo se suo commiserunt, orti ex blasphema illa de scriptorum noui testamēti, erroribus & mēdaciis opinione, soboles igitur genuina Caluinismi est Libertinismus, & Zvvēckfeldianismus. Facilius putabant libros illos in vniuersum reiicere, quam vera à falsis ambigua censura, & obscuris coniecturis secernere.

Ecce igitur progressum. Primo, sola scriptura. Secundo, scriptura Caluinistice versa. Tertio Caluinistice explicata, Quarto, ad analogiam fidei Caluinisticæ detorta. Quinto, scriptura interdum errans, interdum mentiens. Sexto, quies in Catechismo, & idolo sacris scripturis prælato. Quid igitur superest, nisi Enthusiasmus; & vt cuiq; Deus sit dira cupido, cuiq; sit veritas, mentis suæ aberratio? Ecce Collegia Antibellarminiana, quo proficiunt?

CAPVT V.

De peccato actuali.

QVid horroris negando peccato veniali, quid blasphemiæ dum Deo scelera hominum transscribunt, admiserint in defensione Bellarminiana ostendi, nunc monere satis habui.

CAPVT VI.

De peccato originali.

ZVVinglius Pelagianis accedens originale peccatum negauit, cœteri fœdius concesserunt, nam ipsas inclinationes agendique facultates peccatum originale esse definierunt. Hic initium fuit errandi errorem probando facti sunt Manichæi. Nam ita argumentatur Pareus, *Inclinatio est causa peccati, igitur & ipsa peccatum*, hanc & primipili sectarum strauerunt viam Manichæis nouis, & plus ausus Illyricus ipsam hominis substantiam peccatum esse dixit, quia causa peccati fuit, nec iam quicquid superest rigidis Caluinistis, & Libertinis, quam vt Deum suum quem auctorem peccati, causamque statuunt, etiam peccatum esse delirent, quod credo metuisse nuperam synodum Vltraiectinam cum tam serio prædicantibus imperauit, ne quicquam doceant, vnde Deus videatur auctor esse peccati. Alii vt nunc Venator non obscure Pelagianizant, nec vllum peccatum originale agnoscunt, vt suo loco ostendam. ita hic quoq; non hæretica modo, sed infanda etiam, & omni rationi docent aduersa, vt cum damnatissimis veterum sectarum merito comparari possint.

Deum auctorem peccati, imo peccatum faciunt.

CAPVT VII.

De Lege.

LEgum Ecclesiasticarum abrogationem, vt ieiuniorum, cælibatus, aliarumque vt pote iam labente disciplina grauiũ, postularunt, & perfecerunt. Nulla lege teneri, sed libertate licentiosissima frui, iucundum erat, & volupe. Mox secutum rusticorum bellum, non in leges modo sæuiebat, sed ipsos legislatores

Quas leges abrogarint.

latores & magiſtratus exſcindere parabat, ne nouæ leges aliquando ferri poſſent. A legibus enim Eccleſiæ ad leges ciuiles ibatur, deinde in principes ferrum ab incondita plebe acuebatur, à principibus progreſſa iam cœlum petebat contumacia; VVittembergæ enim docuerunt Ioannes Islebius, quod & Lutherus initio, nulla Chriſtianos lege; ne diuinâ quidem obligari, Antinomi illi tum dicebantur, nomen qui retineat nullum puto, licentiam qui non amplectatur nullum ſectariorum cognoſco; Antinomis plena ſunt omnia, etiam ipſa iudicum ſubſellia, & legum ſacraria: Atque illi quidem Lutheri erant genimina; at Libertini Caluinianorum, qui Belgium, Galliasque infeſtarunt.

Caluinus quidem lib. 3. inſtitut. c. 19. §. 4. *Conſcientiæ liberæ ſunt à iugo legis.* & §. *Tertia pars libertatis Chriſtianæ eſt, vt nulla rerum externarum, quæ per ſe ſunt adiaphoræ, religione coram Deo teneamur; quin eas nunc vſurpare, nunc omittere indifferenter liceat.* Timidius iſta, & vno in genere Caluinus, ſed obices tamen remouit, fregit repagula, vt poſteris immunitas, impunitasque maneret, itaq; iam ſumma legum omnium contemptio, ſumma pœnarum ſecuritas exertè, palamque docetur, non ſecus ac ſi Deus legislator malus eſſet, & amicitia illius ſaluti obſtaret, vt Marcion blaſphemabat. Primo enim ſtatuunt à maledictione legis ſe liberos eſſe, deinde à rigidâ legis obſeruatione, Caluinus in 5. cap. Rom. & alij, & Pareus in 5. Rom. dub. 1. Cum obiecisset: *vbi peccatum eſt, ibi condemnatio eſt, in credentibus peccatum eſt, ergo condemnatio.* Occurrit Aduerſario in hunc modum. *Legaliter verum eſt; omne enim peccatum lege damnatur, & omnes peccatores legaliter ſunt rei, Euangelice vero non item.* Cum viuant igitur Euangelice, mortui ſunt legi, non igitur ſunt rei, liberi igitur à lege. Quid obſecro tot hæreſeon eſt opus diuerticulis, vna

Immunitas à lege.

hæc

hæc persuasio societati humanæ excidendæ sufficit. Nam quid contineat libertas illa, facile docet idem in c.3. Ro. *Liberatos nos dicit ab execratione legis per Christum. Execratio legis, inquit, significat actiue, & passiue. Et passiue quidē significat execrationis pœnā à lege statutam, vt vult hæreticus (Socinus) sed actiue est vox seu sententia legis execratione damnantis, seu ipsa lex execrans peccantes. Quid est autem vox legis, nisi vox Dei, & lex execrans, nisi deus execrans, & Deus execrans, nisi Deus iratus; & ira Dei, & ira Dei, nisi iustitia? Execratio igitur legis actiue significat iustitiam Dei. Paulus autem loquitur primario, de execratione vt est vox dei, lege execrans, secundario, vt est execrationis pœna.* Maior insania ne cogitari quidem potest, neq; enim ita ipse apostolus intelligit, vt Augustinus, & veteres; liberatos nos à lege, quia & peccata quorum nos lex damnabat, remissa sunt; & gratia copiose effusa, ne in legem dominatricem committamus. Verum hanc ipsi liberationem sic accipit, vt velit, peccantibus, & contra legem agentibus flagitia nulla imputari, ita vt quantumcunq; facinorosos, nec sententiâ dei damnet, nec ira percellat, nec iustitia vindex execretur, quâ libertate maiorem, paremq; nemo vnquam hominum vsurpauit. Nec alij immunitatem illam tibi eripi patiuntur, Erasmus Sarcerius, *à maledictione liberatos esse, non ab obedientiâ legali, loco testimonij, & gratiarum actionis.* Grandis tamen & illa hæresis. Nam sectarios scelerate viuentes Deus non execraretur, nec pœnam metuere vel possent, vel deberent, solum, *loco testimonij legem seruarent.* Et Melanchton in eundem locum. *sicut in republicâ ciuis obnoxius est legi; isq; deligatur princeps iam mortuus est legibus, quia alius est, nec est ius in eum legibus animaduertendi, nec formidat legem, sed quia princeps est, ratione conditionis, non pœnæ metu gaudet facere legem, ita, nos secundum veterem hominem, ciues sumus legi*

Libertas ab omni lege.

subiecti, iniq; ferentes legem, & pauentes conscientiis, quod sentiamus legi non satisfieri. Porro cum ex ciuibus principes, & ex veteribus noui, facti sumus, iam legi mortui sumus, NIHIL IVRIS HABET IN NOS LEX, adeoque conscientia libera est, & pacata. Sed ratione conditionis, quia principes sumus, gaudemus benefacere. Obstupesce arrogantiam humanâ maiorem, clare profitentem, sumus sicut Dii. Singula ad examen reuocemus. Lex est: Non occides. Ciuis eam seruat, formidat, & obnoxius est. At princeps sponte seruat, non tamen formidat, quia ius non habet in eum animaduertendi. Nihil habet in sectarios lex iuris, at lex est Deus, est Dei iustitia, nihil in eos Deus ergo iuris habet. Quid si non seruent legem, quid faciet iustitia legislatoris, quid potentia Domini Sabaoth? nihil in nos iuris habet, inquit Philippus, Principes sumus, non sub maiore Domino. Quid vero inde vtilitatis? Conscientia libera est, & pacata. itane vero? Libera & pacata in facinoribus, flagitiis? non formidat? non dolet? ne erubescit quidem? non credo, quia pacata est, dolor & pudor paci officiunt. Ne monenda quidem est, aut obiurganda? Non permittet id Philippus. Monitor molestus est, obiurgare non oportet liberum. Deinde admonitiones, increpationesque pacatam conscientiam, & gnaram nihil se legibus debere, conturbant, liberam seruiliter premunt, non est igitur illa teneritudo veritatis asperitate violanda. Gaudent tamen facere legem, gratitudinis ergo. Laudo, si id faciunt, semper tamē, & omnes facere nec illi dicere audent, nec dicentibus ego crederem, hoc scire sane peruelim. Anne legem habeant vt gratitudinis causa, & loco testimonii benefaciant, vitia fugiant? & an ea lege teneantur? si illius vinculo legis astringūtur, quomodo sunt à cæteris immunes? Si illa lege exempti sunt, non igitur peccant, si ne sponte quidem, & loco testimonii bona faciant, aut

Nihil iuris in sectario lex habet.

Conscientia in omni facinore est pacata.

mala

mala deuitent, omni ergo modo liberi, nihil in eos lex Dei nihil legislator Deus habet iuris. De quantula itaque ſcintilla, quantum incendium? Ex cærimoniarum & legum, vt aiebant, humanarum abolitione eo ventum, vt aſſerant *legem Dei nihil in ſe iuris habere*. Quam felices ſua opinione, tam miſeri pernicioſiſsimo errore. Quantum enim portentum eſt, eam ſibi ſecuritatem arrogare, vt flagitiis ne quidem Deus indignetur, nec oderit iniquitatem, *cui odio eſt impius & impietas eius*. An alius forte Deus ille, ab illo quem Prophetæ & Apoſtoli reuelarunt? ita arbitror, Deus Carpocratianorum, Deus Caianorum. Interim vos ô Collegæ Antibellarminiani, pergite cum Salio veſtro, nondum apicem attigiſtis, ἔπεσθε μηδεὶ χοῖροι, plus vltra. Quo igitur? Vt cum Oſtorodio, & Socino, & fratribus veſtris in Hollandia florentibus Dei iuſtitiam vindicatiuam negetis.

CAPVT VIII.

De Deo.

MVlta de Deo errata tuentur, Verum pauca & peculiaria adferam. Primo. *Punire peccata eſt Deo naturale perinde vt peccatũ odiſſe & auerſari*. Facile eſt illis pœnas peccatorũ exaſperare, qui in ſe nihil iuris habere Deum arbitrantur. Itaq; vt illos iam principes factos punire non poteſt, nec lege agere in eos, qui ſupra legem ſunt, ita nobis miſeris, ne minimum quidem poteſt peccatum remittere, qui nullum poteſt non odiſſe, nec vllum poteſt minus punire quam iuſtitia exigat ſeueriſsima, cum autem minimum minimæ cogitationis delictum millies millies infernum auctore Beza mereatur, & naturali neceſsitate, non libera voluntate Deus peccata puniat, conſectarium eſt vt minimis delictis tanta pœnarum atrocitas incumbat.

Secundo. *Nihil Deum de iure suo posse remittere, ex quo eadem illa atrocitas consequitur,* & in Deum, cuius est dominium perfectissimum ingens blasphemia tertio. *Eodem pertinet illud: si iustum est impijs reddere afflictionem, sequitur iniustum esse afflictionem illis non reddere.* Quarto. *quod iustũ non est, iniustum est.* Quinto, *Non odisset Deus peccata, si non puniret.*

Alia fœdiora in. Idolo Caluinistico demonstraui, ex c. 3. considerationis.

CAPVT IX.

De nouo propheta, & mundi interitu.

QVi semel ab authenticâ Ecclesiæ Catholicæ regulâ deflexerunt, eos necesse est in magnâ opinionũ varietate inconstantiaq; versari, id hactenus docui, & quam atrocia portenta errorum mutua fœcunditas pariat ostendi, eo enim procedunt, vt sui fœditate stomachum moueant, & absurditate fidem omnem amittant. *Literarum odium* Carolstadius & Melanchton libros omnes è medio tollere, studia abolere cœperant, quasi ignoratione homines facturi sanctos, alij nimia sciétię, iactãtia, quorũ pars maxima est, delinquũt. Hos inter prophetas numero, sed prophetas nouos, de spiritu suo præsagos, quorum vt est summa vanitas, ita si leuium fanaticorumq; hominum ingenia cœperint, magnâ pernicie grassantur. *Prophetæ Germaniæ.* Docuit id sæpe euentus, & Germaniæ infelicitas, anno. 1525. Thomas Munzerus, vaticinijs suis, & pollicitationibus agrestes conclamauit, nobilium cædem fecit, arces, Ecclesias excussit, centum rusticorum millia lanienæ dedit, eodem penè tempore trecenti Anabaptistæ â nouo prophetâ in montem Heluetiæ quendam adducti, iam iam in cœlum ascensuri, omnibus se libidinibus contaminabant

bant. Nec Sueuis deerat prophetes, inter multa impia vaticinans, iam legem Christi abrogandam, nouam mundo inducendam. Alius inspectante vtroq; parente, germano ceruices abscidit, dictitans, vt ita faceret, à Deo patre reuelatum. Annus 1533. prophetarum fœcundus fuit, Anabaptistarum Enthusiasmus Monasterij bacchari cœpit. VVittembergæ & per Saxoniam præsagia non spargebantur modo, verum etiam credebantur, multi enim certi iam iam instare diem vltimum, quo cœli impetu transirent, elementa soluerentur, terra exureretur, nihil, quorum indiget vsus, agebant, iacere agricultura, pendere interruptæ ædificationes, parari in diem destinatum etiam nobiles, sacramentum sumere, donec tempus deliria illa in risum ludibriumq; vertit. Nouum itaque & ego prophetam in medium producam, ne & ille si fidem cuiquam fecerit, ruinam aliquam trahat. Nomen homini varium est, animi fluctuantis symbolum, vocari tamen videtur Fredericus Braubomus Ppæhoffensis. Libros decem anno præterito edidit. Florum Flaminiorum seu Romanensium. Papalium siue Bapalium. Illis in libris noua se adferre dicit, pag. 9. *ausim dicere, nulli antehac visa in lucem profero, ab alijs allata vera astruo, falsa corrigo, dubia stabilio.* & pag. 5. *nec sine prosperrimo successu* præfiscine dixerim. Secundo, veterum temporum ordinem, dispositionem computumq; contra omnium hominum, qui sunt, fuerunt, credo & qui erunt, sententiam suo marte comminiscitur. Tertium de futuris prophetat, mundi finem, iudicium & resurrectionem fore anno Domini 1711. *Nouatores.*

Impudens est quidem illa nouitatis professio, & putida de suorum contemptu, de propriæ inuentionis ingenio iactantia, sed ex indole hæreseos, & ex merito hæresiarcharum, qui suis exemplis petuntur, postquam enim de statione veritatis cesserunt, vt in mendacij castris duces potius, quam milites esse eligerent,

suos mox secutores, quos Ecclesiæ fecerant perduelles, senserunt inimicos, aut æmulos, nam & illi ambitione nouitatis dedignantur Magistros, quos habuerunt seductores. Facinus quos inquinat, æquat, cur alios sequantur, fingendi peritiores ipsi? Hinc iam toties, à tot Caluinistis Synodus in Belgio petitur, in qua Catechismus Palatinus, & Confessio Belgica examinetur, illa enim iam displicent, quæ tanta auiditate hausta sunt, tanto sanguine steterunt, sed has quoque Synodos damnabunt posteri.

Nulli ante hac visa, inquit, in lucem profero: scilicet canit,

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo,

Noua profecto, nulli visa, ne Deo quidem, nunquam enim facta. Niuem qui dixit atram, noua, & visa nunquam protulit. Habeat laudem ergo nouitatis alienus veritatis. Patiatur interim dici se nouatorem, fateatur iniquam suam esse querelam, cum pag. 6. ait: *se suosque falso & blaspheme vocari à nobis hæreticos sectarios, Nouatores*, cum ipse nouatorum, sit nouissimus, cum pag. 7. glorietur, Noua se arma aduersum Iesuitas suppeditare, cum pag. 9. *Veritatem hac in parte abditam diu in propatulum proferre* glorietur, & forte credat.

CAPVT X.

De obscuritate numerorum Daniel-apocalypticorum.

Apocalypsis à Caluinistis reiecta, vel non intellecta.

COmparatione vægrandi alienæ inscitiæ suam nobis in rebus reconditissimis perspicientiam, prophetiamq; commendat augur Ppæhoffensis. *Liber, inquit,*

inquit, Apocalypsis non est intellectus initio reformationis, aut parum pro Euangelio habitus, at sinistra illa veterum suspicio de hoc sacro volumine antiquata est, & sublata per Ecclesiam: Verum id quidem, sed primipilis nostris suspecta erat Ecclesia, nec iniuria, licet hic non in loco. Ita pag. 22. & pag. 27. & 28. *Non Daniel ipse, non angelus Danielis instructor, non anima saluatoris plena sapientiæ numeros Danielicos intellexit, quia non curauit, nondum enim tempus: ideo nec Apostolis curandi.*

Prima hæc prophetia, non enim illa vox solam futurorum præsensionem, sed præteritorum etiam, præsentiumque quæ occulta sunt, reuelationem significat. In hac prophetia dum singula considero, omnia nobis proficere animaduerto, vati nouo obstare. Nihil dissimulabo.

Primo. Verum est, sed nouis prophetis aduersum, obscuram dicere Apocalypsin, & numeros Danielicos. *Quia scriptura sacra clara est, quia spiritus nobiscum sine ænigmatis loquitur, vt illi aiunt, si obscura est,* quomodo omnium controuersiarum & norma, & iudex sola est, & αὐτάρκης: Longe alia mẽs Pareo com. in Rom. 12. 6. *Caluinista scripturam fatetur obscuram.*

Vbi claritatem scripturæ, cui iudex alius adiungi non debeat, exaggerans, ait: *Atqui inter cæcos an sol luceat meridie, iudice opus erit, inter vidẽtes minimè. Certè sermo propheticus, fides apostolica, est lucerna lucens in caliginoso loco, hoc est, tenebricosa fidelium pectora illuminans. Qui contendunt de hac luce, quid nisi suam cœcitatem testantur?* Initio reformationis Apocalypsis erat lucerna, Sol lucens in meridie, cum ergo reformatores nescirent meridie liquere nonne cœci erant, cum solem illum negarẽt esse solem, nonne suam cæcitatẽ testabantur? Vel talento redimẽda

erat illa prophetæ confessio, qua reformatores, primipilosque suos, qui à nobis exierunt, cœcos fuisse, & lumen veritatis à cæcis reiectum promulgat.

Quid Ecclesia possit.

Secundo. Non satis percipio, quomodo suspicionem de illo sacro volumine dicat antiquatam, & sublatam per Ecclesiam. Quæ enim (malum) erat illa Ecclesia? Non designat Ecclesiam, cui Christus præsidet, cui Christi Vicarius, seruus seruorum Dei ministrat, in quâ ordo Hierarchicus, in qua cum Episcoporum successione doctrinæ apostolicæ adolescunt. illa enim primipilis vestris non suspecta fuit modo, sed infando damnata iudicio. Illa vobis Babylon, confusionis, & Idolomaniæ mater, illa vobis meretrix, quæ de vino prostitutionis suæ potauit omnes gentes, non igitur eius, de qua exiistis, testimonium audire potestis, nec iudicem legere, quam mendacem, periuram, intestabilem proclamastis. An de testamento Pontificis nostri, de dictatura Sancti Spiritus ructus mulieris super bestiam coccineam sedentis consuletur? Nō credo vos ita sentire, imo non ita insanire, vt tam pugnantia conciliare tentetis. itaq; Ecclesiam illam non intelligit nostram, sed aliam quamcunque, vt mihi quidem videtur, nec certi tamen quid habeo, video enim quâ parte possit obsistere ἐγγαστρίμυθος. Ppæhoffensis. *Non alienum esse suorum consuetudine, audire vocem damnatæ meretricis, cum primipili Zvvinglius & Lutherus ipsam bestiam scorti iumentum, tam studiose audiuerint, tam cito crediderint, atq; ex nocturnis Draconini spiritus instinctibus tam fœcunde prophetauerint.* De bestiæ illius sententia Lutherus sacrificium Christianum, Zvvinglius veritatem corporis & sanguinis dominici sustulit. Mirum itaque non debet videri, si posteri Papistis credant, cum primipili Satanæ crediderint. ego hæc considero, definire non est necesse, Ecclesiam tamen Zvvinglianæam significari opinor, opinor, inquam, nondum enim liquet.

Ra-

Ratio suadet, sinistram enim suspicionem sustulit ex animis Zvvinglianorum, & Caluinistarum, apud eos igitur auctoritate pollebat, quæ efficiebat vt crederent posteri, quod inficiati erant primipili. Molesta tamen obiectio etiam est hoc loco. Si enim Ecclesia sinistræ suspicionis expultrix, & fidei conciliatrix, erat de cætu Zvvinglii, quomodo suspecta erat primipilis Zvvinglio, & cæteris? & suspecta NON INIVRIA? iure igitur suspecta, & quidem quo, qui, optimo. Merito illi igitur primipili non credebant, non igitur ne propheta quidem nouus credere suspectæ potest. Qui iudicat non iniuria suspectam fuisse suis primipilis, eam gubernantibus, ipse quoque suspectam habeat, necesse est, neque enim propius eam nouit, quam illi, qui suspectam habuerunt, non igitur suspicantes damnare, & Ecclesiam eâ, quâ grauatam acceperunt, suspicione liberare possunt. *Ecclesia Zvvingliana.*

Tertio. Fuerit sane Ecclesia qualiscunque, si fundamenta vestræ credulitatis vera sunt, non potest tollere suspiciones de animis, cum vestra opinione iudicium sit humanum, falli, & fallere facile, & iudicium Ecclesiæ non iniuriâ suspectæ; non potest certam fidem facere, asseueratio suspecta. De scriptura solam scripturam, audiendam contenditis, non ergo contrariarum opinationum potest esse abrogatrix Ecclesia. Quod si nouus vates credit Ecclesiæ cuicunque sinistras suspiciones antiquanti, cur non credit volumen explicanti? *Ecclesia de scripturis iudicat.*

Quarto. Nemo numeros illos intellexit, non Daniel suos, non Ioannes suos, non angeli, non Christus, ne Ecclesia illa quidem suspecta primipilis. Nobis proficit illa veris & mendaciis mista ratiocinatio. De Daniele, Ioanne, Angelis, Christo Domino nunc non disputo, cognitor ille & iudex olim tibi ille respondebit. Id, in quo vterque consentimus, Ecclesiam tuam, cum primipilis vestris non intellexisse Apocalypsin,

sumamus, id namque totum largior, amplius etiam, scio ne te quidem Ecclesiæ tuæ frustum, & vix centesimipilum intelligere. Quid considerem & desiderem in illa ignoratione dicam.

Temeritas Caluinistarum.

Non intellexerunt, & Canoni inseruerunt. Qua fronte, quâ conscientiâ, verbum Dei illud esse iudicauerunt, quod quale esset ignorauerunt? Veritatem diuinam asserere, omnibus credendam proponere, & quid dicatur nescire, non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes. Principum culpari solet ἀκηδία, qui vel legendi fastidio, vel facili credulitate diplomata non lecta signant, verum Ecclesiæ haud immerito suspectæ maior est negligentia, cum librum non ex traditione Apostolica, non Ecclesiæ vniuersalis iudicio, sed propria censura diuinum iudicat, & tamen verane, an falsa, sanctane an impia, quæ scribuntur, ignorat. Eludet hoc fortassis argumentum Ariolator, & dicet: Zvvinglius angelo credidit, quem, albus, an ater esset, ignorauit, si vir tãtus angelũ cuius de colore dubitabat canonizare potuit, cur nõ eadẽ sit Zvvinglianæ Ecclesiæ, in voluminis non intellecti approbatione auctoritas? Nolo hic contentiosum funẽ ducere liceat posteris, quod iuuit conditorẽ erroris, faciãt Postpilani quod tam cõspecto Primipili inductũ est exemplo.

Iniuria Caluinistarum.

Quinto considerationem hanc excipit, alia longe grauior. Danielẽ, Apocalypsinq; nemo hactenus præter Pythonem Ppæhoffensem intellexit. Ex Daniele tamen & Apocalypsi Antichristum dicunt Pontificẽ Romanũ, Antichristianos omne nomen Catholicum, Imperatores, Reges, Principes, omnes laicos ossa Antichristi, clerum esse carnem asserũt. Bestiam primam Apoc. 13. esse Imperatorem, septem capita septem electores, Bestiam secundam esse Pontificem, & quamuis varie interpretentur, & in se mutuo incurrãt, adeo tamen fidenter hæc affirmant, vt maiore vehemẽtia non possent, si Imperator cum regibus, & principibus

con-

consanguineis nominatim Apocalypsi & Danieli insertus esset, & tamen hactenus nemo, si Ppæhossensi credimus, Apocalypsin intellexit. Imo p. 26. Quocũq; alio modo, inquit, disponas numeros (Danielapocal.) implicabitur contradictio Danielis, & Apocalypseos. vel in se, vel inter se, vel in alias scripturas, vel in experientiam. Omnes autem hactenus omnia aliter disposuerunt, Danielem ergo & Ioannem secum, & inter se commiserunt, imo Spiritum Sanctum sibi in propheta & Euangelista quasi contrarium ignoranter traduxerunt. Iniuriam nobis igitur scriptores illi fecerunt, præsertim Heluetii ex æquo Pontificatum, & Imperium perosi. Argumentum nostrum hoc est, Iniuriosa est calumnia primariam orbis terræ partem, Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, Respublicas, Nobiles, Ciues, Rusticanos, atrocissimorum criminum reos agere, Antichristianos pronunciare; Tyrannis non in sola accusatione sistere, arma, ignes, ahenos, mensas Thyæsteas parare, lite pendente iustitiam sæuitie executionis præuenire, si lex in quam commisisse eos affirmãt, nondum ab illis intellecta est, si testimonia quæ in eos excitarunt se mutuo elidant, in se mutuo implicant, & sua mole ruunt mendacia. At prophetæ noui ex lege non intellecta eos accusant, ex contradicentibus testimoniis sæuiũt, calumniose igitur & tyrannice agunt. Propositio probatione nulla eget. Tu enim violasse me legem non modo accusabis, sed insuper punies, cuius sententia hactenus non modo angelis, sed Christo, & Ecclesiæ fuit ignota? Iubet occidi liber ille Catholicos? at nescis quid liber ille velit. Cur supplicium certum sit dubia culpa? Assumptio certior, nam fatetur propheta neminem Lutheranorum, neminem Caluinistarum Apocalypsin intellexisse, omnes contradictionem argumentando implicuisse.

Te-

Testatur Graserus in hypothesi plagæ Regiæ, Apocalypsin ob difficultatem à suis præceptoribus non fuisse receptam. Lutherus ideo reiecit. *Quia* dixit, *Beatum illum qui seruet verba prophetiæ huius, cum tamẽ nemo sciat quid velit liber obscurißimus.* Quomodo scitis eum velle nostram deprædationem, cruciatus, sanguinem? Nondum sine contradictionis implicatione disputastis, & generoso sanguini Regum inhiatis? Quod ius est, postulo, nemo ex coniecturis, & suspicionibus damnetur. Cur enim me crucias? iubet Apocalypsis. Et quid illa? non intelligo. Quomodo igitur me ex ea damnatum intelligis? me tibi in manus datum, vt crudelem voluptatem de me capias? carnem deuores? sanguinem bibas? Nec ius modo in me tibi datum, sed mandatum etiam intelligis, nec tamen quid sibi velit liber obscurissimus intelligis. an hoc agis intelligendo vt nihil intelligas? Legite Pareum in Rom. 13. Plessæum in præfatione ad Angliæ Regem. Nostrum aruspicem Ppæhoffensem, lib. 10. c. 5. Cuius titulus est: Mandatum diuinum de Pontifice euertendo. Vbi publicum præceptum habere omnes Caluinistas asserit, quale Ehud habuit priuatum, & ne desit concitandæ seditioni verba Apoc. 18. 4. 5. 6. 7. germanice recitat. Omnia igitur supplicia irrogare iubet, exurere, carnes edere, nullum supplicium nimium putare. Verum quænam est ista barbaries eorum qui hæc præcipiunt, cum non intelligant, quid liber obscurissimns velit? cum contradictionem implicuerint: Hoc postremum à sanguinariis & latrocinantibus Theologis rogo obtestorque, vt ex tot suorum scriptoribus duos, non sibi mutuo, non sibi ipsis contradicentes in hoc iudicio exhibeant, & deinde quâ datâ portâ ruant in nostrum sanguinem. Addo, vnum præstent qui non omnibus aliis contradicant, & ecce iugulum præbemus, non iure, nec merito, ad vnius enim homuncionis pronunciatum meliorem orbis

Omnes Caluinistæ mandatũ publicum habere dicũt, vt Catholicos occidant.

orbis partem exurere, deuorare, nec ipsa iniquitas æquum esse censeret; sed fiducia causæ, iniquo iudicio experiri placet.

CAPVT XII.

Numeri Daniel apocalyptici.

DAnielis cap. 12, v. 6. & Apoc. c. 12. v. 14. Tempus tempora & dimidum temporis.

Danielis 12. 11. Et à tempore quo ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem dies 1290.

Danielis 12, 12. Beatus qui exspectat, & peruenit vsque ad dies 1335.

Apocalysis 11, 2. Et ciuitatem sanctam conculcabunt mensibus 42. Apocalypsis 11. 3. Et dabo duobus testibus meis & prophetabunt diebus 1260. amicti saccis. Apoc. 12. 6. Et pascant illam diebus 1260. Hos numeros nec Danielem nec Christum intellexisse vult, se tamen esse eum, qui peruiderit. Et cur Daniel non intellexit? Rationes adducit. Prima: Quia phrasis, Tēpus, tempora, & dimidium temporis non erat explicatum per dies 1260.

Respondeo. Neque iam admodum certum numeros Danielis & Apocalypseos esse eosdem: Quid enim si tempus Danielis & tempora essent dies plures, quā apud Ioannem? Deinde illud dimidium non forte ad vnguem resecandum, vt dies nulla supersit vel desit. Tertio. Nec constat quo die dies illi initium habeant. Quarto, magna pars Caluinistarum omnes numeros Danielis in veteri testamento terminat. *An in idem tempus conueniunt numeri Danielis & Apocalypseos.*

Ratio altera. Daniel non intellexit: Quia tempora nondum erant exposita per binarium, imo nec angelus, quia incertum erat, an numerus 1260. in numero 1290. contineretur, an vero de integro subiiciendus foret, & an vterque numerus prior in numero 1335. inclu-

inclusus? hoc nec Christus intellexit. Aude aliquid, & dic. Nec ego intelligo, credemus omnes. Non faciam inquis, Fortem & tenacem propositi virum, nec ipsa vincet veritas. Euge igitur Rabboni, doce nos quod Christus ignorauit, doce nos sapientiam, quæ est supra Dei filium, ne sit illa cognitio de gratia saluatoris, quæ docere posset filium Dei, sapientiam patris. Ad rem quod attinet, error tuus est, Tempus tempora dimidium esse annos 1260. aut 1290. nos dies dicimus; tu vnde dies illos, quos Daniel & Ioannes numerant, annos esse probas? & annos incipere, eo quo tu vis anno? Tertio, ita desinere? Hęc probanda erant, quod ne conaris quidem, tantum narras si aliter disponantur fore contradictionem. Respondeo: Tot Catholicos, veteres, recentiores disposuerunt illa tempora, tot Caluinistæ, tu si vir es, ostende contradictiones. quas vbi ostenderis, tum demum, & hoc demonstra, nec angelos, nec Christum posse numeros aliter, quam tu dictaueris, sine contradictione ordinare, hoc diploma è cœlo adferendum est, vt tibi credamus.

Cap. XIII.

De Chronologiâ nouâ.

EX numeris Danielapocalypticis nouam Chronologiam producit, quam adeo deamat, vt ne à se quidem dilaudando abstinere queat. *Gaudete mecum, & laudate Deum: quotquot estis Christiani, inueni annum natiuitatis Christi, qui perierat.* Miræ igitur eritis res, quicquid calcaueris hoc rosa fiet. Quæritis ô Collegæ Antibellarminiani, *vnde habeat iam tanta superbia causam*? Ecce Chronologiam nouam do noui Prophetæ inuentum, & reuerenter examino.

Chro-

Chronologia noui Prophetæ.

A.mund.	Triumv. Aug.	
3882..	1	
3883..	2	
4..	3	
5..	4	
6..	5	
7..	6	
8..	7	
9..	8	
3890..	9	
1.	10	
2.	11	
3.	12	
4.	13	Sol. Aug.
5.	14.. 2	
6.	15.. 3	
7.	16.. 4	
8.	17.. 5	
9.	18.. 6	
3900.	19.. 7	
1.	20.. 8	
2.	21.. 9	
3.	22 10	
4.	23 11	
5.	24 12	
6.	25. 13	
7.	26. 14	
8.	27. 15	
9.	28. 16	
3910.	29. 17	
1.	30. 18	
2.	31. 19	

3.	32.20	Chr.N.	
4.	33.21..2		
5.	34.22..3		
6.	35.23..4		
7.	36.24..5		
8.	37.25..6		
9.	38.26..7		
3920.	39.27..8		
1.	40.28..9		
2.	41.29. 10		
3.	42.30. 11		
4.	43.31. 12		Tib.cum Aug.
5.	44 32. 13		
6.	45.33. 14		
7.	46.34. 15		
8.	47.35.16		
9.	48.36.17..2.		
3930.	49,37.18..3.		
1.	50.38.19..4.		
2.	51.39.20..5.		
3.	52.40.21..6.		
4.	53.41.22..7.		
5.	54.42.23.8.		
6.	55.43.24.9.		
7.	56.44.25.10.		
8.	Tib.Sol.	26.11.	
9.	2.	27.12.	
3940..	3.	28.13.	
1..	4.	29 14.	Ch.bapt.
2..	5.	30 15. quasi incipiens.	

Non

Non est iam hac in parte necessarium inclinationē hæreseon ostendere, eo me labore subleuauit Enthusiasmus Braubomianus. Vecordis enim impudentiæ esse sæculo tam erudito contra sacros exterosque scriptores, noua tempora condere nemo dubitare potest, & Christi natiuitatem, passionemque decennio anticipare. Nam cum doceant omnes Christum natum anno Augusti 30. vel 31. pag. 29. hic anno 20. natum vult. Cum cæteri credant Lucę dicenti c. 3. 1. baptizatum decimo quinto Tiberii, hic quinto vult factum. Rationes forte habet, dices: Habet plane, & habet quinque, sed quæ miseram Chronologiam funditus euertunt.

Rationes nouæ Chronologiæ.

Ratio prima prophetæ. pag. 49. *Quæ enim ratio, Augustum senili demum ætate censum indixisse orbi?* Reuocemus ad formam: Natus est Christus, cum censum indixit Augustus, at Augustus anno Monarchiæ plenæ 30. vel anno à nece cæsaris 42. vel 41. non indixit censum, non illo ergo anno natus est Christus. assumptio probatur, quia anno 30. senex erat, nec ratio, cur senex censeret orbem:

Responsio. Assumptio falsa est, & eius ratio, nam vt senex censum ageret Augustus magna ratio fuit. Legiones 23. auxilia sociorum, tres classes, Bellum Illyricum, Variana clades, largitiones ingentem vim pecuniæ hauriebant, & tu rationem quæris, cur senex regnandi gnarus censum egerit: Et quid mirum si anno 30. censum ageret, adhuc annos duodecim victurus? L. Munatio, & Caio Silio consulibus, triennio ante mortem, quid egerit, vide apud Dionem in Augusto.

Quumq; vigesima omnes ferè grauari intellexisset, ratus eos ob eam causam esse aliquid noui molituros, litteris ad senatum missis petiit à Patribus, vt alia genera tributorum quærerent. Id faciebat non quò vellet vigesimam remittere, sed vt eam nullo præterea tribu-

tributo inuento magis idoneo & accommodato, absque vlla eius calumnia comprobarent: atq; vt ne suspicarentur Germanicum, & Drusum, quum de ea re sententiam dicerent, id iussu suo facere, sed vt eam nihil preterea discutientes aut examinantes admitterēt. Qua de re etsi postea vetuit ne sermo amplius haberetur, tamen à plerisque dicta sunt multa, eiq; per literas significata sunt. Ex quibus vbi intellexit eos paratos esse omnia potius quam hæc perpeti, tributum ex ædibus agrisque conferre iussit, neque tamen definiuit à quibus aut quemadmodum persolui vellet, sed aliquot homines misit in diuersas partes orbis, à quibus prædia priuatorum hominum atq; adeo ipsarum ciuitatum describerentur, vt metu damni incommodique maioris mallent vigesimam soluere: id quod euenit.

Ecce iam senior vicesimam non remittit, de nouo tributo senatum consulit, vt vicesima maneat, & tu rationem cur censum indicat, nullam putas? Imo vel præcipua ratio in ætate senili fuit colligendi, vt successorem neruo belli muniret, vt haberet quo militum animos conciliaret. Iusta igitur census colligendi ratio fuit, collegisse vero etiā extrema senectute si probaro, iam se nouus, propheta turpiter dabit. Suetonius in Augusto c. 27. Recepit & legum, morumq; regimen perpetuum, quo iure quanquam sine censuræ honore censum tamen populi ter egit. Primum ac Tertium cum Collegâ, medium sine Collegâ. ita quoque Indiculus Augusti, lapis Ancyranus. Primum itaque censum egit sextum consul cum M. Agrippa genere suo, anno tertio à victoriâ Actiacâ, anno 16. à triumuiratu scilicet. Secundum C. Marcio Censorino, & Caio Asinio Gallo Coss. Est is annus à victoria Actiaca 23. & incidit in 34. à nece Cæsaris 36. 37. Tertium cum Collega Tiberio duobus Sextis Apuleio, & Pompeio Coss. De cæteris censibus post dicam, nunc pro-

Augustus senili ætate censum egit.

phetam refuto. Egit censum anno vitæ extremo, illis, quibus mortuus est Consulibus, Propheta, ait, non egisse senili ætate. Imo cum lustrum conderet in campo Martio magna populi frequentiâ, omé mortis imminentis accepit. *Quo aduerso* (inquit Suetonius) *vota quæ in proximum lustrum suscipi mos est, Collegam suum Tiberium nuncupare iussit, nam se quanquam conscriptus, paratisq; iam tabulis, negauit suscepturum, quæ non esset soluturus.* Hic vnus fuit ex censibus illis maximis, alias lustris singulis populus censebatur, fuisse vero censum generalem ostẽdit sępe laudatus à Propheta Tacitus l. 1. ann. c. 8. Interea Germanico per Gallias, vt diximus census accipienti excessisse Augustum nunciatur. Ecce tibi census ille morientem Augustum occupat, & tu senili ætate egisse negas, census per Gallias accipitur, dubio procul & per cæteras prouincias. Certè nunquam Augustus magis senili ætate fuit, quam cum moreretur, & mortuus est, nisi fallor vltimo suo anno, falsum ergo senili ætate censum non egisse. Lapsus illos, & errata historica homini vano, facile condonari possent, nisi insigni crudelitate, & amentiâ ex turpissima ἀνιστορίᾳ, morte damnaret omnes orthodoxos. Hæc enim eius est gradatio. Censum senili ætate non egit Augustus, non ergo senili Augusti ætate natus est saluator, igitur natus est anno 20. Monarchiæ plenæ Augusti, igitur ex omnibus Chronologiis mea sola est vera. Igitur Pontifex Antichristus, & Imperator bestia prima Apocalyptica, occidendi igitur, arma viri, ferte arma citi. Hanc barbariem detestamur, hanc immanitatem non nisi à satana proficisci demonstramus, supremam malitiosæ calumniæ quam hæresis accendit flammam agnoscimus.

CAPVT XIII.

Aliæ quatuor rationes prophetæ.

ANNO *vicesimo plenæ Monarchiæ Augusti Consul fuit Cyrinus, seu Quirinus, de quo Lucas agit, illo ergo anno censum egit Quirinus, Luc. 2. 2.* vera est ergo noua Chronologia, ergo ex numeris Danielapocalypticis Pontifex Antichristus, carnes eius voremus. Hoc argumentum est secundum pseudoprophetæ, in quo nihil præter historiæ imperitiam mireris. Non enim anno consulatus sui, P. Sulpitius Quirinus pręses Syriæ fuit, sed Romæ consul, nec censum in Iudæa agebat, sed consularia officia Romæ administrabat. C. Sempronii Gracchi lege cautum iam olim, vt consules & prætores, annuo vrbano magistratu finito, in prouincias irent, ergo saltem anno Augusti 20. non est profectus Quirinus, sed nec 21. anno, sed multo post in prouinciam venit, & venit consularis non Consul. Dio l. 53. *Senatus, & seorsim quidem* consularibus Africam, atque Asiam concessit, & prætoriis reliquas prouincias adscripsit. Vtrisque autem ex æquo interdixit, ne ante quintum annum à gesto in vrbe magistratu prouincias sortirentur, ita fiebat, vt etsi eorum numerus, quam prouinciarum erat maior, tamen ad omnes tandem imperium perueniret. ante quintum igitur annum non est ingressus prouinciam, sed neque cum eam accepit, mox statim censum agere potuit, bello Homonadensium impeditus, ex quo & insignia triumphalia meruit. itaque Sentius Saturninus censum illum continuauit, & perfecit. Hinc Tertull. lib. 4. contra Marcionem c. 7. Censum illum fidissimum custodem ait esse natiuitatis Dominicæ, & cap. 19. Sentium Saturninum nominat, ab eoque census actos dicit per Iudæam.

Ratio 2.

Consules quinto anno à gesto magistratu prouincias sortiti.

Contrarium igitur planiſsime conuincit illa ratio. Anno 26. Auguſti nondum cœptus erat cenſus ſub Quirino præſide, necdum ille, præſes, ſed Mar. Agrippa iterum, & deinde Titus, cui Quirinus ſucceſsit, non eo igitur anno Chriſtus natus, non igitur ex eâ Chronologiâ ad rogum Catholici debemus poſtulari.

Ratio 3. Ratio. 3. Omnem controuerſiam decidit Tacitus l. 1. Annal. cap. 3. *Qui ait Tiberium in Collegam imperij aſſumptum, Caio & Lucio mortuis*, id factum S. Ælio Cato, & C. Sentio Saturnino Coſſ. itaque tum Tiberius cœpit eſſe Cæſar, itaque Dominus anno quinto Tiberii ſolius eſt baptizatus, anno vero quintodecimo Tiberii cum Auguſto regnantis. Reſpondeo. Vt illa quæ falſa ſunt, nos tamen vera credamus, an nobis vnici Taciti iudicio pereundum eſt? Sed hic etiam Spiritus Ppæhoffenſis eſt mendax.

Primo. Tiberius mortuo Caio & Lucio adoptatus eſt, vt fatetur propheta, & omnis hiſtoria docet. Caius vero mortuus eſt Ælio Cato, & Sentio Saturnino Conſulibus. Poteſtas vero Tribunicia, quod ſummi faſtigii vocabulum dicit Tacitus, reſtituta eſt Tiberio poſtea, Suet. c. 6. Triennio deinde bellum Illyricum, biennio bellum Germanicum geſsit, Suet. c. 16. & 17. & 18. deinde cũ triumphaſſet, paulo poſt mortuus eſt Auguſtus. A data igitur tribunicia poteſtate ad mortem Auguſti ſnnt anni ſummum ſex, ſed ab Sex. Ælio Cato, & C. Sentio Saturnino ſunt anni decem, ad duos ſextos Coſſ. quibus mortuus eſt Auguſtus. Auguſto igitur XIII. & M. Plantio Coſſ. reſtituta eſt Tribunicia poteſtas, itaque ab ea ſi numeres annos Tiberii quintus annus incidet in vltimum Auguſti, non decimus vt habet calculus pſeudoprophetæ. Neque tamen ſi illis conſulibus Tribunicia poteſtas reſtituta eſt Tiberio, ideo neceſſe eſt ab eo tempora numerari, neque enim ita illam Tiberio dederat, vt ſibi eam

detraheret Augustus, neque enim ita data est Tiberio vt Augusto, sed illi in quinquennium, huic in perpetuum.

Ratio 4. *Qui talis est, qualis à Tacito describitur Tiberius: is profectò magis vel Cæsar vel Imperator est, sene, orbo, nec sui iuris imperatore.* Non igitur decennio vltimo Cæsar erat Augustus, sed Tiberius, & quia Augusto decennium hoc abrogauit nouus propheta, sequitur ex Chronologia Pontificem esse Antichristum, illum moriturum anno 1641. *Ratio 4.*

Respondeo. Miserum hominem qui nihil nisi quod ipse commentus est verum esse putet. Nos rationem retorqueamus. Augustus etiam vltimo decennio erat Augustus, non modo Octauianus, falsa ergo Chronologia, quæ ante tempus ei imperium abrogat, iniqua sæuitia, quæ ex vanâ temporum dispositione diem mortis Christiano orbi decernit. Nec obstant verba Taciti: Nero solus è priuignis erat: illuc cuncta vergere; filius, Collega imperii, consors Tribuniciæ potestatis assumitur. Collegia non pari potestate, non ideo Cæsar, Tribuniciæ potestatis vt sacrosanctus, non par esset Augusto. Seianus Collega Imperii Tiberiani teste Dione, & cæteris scribitur, non tamen par erat, sic Tiberius assumitur in successionis spem certam, non vt viuente patre regnaret. *Tribunicia potestas.*

Nemo rem certius definiet ipso Augusto, *iam morituri vox à cubiculariis excepta est: Miserum populum Romanum qui sub tam lentis maxillis erit.* Erit, inquit, non est. Suet c. 21. Deinde post Varianam cladem Tiberium in Germaniam tendere *iubet*, & paret ille iubenti, vt est apud Dionem. Videamus & Tiberium, Suet. c. 20. *A Germania in vrbē post biennium regressus, triumphum quem distulerat egit, prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrauerat. ac prius quam in capitolium flecteret descendit è curru, seq; præsidenti patri ad genua submisit.* & cap. 21. *Tiberius minor Augusto.*

Ac non multo post, lege per Coss. lata, vt prouincias cum Augusto communiter administraret, simulq; censum ageret, condito lustro, in Illyricum profectus est. Lex illa anno Augusti extremo lata est, non igitur communiter cum Augusto ante administrarat, quorsum enim in eam rem legem ferant consules?

Falsum & illud, Augustum senem non fuisse suæ potestatis. Nam post Varianam Cladem, non modo magnam, sed seueram etiam potestatem exercuit. Dionem audiamus.

Augustus potestate sua etiam senex vtitur.

Augustus cognito Vari casu veste subito discissa, magno in moerore fuit, partim quod ei Galli magnum timorem inijcerent, quos verebatur non solum in Italiam, sed etiam Romam propere esse venturos. Neq; enim vllam vrbem munitã reliquerat, & socij omnes qui opem ei ferre potuissent, magnis erãt incommodis affecti: tamen vt tum potuit, ex rebus præsentibus parauit omnia. Sed postquam nemo eorum qui per ætatem bellum gerere poterant, conscribi voluit, iußit eos sortiri, ac quintum quemq; ex iis qui nondum quinque & triginta annos attigissent, ex iis autem qui essent natu grandiores decimum quemque sorte priuauit facultatibus, & notauit ignominia, & postremo quod apud multos nondum erat in honore, nonnullos interfici iußit. Tunc coacto veteranorum, libertinorumque quam maximo potuit numero, eos cum Tiberio contendere in Germaniam celeriter iubet.

Et Paulo post. *Augustus rursum quinto decennio suscepit curam & administrationem reipublicæ, L. Munatio, & C. Silio Coss. Hic propter senectutem perraro veniebat in senatum, petijt viginti consiliarios annuos, nam antea quindecim tantum adhibebat in sex menses.* Nemo qui vel Romanam historiam à limine salutarit, Augusto seni vel maiestatem, vel auctoritatem decessisse existimabit. Quid ille animus vere Augustus, qui

iam moriturus lustrum condit, censum etiam mortuus agit?

Ratio quinta. Lucas vocat ἡγεμονίαν Tiberii, non autem ἀρχὴν αὐτοκράτορα, ergo annus decimus quintus non est numerandus ab exitu Augusti, sed Tribunicia potestate. *Ratio 5.*

Respondeo. Si à Tribunicia potestate, iam facile vicesimus annus diceretur, nam iam olim antequam secederet, Tribunicia potestate pollebat, vt ex iculari eos facto constat, cum Sophistam subito aduentu terreret. Deinde restituta ei Tribunicia potestas est antequam in Illyricum tenderet, sed restricte in quinquennium, non igitur ab eâ potestate primum accepta imperator, aut Cæsar dicendus est.

Quod ad dictionem ἡγεμονίας attinet, recte vertit eam Syrus רמלבותה regnum, & noster Imperium. Imperitiæ tuæ oppono, non aliquem de vetustis, sed tuorum primipilum Bezam. *Apparet Lucam minime fuisse sollicitum, de Tiberii imperio à Pilati procuratoris ipsius munere distinguendo.* Pro imperio ἡγεμονίαν. ἀρχὴν, αὐτοκράτορα ἀρχὴν, αὐταρχίαν vsurpant. Sic apud Herodotum ἡγέομαι παντὸς τοῦ στρατεύματος. In facultatibus quoque τὸ ἡγεμονικὸν dicitur, quod omnibus imperat. & Appiano Roma ἡγεμονὶς ciuitas imperatrix. atque hæ sunt rationes, quibus rogo & lanienæ addicimur; Augustus senex non egit censum, Cyrinus anno quo consul Romæ fuit, præses fuit Syriæ, Tiberius Augusto imperante, potius Cæsar fuit, quam Augustus, ἡγεμονία non significat imperium, noua ergo Chronologia cudenda, anno 1711. mundus interibit, & quia hęc ita habent. Papa etiam est Antichristus.

CAPVT XIV.

Christum non esse baptizatum quinto Tiberij anno.

QVantum futilitatis, & imperitiæ habeant rationes stulti Ariolatoris ostendi, nunc sententiam ipsam videamus. Lucæ cap. 3. v. 1. dicitur baptizatus *Christus anno quintodecimo imperii*, non igitur baptizatus est quinto. Nam Euangelista de Imperio solius loquitur, seu αὐταρξίᾳ, non eo tempore quo ad genua se Augusti submittebat, id probatum damus.

Cæsar à Cæsareatu dictus.

Primo. Spiritus Sanctus vocat annum decimum quintum imperii καίσαρος, at Cæsarum annos à Cæsareâ maiestate accepta numeramus, non ab eo tempore, quo minore, quantacunque dignitate pollebant.

Spiritus Sanctus temporum ordinem retinet.

Secundo. Spiritus Sanctus ita tempora describit, vt historiæ consulat, & vsui ciuitatum ac populorum, at vero si annos decem extremos Augusti tribuat Tiberio, contra omnium scriptorum, gentiumq; vsum facit. Nulla gens, nulla ciuitas, vicus nullus, eam temporum dispositionem agnouit, nemo hominum sic est Lucam interpretatus, obscurissime loquẽdo omnibus hactenus imposuit Spiritus Sanctus, si quem omnes numerabant annum Tiberii quintum decimum ab excessu Augusti, ipse quintum dixit. Non igitur ex decimo quinto facere quintum debet pseudopropheta, vt Regum Catholicorum sanguinem bibat, pontificias carnes asset & manducet. Nos potius audiat argumentantes: Si annus quintusdecimus Tiberii, non est annus quintus Tiberii, non est igitur pontifex Antichristus, aliter enim iuxta prophetam probari non potest esse antichristus.

Tertio. *Procurante Pontio Pilato Iudæam.* Si natus est an-

eſt anno Auguſti 20. Dominus, igitur baptizatus eſt ante Pilati in Iudæâ procurationem. Ratio temporis explorata, nam poſtquam fato conceſsit Auguſtus, miſſus eſt in Syriam à Tiberio Valerius gratus, eamq; adminiſtrauit annos vndecim, vt ex Ioſepho l. 18. ant. c. 13. conſtat, anno 12. Tiberii datus Valerio ſucceſſor eſt Pontius Pilatus, at Chriſtus vt vates noſter delirat baptizatus eſt anno Tiberii quinto, itaque non modo baptizatus, ſed paſſus etiam ante Pilati præſidatū. Hoc igitur ſupereſt, vt Pilatus tanto facinore excuſetur, & Valerius ſubſtituatur, niſi enim hoc præſtigiator Ppæhoſſenſis effecerit, nunquam probabit Pontificem eſſe Antichriſtum, non enim palmaria illa mendacia, niſi portentoſa ἀνιςορία probari poſſunt.

Chriſtus ante Pilati procuratio-nem bapti-zatus iux-ta prophe-tam.

Quarto. Chriſtus eſt natus anno Monarchiæ Auguſti 20. vt vult propheta, ſeu 32. à Triumuiratu, vixit igitur cum Auguſto annos 24. adde annos vndecim Valerii Grati præſidis, vnum Pilati, vt minimum, nam Pilatum iam ante Chriſti mortem fuiſſe aliquo tempore in Iudæa conſtat ex Luc. 13. 1. renunciatur enim Domino miſcuiſſe Galilæorum ſanguinem cum ſacrificiis, anni igitur Chriſti ſunt minimum triginta ſex, hoc ne vates quidem cui omnia libent, & licent dicere ſuſtinet, Minorem enim cum cæteris Chriſto ætatem tribuit.

Quintò, Herodes obiit anno Auguſti ab Actiacâ pugnâ 36. vel 35. is igitur ex nouo computu annus Chriſti erat ſextus decimus, vel quintus decimus, non igitur anno duodecimo præſentatus eſt in templo Dominus, nam ante obitum Herodis in Iudæam non rediit.

Sexto. Anno Iuliano 38 celebrata eſt Olympias 193. in ea ſolennitate Herodes factus eſt agonotheta, profectus Romam accuſatum filios, eodem anno miſſus eſt Quirinus ad agendos cenſus. Ioſeph. ant. lib. 12. & 13. Dio lib. 53. non igitur cenſus ille actus eſt ante

quadriennium, Finem facio, si non pro merito & rei magnitudine questus fuero, sed lectores de iudicii iniquitate monuero. Accusamur ex Chronologia prophetæ noui, & vt ipse ait, numeris Danielapocalypticis, stat ductis sortib. vrna, nihil tabulis nisi Theta insculptum, omnibus lenta mors, nec sine cruciatu decreta, at Chronologiæ repugnant omnes tabulæ, testes, omnes accusatores, inter tot inimicos, vnus eam finxit, & solus probat, nondum igitur conuicti sumus, cur sæuit carnifex ante præconem? & gladius vocem, imo cognitionem iudicis præit? Neque nos modo more historico de temporibus, & veterum gestis controuertimus, sed pro vita dimicamus, sua enim nos Chronologia aduersarius conuincere, trucidare, exurere, deuorare nititur, & pestilens ille liber scriptus solo est sanguine.

CAP. XV.

De initio Antichristianæ Chronologiæ.

Aduersarius Apostolicam Ecclesiam accusat.

POstquam historiam omnem sacram, & profanam temporum mutator, infelix augur euertisse se putat, altius erigitur, & quasi parum sceleris in nostro sanguine machinetur, primam Apostolicorum temporum Ecclesiam carpit, maiore impudentia, an nostro emolumento id faciat iam considero.

Pag. 103. Linum facit pseudopapam. Verba eius habentia notam temporis: VespasIano benIgnIore LInVs antI pontIfeX. & pag. 75. Tres conditores ait, esse pontificatus Anchristiani, Clementem siue Cletum, Linum seu Anacletum, Euaristum, in eodem censu ponit Alexandrum, Zosimum & successores pagin. 76. & in eos interpretatur cap. 13. Apocalypsis.

Ca-

Catalogum propoſui, & conſtet, quos viros Antichriſtianiſmi accuſet, ille è contrario, Caios, Claudios, Nerones, Othones, Vitellios, Domitianos, Adrianos, Commodos, pontificum illorum carnifices canonizet, vt Marcioniſtas, & Caianos examuſsin referat nouitas impia. Diſputatione nulla opus eſt, quid enim vel contra tantam contumeliam in tot Chriſti martyres dici poteſt, vt non minus ſit, quam malignitatis atrocitas poſtulat, vel quid pro tot martyribus cogitari poteſt, quod non melius ipſi iam mundo exhibuerint? O Ieſu Chriſte, martyrum Domine, de cuius ſanguine purpuratus ille cætus dealbatus eſt, ante tuum tribunal agimus cauſam, & omnes quos recenſeo, ſunt Antichriſti, beſtiæ, eorum pars in ſtagno ardente pice & ſulphure?

Annus Domini.

34. S. Petrus Apoſtolus & Martyr.

56 S. Linus, S. Cletus
68 S. Clemens
84 S. Anacletus
96 S. Euariſtus

— Martyr.

Annus Domini.

100
109. S. Alexander 1.
117. S. Sixtus 1.
127. S. Teleſphorus
138. S. Higinus
142. S. Pius 1.
153. S. Anicetus
163. S. Soter
171. S. Eleutherius
186. S. Victor 1.
198. S. Zephyrinus

— Martyr.

Anno

Annus Domini.

200.
218. S. Calixtus I.
223. S. Vrbanus I.
231. S. Pontianus
236. S. Anterus
237. S. Fabianus
251. S. Cornelius
253. S. Lucius I. — Martyr.
255. S. Stephanus I.
257. S. Sixtus II.
260. S. Dionysius I.
271. S. Felix I.
275. S. Eutychianus
283. S. Caius
296. S. Marcellinus Martyr.

Anno Domini.

300.
304. S. Marcellus I.
310. S. Eusebius — Martyr.
311. S. Melchiades
314. S. Syluester I.

Contumelia aduersarii in martyres.

Hunc tibi cœtum benignissime seruator produco tua caritate flammatum, suo sanguine russatum, tuæ gloriæ impensum, intuere vulnera lucentibus flammis vstulata, neruos eculeorum violentia laceros, sulcata vngulis latera, contusa plumbatis ossa, & toto iam corpore in facta vulnera sæuientem crudelitatem post gladios & rogos ludibriis proiectas reliquias, si hos agnoscis amicos, quid de illo iudicas, qui nomine Antichristianorum eos infamat? qui satanicos, bestiales appellat? Si illa Ecclesia cui illi præsederunt tum erat Antichristiana, si meretrix Babylonia, vbi igitur tua erat Ecclesia? nulla enim fuit toto terrarū orbe Ecclesia, quæ Romanæ non communicaret, aliarum Ecclesiarum Episcopi & Doctores, illis fide & caritate erant

erant contesserati, plerique sectariorum etiam eos pro martyribus agnoscunt, quod si gratis tanta passi sunt, & dæmoni tantum patientiæ, tantum fidei impenderunt, cur hactenus nemini id in mentem venit? Imo vero cur non ipse interrogatus monuisti, cur numeros Apocalypticos (vt nouo vati dicere libuit) non curasti? & cur non curasti? quia nondum erat tempus (inquit) Nondum tempus? cum tot Antichristi, vt ipse sentit, pro Christo mactarentur? cum fideles omnes eorum fidem amplexi, sanctitatem laudarent, constantiam mirarentur, & imitarentur? Cur non Petrus eos refellit, cur Clementem Paulus laudauit? Fidenter dico, si illi fuere martyres Antichristiani, non fuit martyr vllus iam ab annis mille quingentis Christianus, non fuit vlla Ecclesia Christi. Periit ergo in cunis vix nata Ecclesia. Nam & Ppæhoffensis anno 86. Antichristum pridem conceptum, natum affirmat, anno 376. eius adolescentiam, anno 636. virilem ætatem, anno 711. ἀκμήν, anno 1086. Ecclesiam reformatam esse natam delirat, non erat igitur ante Ecclesia Christi, sed Antichristi.

Ad te redeo ô vane aruspex, Tales illi fuerunt Episcopi, quales lib. 2. ca. vltimo contra Iulianum profert Augustinus, etenim illi horum sunt collegæ, laudatores, & in eiusdem prædicatione fidei successores. Nūc Augustinum audiamus: Isti Episcopi sunt docti, graues, sancti, veritatis acerrimi defensores aduersus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ bona iudici tribuisti, non potes inuenire quod spernas. Si Episcopalis Synodus ex toto orbe congregata, mirum si tales possent illic facile tot sedere, quia nec isti vno tempore fuerunt. Sed fideles, & multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diuersas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire iudicat. Ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regio-

regionibus ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quo nauigare cogantur homines, ſed in librum qui nauigare poſsit ad homines. Quanto tibi eſſent iſti Iudices optabiliores, ſi teneres Catholicam fidem, tanto tibi ſunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem quam in lacte ſuxerunt, quam in cibo ſumpſerunt, cuius lac & cibum paruis magniſque miniſtrauerunt, quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, vnde nunc reuelamini, apertiſsimè ac fortiſsime defenderunt. Talibus poſt Apoſtolos Sancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creuit. Ideo prophanas voces veſtræ nouitatis expauit; & cauta ac ſobria ex admonitione Apoſtolica; nec ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & mens eius corrumperetur à caſtitate, quæ eſt in Chriſto ; Catholicæ fidei virginitati inſidias veſtri dogmatis ſubrepētis exhorruit, & tanquam caput colubri, calcauit, obtriuit, abiecit. His igitur eloquiis & tanta authoritate ſanctorum profecto aut ſanaberis Dei miſericordia donāte, quod quantum tibi optem, videt qui faciat: aut ſi quod abominor, in eadem quæ tibi videtur ſapientia(& eſt magna ſtultitia) perduraueris; non tu iudices quæſiturus es; vbi cauſam tuam purges; ſed vbi tot ſanctos doctores egregios atque memorabiles catholicæ veritatis accuſes? Irenæū, Cyprianum, Retitium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Ambroſium, Baſilium, Ioannem, Innocentium, Hieronymum, cæteroſque ſocios ac participes eorū, inſuper & vniuerſam Chriſti Eccleſiam, cui diuinæ familiæ Dominica cibaria fideliter miniſtrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt. Aduerſus hanc autem miſerabilem quam Deus à te auertat inſaniam, ſic reſpondendum eſſe video libris tuis, vt fides quoque aduerſus te defendatur iſtorum; ſicut contra impios & Chriſti profeſſos inimicos, etiam ipſum defenditur Euangelium.

Cap.

CAPVT XV.

De Periodo Antichristi, & fine mundi?

TEmporum seriem, rerum gestarum ordinem, omnem historiæ fidem hactenus ventriloquus noster inuertere, & turbare conatus est, vt ostenderet vnum se esse qui scribendo restituat rem, cæteros velut vmbras volitare, nunc plenis follibus spirat oracula. Audite quæso, audite. *Propl etia Ppahoffensis.*

Primo, Ante annum Domini 86. iam pridem, conceptus erat Antichristus.

Secundo, Anno 86. natus est.

Tertio, Anno 376. adolescens erat.

Quarto, Anno, 636. virilem ætatem agebat.

Quinto, Anno 711. erat ἐν ἀκμῇ.

Sexto, Anno 1086. antichristi ætas vergens, Ecclesia reformata nascens.

Septimo, Anno 1376. antichristi ætas inclinata, Ecclesia reformata adolescit.

Octaua, Anno 1636. Antichristi ætas decrepita, Ecclesiæ reformatæ vita.

Nono, Anno 1639?. Antichristi paroxysmus.

Decimo, Anno 1641. Antichristi mors.

Vndecimo, Anno 1711. Antichristus, Iesuitæ stirpitus exciduntur, Ecclesia reformata ἐν ἀκμῇ.

Duodecimo, Anno 1711. Res VrreCtIo Magna, aD polos, VeL tartara.

BeatIt VDo Mort eCCVbante.

Nemo ambigat calculatorem Ppæhoffensem articulis suis Sanctissimæ Trinitatis consilia temperasse, tempora per succedentia secula ordinasse, forte & authentico sęculorum libro proficiunt angeli, & Daniel numeros ipse suos de ἀποφήτα recognoscit, mirum ni liber in cœlo recusus bibliothecá inchoat angelicá. Mira

Mira enim docet, nec angelis, ne Deo quidem ipsi visa, vel præuisa. Veruntamen quia dictum est, omnia probate, quod bonum est tenete, nos hæc quoq; consideremus, consideremus sine risu, serio enim agit inimici crudelitas, quanquam enim hæc & dicantur vanissime, & stultissime credantur, quod tamen inde consectariũ faciunt, est crudelissimũ, mors, rogus, visceratio omnium Catholicorum, vt c.5.l.10. cõcludit.

Conceptus Antichristi. Primo. *Conceptus est Antichristus*, nõ ille magnus, sed præcursores eius multi, Simoniani, alii; verum nihil contra Romanam Ecclesiam hæreseon damnatricem, cuius ore Apostolico, imo vno orbis consensu fides laudata est, quia tamen de conceptu certi nihil adducit, de natiuitate tractemus.

Natiuitas Antichristi. Secundo. *Anno 86. natus est Antichristus?* Sed quis aut vbi quærendus? Non est Linus: Ille enim anno 86. iussu Saturnini Cos. Martyrio coronatus, 9. Calend. Octob. Nec Cletus: nam ille mox successit, & secunda persecutione anno 10. Domitiani, eodem quo ollæ feruentis ardorem vicit Ioannes, sanguine suo fidem Christi asseruit: Sed neque fuerant sub regno Antichristi martyres illi, qui à Nerone ad Neronem Caluum ob religionem variis mortibus animas suas seruauerunt. Domitianus igitur ipse est si tum fuit Antichristus. nam ille anno suo secundo, Christi 85. sæuire cæpit, anno 86. augere exstructis templis superstitionem. Grauissima fuit sub tæterrimo monstro persecutio, vndique sæuitum, Linus occisus, Clemẽs in exilium pulsus; & tamen hanc ipsam Ecclesiam Christi cultricem, totam in sanguine suo volutatam Antichristianam appellat, homo si verum audire volumus Antichristianissimus: Qui Domitianũ appellare non dubitaret, Dominum Deumque nostrum.

Adolescentia Antichristi. *Anno 376. adolescens ætas Antichristi.* Sed an Romana Ecclesia? Eo anno Pontifex erat Damasus, eum Hieronymus, omnes Synchroni commendant,

aut

aut si illi Antichristi, Quid Basilio, Ambrosio, Martino, cæteris Episcopis, eorumq; Ecclesiis facies? an omnes vno ictu conficies? at vnam ceruicem non habent, vna tamen fide, caritate, communione Damasum & viuum, & mortuum, & Damasi successores cum prædecessoribus complexi sunt.

Anno 636. *Vir erat Antichristus.* An Bonifacius igitur, qui anno 618. adeptus est Pontificatum, virilem togam primus, posita sæculorum bis trium prætexta sumpsit? & quodnam Bonifacii tantum facinus? an quia Phocas eum vocauit œcumenicum? sed iam id actum ante nec male, bono tamen sensu, cuius multi sunt defensores. An quia potentior cæteris? Nullo modo; inter barbarorum excursiones, exarchorum Rauennatium tyrannidem, Longobardorum crudelitatem. Auarum metum; Francorum bella ciuilia, multis cladibus afflictus est & anno 625. mortuus.

An igitur forte Honorius iam naturam ætatem illi contulit? Causam nullam video, cur illi robur hoc tribuatur. Nisi forte quia eius pontificatu Heraclius crucem dominicã recepit, Chosroam vicit, aut quia Heraclius ab Anastasio deceptus Monothelita factus est, Aut quia Arabes regnum Persicum occuparunt, & ipso anno 636. Saraceni Hierosolymam, sed nihil hæc ad Honorium, cuius laudes non historiæ prædicant modo, sed nobilis disputatio Pyrrhum inter & Maximum testimonium præbent.

Anno 711 *Erat ἐν ἀκμῇ.* Causam aueo cognoscere, illa est. Quia Iustinianus ῥινότμητος imperator illi accidit ad pedes. Vel quia Tizocopus exarchus tyrannicè agens occiditur, alia enim causa fingi non potest, nam Pontificum potentia eo tempore accisa fuit, & si humana spectes in squalore, & luctu omnia, & quidem ad annum vsque 1086. quo ἀκμὴν illam, & florem extendit propheta. *Antichristi ἀκμή.*

Nam tempora illa Constantini & sequentia luctuo-

Ecclesiæ status ab anno 700. afflictus.

ßissima fuêre. In Italiâ exarchatus tyrannicus, dissensiones aliorum, in Franciâ dissidia donec ad Carolum res deuoluta, orientis imperium Imperatoribus occisis, exoculatis, naso truncatis, exulantibus fœdissimam speciẽ habebat. Sed hoc ipsum quod supererat hæresibus multis, graui schismate infirmabatur, cætera Asiæ, Africæ, Hispaniæ, exceptis pauculis tenebant Saraceni, Germania & Septemtrio idolis seruiebat. Taceo Iconomachos, Copronymos, & ei pares, Luitprandos, Desiderios, adeo vt nunquam afflictior Ecclesiæ Romanæ status fuerit, etsi enim à Carolo Ecclesia defẽsa est, varie tamẽ deinceps iactata est. Ante imperium Caroli pene oppressa fluctibus persecutionũ, inter hostes facile duodenos eodem tempore, quorũ singuli Pontificem potentia longè superabant. Ideo alij sectarij ortum Antichristi in hęc tempora referunt, ita ordinante Deo, vt mendacia se mutuo elidant.

Antichristi ætas vergens.

Anno 1086. *Antichristi ætas vergens, Ecclesia reformata nascens.* Nascens tum primum? Vbi igitur dudum illa Ecclesia, illa tot martyrum coronis inclyta, tot virginum puritate speciosa, tam fortis in confessoribus, tam sublimis in doctoribus? tam prudens tot hæreseon victrix?

Quorsum vergebat illo anno ætas Antichristi? Annus ille felix Romanæ non modo Ecclesiæ, sed & nostræ Germaniæ fuit. Henricus enim à Saxonibus aliisque Catholicis ingenti prœlio victus, castris exutus, spoliatus profugit. Neq; sequentia tempora fuêre tam calamitosa Romanis ad annum 1376. vsque, vt non meliore fuerit conditione, quam ante, non quod persecutores defuerint, quamdiu enim erunt homines, erunt & vitia, & improbi exemplo primorum fratrum iustos prement. Tum vero felix expeditio, contra Saracenos in Syria fuit, Thessalia latinis accessit, anno 1177. libertas Ecclesiæ restituitur, Syria Pastores à Pontifice accipit, exstirpantur Albigenses.

Anno

Anno 1376. *AEtas Antichristi inclinata, Ecclesiæ reformatæ adolescentia.* Non ita res habet, anno illo sedes Pontificia Auenione iterum Romam translata est, vt Italicis bellis finem imponeret; fuitque hoc magnorum incrementorum initium. Et exinde multa regna illi adhæserunt, quamuis Græcia venerit in potestatem Turcæ, sed iam antea Romanæ Ecclesiæ aliena. *Antichristi ætas inclinata.*

Hanc ad annum 1636 producit, verum quando latior potestas Papæ, vtraque sese extendit, quam hisce sæculis? Quanta in vtroq; orbe nouo accessio sit facta, res ipsa docet; non igitur iam inclinata est, sed erecta ceruice, magno animo non in se, sed in Deo suo stat nostra Ecclesia, quanquam cum tot incrementa & ornamenta à Deo suo quotidie in se conferri experitur, non extollitur, sed dari omnia cum persecutionibus & sentit, & gaudet. Hoc enim vel primarium est electionis indicium.

Anno 1636. *decrepita ætas Antichristi, Ecclesiæ reformatæ vita.* Post annos igitur 22. viuere incipiet Ecclesia reformata, sed quænam reformata illa? Lutherana, Anabaptistana, Caluiniana? De posteriore augurium & prophetæ, nam ille Caluinista est, vix est vt credam florentiorem fore, quam nunc est. Habet illa nunc Prouincias in Germania, (verba sunt Parei de vnione & Synodo Euangelicorum cap. 5.) Palatinatum Rhenanum & Bauaricum, Bipontinatum, Hassiam, Ascaniam, Heluetiam, Rhetiam, Hollandiam, Selandiam, Frisiam, Occiduam, &c. extra Germaniam in vniuersa Gallia, Rhetia, Britannia magna, Polonia vtraq;. Lithvvania, Russia, Podollia, Transyluania, Hungaria, Bohemia, Morauia, Cœtus frequentissimos. Habent Academias Heidelbergensem, Basiliensem, Marpurgensem, Leydensem, Franeckeranã Cantabrigiensem. Oxoniensem, Sedanẽsem, &c. Habent Resp. florẽtissimas *Antichristi ætas decrepita.*

Basileam, Bremam, Tigurum, Bernam, Geneuam, &c. Habent illustres, Baronum & Comitum familias complures, Nassouiorum, Hanouiorum, Solmensium, VVitgen..einiorum, &c. Habent Principes Illustrissimos Imperii, Bipontinos, Palatinos, Anhaltinos, Hassię Landgrauium, &c. Habent Serenissimos, Dn. Iohannem Palatinum, Electoralis Palatinatus Rheni Administratorem, nec non Dn. Fridericum V. Palatinum Rheni Electorem. Habent denique inclytum & potentissimum Magnæ Britanniæ, Hyberniæ, Galliæ Regem, Dn. Iacobum VI. qui omnes doctrinam de sola spirituali manducatione corporis Christi in S. Cæna vno ore profitentur.

An Caluinistani numero augendi sunt?

Non tamẽ crescent intra 22. annos Ecclesiæ illæ reformatæ, vt coniecturâ certissima statuere fas est. Primo. Quia nõ nisi per Synodum generalẽ id fieri posse docet Pareus, at Synodus illa est τῶν ἀδυνάτων, & si forte colligatur, maior est futura discordia. Deinde Academiæ illæ inter se tanto credulitatis interuallo dispescuntur, vt non modo in vnam religionem coire non possint, sed ne odia quidem ponere. Leidensis opposita est Franeckeranæ, & Sedanensi, Haidelbergensis Basiliensi. Tertio omnia iam plena sunt schismate, & nouis hæresibus, Socinianis, Samosatenianis. Quarto, non videntur Principes, & Respublicæ Caluinianæ intra annos 22. ita inualescere posse, vt Lutheranos, & Catholicos vi armorum in suam possint cogere sententiam, plura enim Lutherani & Catholici regna possident, quam Comites & Barones numerauerit Pareus è suis. Quinto, Non videntur principes eo spectare, vt belligerentur, pacem enim vrgent, pacis, concordiæ, fraternæ caritatis & confidentiæ mutuæ nomina in ore semper habent, & scriptis: nec agere eos simulate iudicare debet eorum prophetes, nisi se demonstrauerit esse καρδιογνώστην. Sexto. Ab annis iam decem in Gallia, Rhœtia, Polonia, Russia,

multa

multa millia è Caluinismo emerserunt, & tuto se orthodoxiæ portu condiderunt, inclinat itaque non crescit illa Ecclesia. Septimo. Prophetiā oppono prophetiæ, Graserus in plagâ regiâ vaticinatur fore breui, vt omnes ministri sinceri pellantur, vel occidantur, quomodo igitur probabile tam subitum incrementum?

Anno 1641. *Antichristi mors.* Post annos itaque 37. Papa nullus, forte nec Caluinianus vllus, forte nec ipse mundus. Nobis enim arcanum Dei consilium incognitū est. Hoc monerę amice possum & debeo, periculo, sumptu, labore bellādi posse supersedere principes aduersæ religionis, non enim nisi anno 1641. morietur Pontifex & certo tum morietur. Militari itaq; stoliditate Plessæus Serenissimum Magnæ Britanniæ Monarcham hortatur; Classem instruat, nauiget Italiam, Romam exurat, Pontificem mactet, carnes edat, præmatura sunt vetuli militis consilia, nam vt vita in annum 1641. suppetat Regi Serenissimo, & Plessæo, 37. annorum bellum in Italia sustinere tres insulæ queant, merito dubitare posse videntur proceres Britanni. *Antichristi mors.*

Anno 1711. Reliquię Antichristi, & Iesuitæ perdentur, eritque finis mundi. Potest annos igitur 98. nihil eorum, quæ nunc videmus erit, ne Fredericus quidem Braubomus, qui sibi cauit, ne viuus argui de mendacio possit. O Stifeli quid ais. scin' mundum eo tempore interiturum? omnino ait, *audite*, inquit, *o reges*, &c. *Non ego, sed Dominus qualia fata canat.* & vnde nosti mundum eo anno interiturum? Ex illis quæ dixi ego, quæ non angeli, non Christus intellexit, nedum Daniel vel Ioannes, ex eo quod omnes historici errarunt, quod Spiritus S. tempora nesciuit, ex illis ista sequuntur. v. g. anni Tiberii decimus quintus, non est decimus quintus, sed quintus, mundus igitur peribit anno 1711. Augustus non egit cēsum, cum ageret cen- *Iesuitarum interitus.*

sum, annus igitur 1711. finis Mundi. Cyrinus eodem tempore Romę vrbanum Magistratum egit, & præses fuit Syriæ, annus igitur vltimus mundi est 1711. fanatica sunt hæc, contra quæ disputare est contra fornacem hiare. Hoc solum considero, nā cōsiderationem scribo. Hanouię impressa est auguris nostri prophetia, oppidum illud ante aliquot annos ampliato pomerio, aduocatis è Gallia, Belgioq; incolis cœptū est nobiliter ędificari, atq; etiā nunc, licet multa opera interrupta pendeant, extruitur, surgunt è quadro saxo duraturæ, non in 98. annos sed in multa sæcla moles, quid opus tanto sumptu iam perituro mūdo? Noua oppida non vno loco moliuntur principes, qui Caluino credunt, arces fundant, posteritati consulunt, & ecce intra annos 98. γαῖα μιχθήσεται πυρί, quid sub ipsum mundi funus, fundamenta locatis, quasi in nouum mundum æternatura? monumenta ære perennia statuitis, quæ annus 1711. & terræ motu quatiet, & ignis absumet? Obite Basileam, Bremam, & quas Pareus numerat Respublicas, & de tot millibus Caluinistarum quærite vel vnum, qui huic Caluinistæ credat, quid dico credat? Vnum postulo, qui vel attendere dignetur, qui substructiones quas incipere cogitarat, hac de causa omittat. Nemo mediocri prudentia præditus, arcem, aut è lapide sumptuosum ædificium exstruendum sibi putaret, quod certo constaret intra 98. annos funditus euertendum esse. Cur enim ludibrio suo, & noxæ posterorum expensas projiceret, quas rectissime in pauperes, aliosque vsus conferret? Cum igitur vbique inter Caluiniani dogmatis sectatores ædificationes, aliaque in spem sæculorum multorum perseuerent, certum est, nullum huic prophetæ credere. Impudens igitur postulatio, vt nos credamus, cum neminem suorum habeat assentientem.

CAPVT

CAPVT XVI.

De Bestiis Apocalypticis, ex c. 13. ad v. 11. vsque.

MAgna pars Florum Flaminiorum insumitur in capite 13. & 17. & 18. Apocalypseos exponendo. *Nam Papæ ait datum os loquens ingentia. Papæ tribuit characterem, numerum nominis, mulierem esse Romanam Ecclesiam, septem montes esse Romanos colles.* Summa omnia infanda esse Romana. Occurrendum est maledico conuitiatori, & hoc loco etiam ostendenda est, supra omnem retro sæculorum malignitatem, calumnia.

Duplex est Apoc. 13. Bestia, prima septiceps, decicornis, altera adiutrix primæ, & assentatrix bicornis. Mihi probandum est nec Decicornem esse nostrum Imperatorem, nec Bicornem esse Pontificem.

PRIMO. Imperator non est Bestia Decicornis, Nam Apoc. 13. v. 2. dicitur, *Et dedit illi Draco virtutem & potestatem suam magnam*, & vt quædam græca addunt: καὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ, *& thronum suum.* At non dedit Imperatori nostro Draco hoc est Satan virtutem δυνάμιν, sed Respublica, sed Electorum Reuerendissimum, & Serenissimum Collegium. Nam & aduersæ Religionis Principes Sacrosanctum Romanum imperium vocant. Graserus quidem *necessario affligi ab eo Ecclesiam, & plenitudinem diabolismi in eo habitare asseuerat.* Sed portentosa conuitiandi malignitate, quem etiam Serenissimus Angliæ Rex abũde refutat, cum suis Imperatorem titulis appellat. Et hoc ipso anno 1614. *liber de vnione & Synodo Euangelicorum Heidelbergæ editus* subscriptum habet; Cum gratiâ & priuilegio S. R. Imperij Vicarij. Falsum ergo quod Aretius ait: Diabolus affinxit sua ornamenta imperio. Rationem claudo, & principib. considerandum de quo illa tendant.

Imperium non est bestia Apocalyptica. Ratio 1.

Ratio 2. Secundo: v. 3. *Et vidi vnum de capitibus eius quasi occisum in mortem: & plaga mortis eius curata est: & admirata est vniuersa terra post Bestiam, & adorauerunt Draconem, qui dedit potestatem bestiæ, & adorauerunt bestiam dicentes: Quis similis est bestiæ?* Hæc in imperio non fiunt, non igitur est imperium illa Bestia. Aretius tamen occisum caput ait fuisse in Iulio Cæsare, vel Nerone, vel aliis Imperatoribus, à Longobardis, vel à Turca victis, restitutum à Vespasiano, vel Antonino vel Carolo Magno. Impia expositio, & sese euertens. Non enim adoratus diabolus in imperio, nec imperator, ob mortuum aliquem Cæsarem, & restitutum imperium. Theodosius magnus, Carolus, Othones, alii eodem crimine tenerentur.

Ratio 3. Tertio. v. 8. *Et adorauerunt eam omnes qui inhabitant terram.* At *non omnes adorant Imperatorem, non igitur ille est Bestia.* Quantæ enim terræ, & reges sceptro Romano libera & sunt, & semper fuerut? quot arma à Persis, Gothis, Hunnis, VVandalis, Longobardis, Nortmannis, Saracenis, Turcis imperium afflixerunt, profecto quod tanto furore oppugnarunt, ex parte obtriuerunt, non adorarunt.

Ratio 4. Quarto. In toto hoc genere conuitiandi fœde inter se dissident, Illyricus aliique cum imperio Romano Turcicum coniungunt alii adorationem illam ingenti principum contumelia exponunt. Aretius in Apoc. 13. 7. *Admirari Bestiam est imperij successum, & felicitatem admirari, Augustum, sanctum, sacrosanctum, immortale illud prædicantes.* Pergit Aretius: *Secundo Adorarent Draconem, hoc est, diabolum in eius personâ colunt, & adorant: Draco enim diabolus est, quia sua ornamenta affingit imperio.*

Fatuitas aduersariorum. En quo vos odia inconsiderate professa propellunt? Papa vobis est Antichristus, bestia secunda, hoc vt miseris esse verum appareat, primam bestiam secunda nequiorem decuplo, Imperium Romanum esse statui-

tuitis, adeo effrontes, adeo temerarii, vt cum secundam bestiam primæ ancillantem occidendam, tormentis lacerandam, exurendam dictetis, primam maiore pœnâ dignam non animaduertatis. Deinde vestros quoque principes facitis Bestiæ adoratores, illi enim voce & diplomatis suis imperium sanctũ, augustum, &c. nominant: Pergit ille: *Vide quid sit colere diabolum, hoc est, admirari nimium, maiestatem, & felicitatem Imperii Romani*, de reformato etiam imperio agere profitetur v. 8. & ad v. 2. in margine notat. *Diabolus Romani imperii σύνεργος*. Denique adiungit, *eos qui hæc faciunt, non esse scriptos in libro vitæ agni.* An igitur principes comitesq; vestri ô Collegæ Antibellarminiani, vestro iudicio, *scripti non sunt in libro vitæ agni?* An omnes subditos imperii excluditis cœlo? nam eo titulo Imperium honorant, quem Idololatriam, hoc est, diaboli cultum Collega vester in Heluetia, vel vrbe Helueticæ confœderationis tanto studio, tanto odio denarrat? Sentire vos cum eo dubitare non debeo, quandoquidẽ tantam inter vos dogmatum consensionem esse asseritis, deinde alia ratione nocere Papæ non potestis, nisi per latus imperii Romani eum configatis, neq; mirum, aut nouum est, si Papam pessundare liceat, paratos vos esse nauem qua nauigatis, perforare, Scio quo vos Consistorialis violentia trahat. Hæc alterius disputationis sunt, quæstionem vnicam nunc propono. Disputatio aphoristica contra Bellarminum excusa est Heidelbergæ, typis Ioannis Lancellotti Academiæ Typographi, cui subscriptum in hac verba: *Cum priuilegio. S. Romani imperii Vicarii*. An vestra est hæc, an typographi idolomania? nam *sanctum dicere Imperium, est diabolum colere, adorare draconem*, vt vestri docent. An forte Imperium Romanum, cum habet vicarium caput, est sanctũ, cum verò primarium, proprium, & sui nominis, est profanum? in quo vt ait Graserus sit plenitudo diabolismi?

Prædicantes perduelles imperio.

Imperium Satanæ ascribunt. Ludibrium debetis, non Turcis modo, & Persis, sed Francis, Italis, Hispanis, Polonis, cum vestrum imperium Satanę auctori transscribitis. Multi vestrum in eo adlaborarũt, vt ostenderent, translationẽ imperii à Pontifice factam non esse, non confirmationem, non coronationem, nulla ornamenta accipere à Sacerdote Romano, & cur obsecro? Videte & doctrinæ, & conuitii portentosam, Imperijq; legib. vindicandã malitiam, *Diabolus* (inquit Benedictus Aretius collega vester) *sua ornamenta affingit imperio, Diabolus Romani Imperii* σύνεργος *cooperator, adiutor.* Tãti erat negare cõmunionem Papæ, vt ornamenta tribuerentur Diabolo? Satis est, abunde est, odium sacerdotii Apostolici, amor est dæmonis. Horresco referens. In hoc laborarunt tam multa scriptorum vestrorum ingenia, vt Imperiũ omni iurisdictioni, quam vetustas dedit Pontifici subducerent, non vt libera esset, & omni modo exlex illa maiestas, sed Satanæ auctoraretur. Vt excluderetur Vicarius Christi, Seruus seruorum Dei. σύνεργος esset, & ornator, ille fratrum accusator, Christi Aduersarius, Dœmon. Tam odiosa Roma vt diadema malitis è tartaro? Summũ itaq; & hoc loco fastigium tenet impietas. Tantum progressa odio veteris Ecclesiæ, vt in eius locum Draconem tartareum cooptarit, regna illi tribuat. Quid superest, aliud quam vt credãt dicenti: *mea sunt omnia regna mundi*, & promittenti: *Hæc omnia dabo vobis, si cadentes adoraueritis me*, & conditionem spe regni expleant, cadantq; & adorent diabolũ, nihil non illi facient, quib. Imperiũ Romanũ appellare Sanctum, est colere diabolum. Et si Sanctum dicere Imperium est dœmonilatria, estne peccatum libro suo subscribere, q̃ fecit noster pseudopropheta, anno

MatVresCentIs sponsæ DIVæ?

An Imperium Augustum. Iterum quæro: si idolomania est *Augustum dicere Imperium Romanũ*, vt vult Aretius Caluinista, anne eo se crimi-

crimine obstrinxerit Beza, dum sub AVGVSTO nomine Elisabethæ Britannicæ, noui testamenti versionem edere se scribit. An nomen AVGVSTI in Augustali imperio est cultus dœmonum, in ditione vnius insulæ ὑποκοριστικὸν, & fidelitatis insigne?

Tertio quæro. Anne Casparus VVaserus, qui plagã Regiam Graseri Serenissimo regi Britanniarũ venditauit, si idololatra, nam in illã præfatione, ait: Tertium fuit Maiestatis tuæ auctoritas, quæ & in ipso summa, ac PLANE DIVINA residet, & talis iam olim residebat in IMMENSÆ MAGNITVDINIS, & CLARITVDINIS prosatorib. tuis, &c. Pergit.

Quorum consideratio omnium, auctorem huiusce operis iustissime mouit, & permouit, vt ad SACRATISSIMI patrocinij, & CELSISSIMI præsidij Maiestatis tuæ ARAM istas lucubrationes quasi suspenderet? Nonne Maiestatis auctoritas plane diuina, Immẽsa magnitudo, & claritudo, sacratissimum patrociniũ Celsissimum præsidium, maxime cum ara additur, in quâ flamines VVaserus & Graserus adulationes sacrificant, nonne inquam defendunt ista verba tam ampla Germanos Principes, cum vocant Romanum Imperium SANCTVM? Cum Pareus l. de vnione, & Synodo Euangelicorũ, Serenissimum magnæ Britanniæ Monarcham vocet D. Iacobum VI. Si ille DIVVS, cur non Imperator AVGVSTVS. Illud enim D. Diuum non Doctorem significat.

Quorsum ista tendant vel cœcus viderit, vtinã non interitu suo Germania nostra discat. Omnes reges sunt sacrosancti, coluntur à suis, in admiratione sunt, eorum læsa maiestas suppliciis rebellium sese vlciscitur, an solum Imperatorem sacrosanctum dicere, colere, mirari idololatria est? an solum hoc regnũ est diabolicum? Quid aliud prophetæ isti agunt quam vt miseram Germaniam fraterno collisam duello, seruitio & libidini tyranni Mahometani contradant.

CAPVT

CAPVT XVII.

De iisdem Bestiis, ex cap. 13. apoc. â Versu 11.

DE alterâ bestiâ agitur à v. 11. ad finẽ capitis, quam Pontificem seu, Pontificatum esse vult noster propheta. Spiritus Sanctus autem qui reserauit ora Ioannis Euangelistæ, ea symbola adiunxit vtriq; Bestiæ, quibus certo constet nec illam esse Imperatorem, nec hanc pontificem.

Secunda bestia non est pontifex.

Ratio 1. Ratio prima. Secunda bestia *omnem potestatem primæ facit in conspectu eius*, v. 12. Eam potestatem non facit Papa coram Imperatore, non igitur est altera bestia, nec prior est Imperator.

Ratio 2. Ratio secunda. *Et fecit terram, & habitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis.* Pontifex hoc non fecit, non ergo est altera bestia. Respondet Graserus: *Pontificem retinere homines in cultu prioris bestiæ, etsi illa iam non sit.* Respondeo vicissim, tam clarum esse hoc mendacium, quam clarum est meridie liquere. Est enim adhuc Imperium Romanum, omnesq; principes eius se ita nominant, & nominantur ab omnibus. Respondeo deinde, Adorari bestiam, non quæ non est, sed quæ reuera est, id enim Spiritus sanctus spiritui mendaci opponit, *cuius*, inquit, *curata est plaga mortis.*

Respondeo tertio, multum debere principes imperii, etiam suorum iudicio, Pontifici, qui tam sedulo auctoritatem illis conciliare conatur. Nam *facere vt bestia adoretur, Nihil aliud esse* vult Aretius, *quã velle imperium sacrosanctum, augustum, & venerabile esse, vti olim sub gentilibus fuit*, hoc vult Pontifex, & nos omnes volumus, non tamen vel Pontifex vel nos cæcitatem gentilium, vel imperatorum ἀποθεώσεις inducimus. Si male nos, qui Imperium sacrosanctum,

Prædicantes imperii proditores.

augu-

augustum, venerabile esse volumus, si ideo antichristiani sumus, & morti destinamur, ab iis qui sub eodem Imperio viuunt, quid merentur illi qui augustum, sacrosanctum, venerabile esse nolunt? qui humile, profanum, contemptibile esse volunt? tanto odio Germano-Romanæ Maiestatis, vt extrema exempla meritos velint, si qui Imperio bene volunt? an alia vota in Mahometanorum Moscheis concipi, nũcuparique putamus? at maiore scelere nostri Caluino-Turcæ; quia ciues, quia iuramenti sanctitate Imperio deuincti.

Non possum hoc loco ridiculam Illyrici præterire delirationem, facere potestatem coram bestiâ, vt ipsa adoretur, interpretatur, *Exercere potestatem inuitis Imperatoribus, subÿcere Imperatores.*

Ratio tertia. *Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret, de cœlo descendere in terram in conspectu hominum.* v. 13. Nemo pontificum ignis è cœlo deuocatione Imperatoribus adorationem conciliauit, non igitur Papa est bestia secunda, vel Imperator prima. Quis enim Pontifex quenquam coegit titulum Imperii adorare? si adorare est dicere *augustum, inuictum*, etiam Britanni regni titulum adorat VVasetus, vocat enim *Augustissima auspica, ipsum regem Inuictum ὑπερεξοχώτατον.* Ratio 3.

Ratio quarta v. 14. *Secunda bestia dicit, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit.* Quam imaginem Imperatoris fieri, & adorari iussit pontifex, quam illi vitam dedit? Imaginem bestiæ formam reipublicæ Illyricus, Bullam auream Caroli quarti, eneruem imperii vmbram, alii aliud interpretantur. Si ita res habet, non igitur iam viuum, & verum Imperium habemus sed vmbraticos Magistratus. Deinde Imago est bestiæ quæ reuixit, viuæ ergo est imago. Itaque Aretius, Imaginem bestiæ, ait esse Imperatorem electum, vitam vero confirmationem Ratio 4.

esse

esse. Sed blaspheme, & stulte, secunda enim bestia, & bestiam & imaginem simul adorari cogit, & imago bestiæ, & posterior ipsa Bestia, deinde imago viuens & garrula, non est ipsa bestia, sed imago bestiæ, nouum enim erat loqui imaginem, nam bestia iam ante blasphemias elocuta fuerat, in Deũ, & in sanctos, v. 5.

Ratio 5. Ratio quinta. Bestia secunda faciet omnes habere characterem primæ bestiæ, aut nomen, aut numerũ nominis, hæc Pontifex nõ præstitit Imperatori, nõ ille ergo secunda, nec hic est prima bestia. Quis .n. vetitus est emere vel vendere sine charactere Imperatorio? Dum characterem quærimus, Bullingero est chrisma, Chytręo iuramentum fidelitatis, Aretio vtrunq; etiã Doctorum & Magistrorum dum inaugurantur. Illyricus extendit ad rasuram & characterẽ ordinis. Graserus characterem ordinis, exorcismum, sacramẽtum confirmationis. Sutliuius communem viuendi modum Papistarum, elidunt illa se mutuo, & à nostris sæpe refutata sunt, mihi satis est insignem sectariorum in conuitiando ostendere stabilitatem, nihil enim contra Pontificem omnia illa faciunt, quod in hunc modum irrefragabili ἀποδείξει demonstro.

Sectarii magis imperium, quam pontificatum oppugnant. Quinq; sunt quæ Euangelista, & propheta Ioannes bestiæ Symbola ꝑponit, Imago bestiæ, vita imaginis, character bestiæ, nomẽ bestiæ, numerus nominis bestiæ. Tria posteriora omnes Pontifici attribuunt, maxime noster præstigiator. Vt probet eũ esse Antichristum, mira nomina fingunt, & refingunt, quæ apud Lutherum, Chytreum, Graserũ, & nostrum quẽ nũc refutamus prophetam inueniũtur, nam de charactere totum librum sextũ implet. Characterẽ bestiæ ait esse nomen eius hoc proprium, vel numeris signatum, vel ænigmaticum, tædet nugarum, ita ad explicandum argumẽtum procedo. Antichristus ille est, cuius imago character, nomẽ, numerus nominis in Apocalypsi describitur, sed illa non sunt Pontificis, non igitur est

Ponti-

Pontifex Antichristus. Propositio cōtrouersa non est, vtraq; .n. pars illa Antichristo tribuit. Assumptio ꝓbatur. Imago character, nomē, numer⁹ nominis sunt primæ bestiæ, seu primariæ, non secundę, quę primæ ancillatur, sed iuxta conuitia sectariorum, secunda est Pontifex, non prima, Imperium .n. aiunt Primam esse bestiam, non ergo character, nomen, numerus nominis ad Pontificem, sed ad Imperatorem, & Principes Imperij pertinent, si illorum vera est hęresis. Nunc itaq; probandū est, hæc primæ esse, nō secundæ bestię.

PRIMO. Contextus ipse docet, eiusdem bestiæ esse imaginem, cuius est character, nomē, numerus nominis: Imago est primæ bestiæ. *Dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij & vixit.* v. 14. Pergit v. 15. *Et datum est illi, vt daret spiritum imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ: & faciat, vt quicunq; non adorauerint imaginem bestiæ occidantur.* Nulla igitur cōtrouersia est, de Imagine, illa enim est eius bestiæ, quæ habet plagam gladij & vixit. Sed eiusdem bestiæ est character, & nomen, quod probo ex vers. 16. *Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.* Et v. 17. Et ne quis posit emere, *aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.* Non dicitur secunda bestia id agere vt imago, vel character suus habeatur, sed bestię, primæ scilicet, nec dicit, Numerum nominis sui, sed numerum nominis eius.

SECVNDO. C. 14. v. 9. 10. 11. *Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei,* &c. *Nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit numerum nominis eius,*

Clarius Spiritus Sanctus dicere non potuit, eiusdem bestiæ imaginem esse, & Characterem, imago prioris est, ergo & character, prior est imperium ex seditiosa sectariorum sententia. Character ergo est imperii, non pontificatus, omnis ergo calumniarum & conuitiorum mephitis in Augustos, & Electores Imperii, principesque exhalat, quam merito subditi omnes abominamur, liber autem est pontifex.

Tertio. c. 15. 2. *Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos qui vicerunt bestiam, & imaginem bestiæ, & numerum nominis eius, stantes supra mare vitreum, &c.* Non alius bestiæ est imago, & alius numerus nominis, Imago non est bestiæ pontificiæ, ex consensu hostium Pontificis, nec igitur numerus nominis, itaq; vanitas tot nominum in pontifices confictorum Principes petit, ad eos enim primam bestiam pertinere ingrati & flagitiosi subditi Caluinistæ calumniantur.

Quarto, c. 16. 2. Pœna reos, secuta idem iudicat. *Et factum est vulnus sæuum & pessimum in homines, qui habebant Characterem bestiæ; & in eos qui adorauerunt imaginem eius.* Cuius imaginem adorauerunt? Eius, cuius erat, & Character.

Quinto. c 19. 20. *Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius.* Pseudopropheta est secunda bestia, minor ipsa, quæ simpliciter bestia dicitur, ideo nec secunda dici potest Pontifex esse, ne quidem peruicaci malitia sectariorum, cum enim extollere illum dicant, sese supra omne σέβασμα, quomodo sui negligens hoc agit, vt diuinitatis opinionem primæ bestiæ conciliet?

Nequicquam igitur tantis furoribus, tanto apparatu, Character, nomen, numerus nominis iactatur in Romanam Ecclesiem, frustra bella & cruentas cædes ma-

machinantur, non est illa, quam insequuntur fera fragili carni; hoc est, clero, vt Graserus interpretatur, quærunt illidere dentem, solido autem infringunt, hoc est, eodem interprete, Laicis. Miseratione potius, quam insectatione, vel risu digna, multorum Germanorum, etiam principum simplicitas, qui cum numerum nominis 666. in voculâ aliquâ, à suis inuentũ audirét, vt רדמויית; vt λατεῖνος, aliaue, continuo ταχυ-στοχίαν admirati, imperioso ostracismo à Christiana republica omnes pontificios exulare iusserunt; ignari illa subtilitate Politicum Magistratum, Imperatorem, & nobilissimos imperii dynastas, tanquam bestiam, in stagnum sulphuris, & ignis abiici.

Cap. XVIII.

De Babylone meretrice magnâ.

DEscribitur illa c. 17. Apocalypsis, & eius interitus cap. 18. *Hanc omnibus paginis propheta nobis ingeminat, esse Romam, quæ regnum habeat super reges, cuius septem sunt montes*, eius argumenta non refuto, quia nulla habet. Quæ Babylon.

Duplex sententia, & interpretatio. Prima eorum, qui indefinitè nomine bestiæ, & mulieris, totum corpus impiorum, ciuitatem diaboli, seu Rempublicam malignantium intelligunt, quæ impias leges Regibus, omnibusq; mundi amatoribus imponit, omnib. illecebris in fraudem illicit. ita Aretus, Haimo, Beda, nec nemo ex sectariis, vt Velenus, interdum Aretius, interdum Illyricus. Quia scilicet, c. 18. 24. *In ea sanguis prophetarum & sanctorum inuentus est; & omnium qui interfecti sunt in terra.*

Aliorum interpretatio est, de certa aliqua vrbe sermonem esse sed hi diuisi quadrifariam. Nonnulli veram Babylonem arbitrantur, non illam veterem, sed nouam, non procul vetere exstructam, alii Constan-

tinopolin seu Romam nouam, alii Romam antiquam sed dupliciter. Vel illam qualis illo tempore erat persecutrix, & impia, & futura est olim tẽpore Antichristi, sublato sacrificio, viduata pastore suo. Vel illam quæ patrum fuit, & nostro tempore est, Christianam, quæ non omnium, sed multorum est sectariorum huius temporis, sed diuersa tamen explicatione. Nonnulli enim certo sibi id persuadere se dicunt, alii sola coniectura, & probabilitate quadam se contentos affirmãt. Deniq; magna pars vrbem illam interpretatur Hierosolymam, vrbem *in quâ Dominus crucifixus est*.

In tanta interpretationum varietate hoc solum certissimum est, non posse certi quicquam contra Ecclesiam Romanam constitui, nec fidei articulum ex re obscurissima Ecclesiæ proponi.

Deinde si Roma est, non est Ecclesia Romana, quæ hoc tempore oppressa persecutionibus, nec potentiam habebat, nec delicias, at noster calumniator, iam tum, tempore Petri cæpisse vult, de quo supra actũ est.

Tertio. Plura sunt quæ suadeãt Ierusalem Babylonem illam esse. Nam illam Antichristi Regiam fore, veteres & recentiores tradunt, quæ autem potentior illa, in qua ipsa bestia residet?

Ierusalem est illa ciuitas.

Firmamentum vero in ipsa scriptura habet illa sententia. Namque c. 11. 8. *Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.* Dicitur Sodoma & Ægyptus, Is. 1. *principes Sodomorum, & populus Gomorrhæ*. In plateâ illius ciuitatis iacebunt, in qua Dominus est mortuus, non Romæ igitur, sed Hierosolymis, ibi enim crucifixus est, de ciuitate agitur, non de Magistratu, nam si de Magistratu ageretur, iam testes illos Imperium occideret, non Pontifex. Certius testimonium nec ipsa contumacia postulare potest, cum ipsi qui Romanę vrbis inimici sunt, hanc ciuitatem magnam, c. 11. & illam c. 17. eandem esse fateantur. Cla-

Clarissime ex c.18.24. *Et in ea sanguis prophetarum, & sanctorum inuentus est; & omnium qui interfecti sunt in terra.* Hinc Beda concludit; non esse vnam vrbem aliquam, sed impiorum rempublicã, in ea enim sanguis omnium in terra interfectorum. Si tamen vni ciuitati tribuendus est ille sanguinum reatus, obnoxiam inueniemus potius Ierosolymam quam Romã, Nam alluditur ad verba Christi: *Ierusalem Ierusalem quæ occidis prophetas,* &c. & venturum ait super Ierusalem omnem sanguinem occisorum à iusto Abel, &c. Ipsa iam antiqua persecutrix, iam olim ebria sanguine sanctorum, impia ad Dauidem vsque, & à sanctitate postmodum deficiens, Babylonem, Ægyptum, Samariam, Sodomam & Gomorrham exuperauit. Rea ergo illa sanguinis est ciuitas, quæ iam olim cum nulla Roma esset, in sanctos sæuiebat. Quę enim veritas dici permittit, Linum, Cletum, Clementem, cęteros Pontifices martyres prophetarum sanguinem fudisse?

Vtcunq; res habeat, mulier non est ciuitas Romana Christiana, illa enim patiebatur, non inferebat persecutionem, at noster iam tum viuentes sanctos martyres in album Antichristianorum retulit.

CAPVT XIX.

De septem montibus.

VNica causa, cur Roma putetur ciuitas illa, adfertur, quia septicollis est, inuictam, claram, cui cõtradici non debeat se inuenisse clamant aduersarii, & multi ita opinantur, argumentum tamen illud infirmum est. *Septem montes.*

Nam primo etiam Constantinopolis ἑπτάλοφος est, siue septicollis, adeo vt merito dubitet Aretas Nouæne, an Veteris Romæ septem illi montes sint, vtraque enim sibi muro septem circũdedit arces, vtraq; septi-

montium, vt de Constantinopoli testatur Leonardus Archiepiscopus Mitylenæus in Epist. ad Pontificem, incertum igitur hoc argumentum.

Montes septem illi sunt. Quirinalis, Exquilinus, Cœlius, Auentinus, Palatinus, Viminalis, Tarpeius, seu Capitolinus, pro quo alii Ianiculum habent: Hortulorum colles & Vaticanus omitti solent. Verum totidem montes numero, celebritate vero, & mysteriis nobiliores habet aliud septimontium Orientale, ipsa Domini sui sanguine conspersa Ierusalem, non igitur septem illa capita esse septem Romanos montes hactenus probatum est.

Hierusalem est septimõtium, Sion.

Mons primus omnium nobilissimus, Capitolio multo celebratior, mons Sion, in quo Palatium Dauidis, & horti regii Sion illa typus Ecclesiæ, figura cælestis patriæ, Sion tamen quem ædificatum in sanguinibus Dominus abiecit, vt futurum dixerat Michæas, & deplorat Ieremias.

Meria.

Secundus mons iam olim sanctus מוריה, Mons visionis, Isaaci sacrificio destinatus, mons sanctitatis, vbi Dominus Domini, vbi Dominus ipse in templo sancto suo apparuit.

Rupes eminens.

Tertius, Rupes eminens à Psephina turri, ad montem vsque Sion, super quem murus occidentalis ædificatus erat, ingens mons lateri vrbis occidentali prætensus, profunda valle à monte Gione.

Acra.

Quartus mons Acra, de quo Iosephus l. 13. antiq. c. 9. & l. 6. belli c. 6. 7. Olim monte templi altior fuit, Simon Machabæus triennii labore humiliorem fecit, habuit etiam præsidium Macedonicum priscis temporibus, ab Antiocho nobili constitutum.

Bezetha.

Quintus mons crescente multitudine in vrbem inclusus est, frequentibus sed plebeis ædificiis habitatus, Ioseph. l. 6. belli ca. 6. olim in eo castrum Assyriorum fuerat. Bezetha dictus est.

Sextus mons, Baris, sed Petra alta, in qua arx Antonia,

tonia, palatium Pontificum, vsque ad Herodem, qui regiam in ea construxit.

Septimus & omnium minimus, Mons in quo olim Palatium Machabæorum fuerat, altum tamen fuisse constat, quod ex eo in vniuersam ciuitatem & templum prospectus esset, vnde lis inter sacerdotes, & Agrippam, cuius ex palatio in templum prospectus erat. 1. Mach. c. 13. dicitur mons templi. *Mons templi.*

Hi igitur septem sunt Solymorum montes, seu arces mauis dicere, Collibus Romanis maiores, historiis, mysteriis, sanctitate, nobiles, Apostolis, & Ecclesiis illis notissimi. Deinde vero & abiurata, vel contaminata religione ingẽtibus sceleribus infames. Septem, inquam, sunt montes & plures non sunt, nisi quis vnius verbi gratia Sionis duos vertices numerare velit, quod si Romanis in montibus faceret iam plures septenis reperiret. Nulla igitur est ex septem montibus pro Roma demonstratio, cum sit in oriente aliud septimontium, ciuitas magna vbi Dominus noster crucifixus est.

Vt vero omnino septenos montes ad Ierusalem pertinere posse cognoscamus, hoc insuper addam. In circuitu etiam vrbis illius septem fuisse montes, omnes in scriptura, historiisq; nobiles. Ad septentrionem mons Caluariæ, vbi salutem Dominus noster operatus est, alius deinde dictus mons septemtrionalis in quo castra Pompei constitere (nam Colliculus Gareb montis nomine dignus non est.) Tertius, ad orientem mons scandali, in quo fanum Chamos. Quartus in eadem plaga mons oliueti. Quintus ab hoc non lõge dissitus, Mons offensionis in quo fanũ Melchom, cuius vallis, inferorum typus, Gehenna. Sextus Mons Eroge, ἐρωγὴ Ios. 15. Terminus Beniamiticæ, & Iudææ Tribuum, ex altera partē incumbens Gehennæ. Ad septentrionem maximus, dictus Gion, nec plures in circuitu eius quam septem illi, hi enim ἀμεσος &

Septem circa vrbem.

Mons Caluariæ.

Mons Septentrionalis.

Mons Scandali

Mons oliueti

Mons offensionis.

Mons Eroge.

Mons Gion.

 iun-

iunctim septimonium suum septenis verticibus cingunt. Habet igitur ciuitas illa extra intraque septem colles, vt ratio nulla sit cur ea præterita Romam imperamus. At dices: Romani montes notiores? An quia noti illi, ideo S. Spiritus in libro obscurissimo non potuit signare ignobiliores? sed tamen vnde notiores? an quia nobis, qui pueri Romanas historias docemur notiores? Illi Hierosolymorum montes multo erant Ioanni notiores, vt qui in illis versatus, & notus, Ecclesiis etiam Asiaticis, ad quas scribit, multo notiores, latine fere illi nesciebant, vernacula illis lingua erat, Græca vel Syra, Hierosolymam sæpe adierant, lectione didicerant, nō enim Varronis antiquitates, & Romanos colles, sed sacras literas scrutabantur. delirat itaq; Graserus cum ait septem montes esse gemmam, quæ sua luce ostendat Romam. Quod nonnulli obiiciunt, Hierosolymam eâ tempestate nō fuisse, ab illis ipsis & collegis soluitur, de eâ enim quæ futura est loquitur, temporum vsitata in propheticis sermonibus commutatione. Nam cap. 18. eam perire aspicit, quæ necdum floruerat.

CAPVT XX.

Ostenditur alio modo ad Romanam Ecclesiam non pertinere illam mulierem.

Ratio I. Romana Ecclesia se ad persecutionem praparat.

PRimo. Verba mulieris ca. 18. 7. plenâ malitiæ sunt, & confidentiæ. Quia *in corde suo dicit: Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.* Non sunt ista Ecclesiæ Romanæ. Illa enim tot persecutionibus afflictata, tot martyriis insignis diceret: *Et luctum non videbo*? Credit illa cum venerit Antichristus, omni externo se splendore, quo nunc tabida inuidentium corda perurit, spoliandam fore, diuitias & li-

& libertatem auferenda, alumnos suos per gladios & rogum ituros, alios deficiente constantia fidem perdituros, venturam *in se tribulationem qualis non fuit ab initio mundi*, hæc quæ nunc multos annos experimur, scimus præludia esse maximarum calamitatum, & tormentorum, quæ vel in nostra, vel posterorum capita expetent. Abest igitur illa confidentia, etiam ab illa Ecclesia, aduersus quam inferi non præualebunt.

Occurrunt aduersarii; *Negat fidem suam perituram, igitur dicit: Sedeo Regina, &c.* Futile cauillum. Qui πληροφορίαν enim Caluinianam assidue iactant, sic argumentari non possunt, si enim singulæ Caluinistarum animæ dicunt *in corde* suo, *non deficiet* fides mea, nec huius iactantiæ in illos culpa confertur, cur sine crimine promissiones ore dominico sibi datas non queat agnoscere pontifex? Credit Pontifex Ecclesiam suam tot iactatam malis non interituram, credere se de se singuli asserunt Caluinistæ, cur hoc in illis fides est, in pontifice superbia? & tanta superbia quæ tam immania supplicia trahat, vt Pareus censeat, *nullum in nos vel iniustum fore, vel nimium cruciamentum*?

Secundo Bestiam cap. 17. seu Draconum aiunt esse Imperium Romanum, cui mulier, hoc est, Ecclesia Romana inequitet, eamque bestiæ & meretricis esse connexionem, vt si bestia non sit Imperium, mulier etiam non sit Ecclesia Romana, eam enim Imperium arripere, Augustis insultare fingunt, at contra: Bestia non est imperium, nec mulier ergo est Ecclesia Romana, calumniam itaque in auctores retorquet, capit. 17. v. 8. Ioannes, *Bestia quam vidisti, fuit, & iam non est.* *Ratio 2.*

Imperium vero erat tempore scriptæ Apocalypseos, & quidem in Domitiano, valde sæuum, nec tum inequitabat, sed *Caluo seruibat Roma Neroni.* Taceo quod an principibus dissimulandum

nis in impudentia spes est? Tam magna est illa impudentia, vt hactenus in auctore suo steterit, nec vllum memini legisse, qui primæuæ illius integritatis Ecclesiam Bestiæ crudelitati magnâ parte impensam, dicere ausus fuerit, habuisse bestiam ὑποζύγιον portatricē, adiutricem. Monstra illa sunt & deliria, non hominum disputationes.

Quarto. Omnes omnium interpretationes aduersariorum sese implicant, magnoq; diuinæ prouidentiæ factum est consilio, vt quocunq; tortuosos calumniarum, & suspicionum giros agunt, repellantur. Ecce enim sit bestia Imperium Romanum, sit mulier Roma Pontificia, quid decem reges? Illi potestatem bestiæ tradent, hoc est, Imperatori, & pugnabunt cum agno, & agnus vincet illos odient fornicariam, & desolatam eam facient, & carnes eius commanducabunt, & ipsam igni concremabunt. Quid noster hic prophetes aget? aut insanit homo, aut versus facit, imo & insanit, & versus facit.

Dalmata, inquit, *& Englandus, Francus Germanus*
& Hister.
Hi venient Romam dilaniare suam.
Quid facient Italus, Lusitanus? quid nisi plangent,
Emptricem mercis disperijsse suæ?

Propheta suos principes damnat.

Hi igitur reges dilaniabunt Romam, at ijdem potestatē suam bestiæ tradēt, tuo ergo iudicio bestiarij reges sunt, deinde illi ipsi cum Agno pugnabunt, impij ergo reges, non igitur profiteri se possunt inimicos nostros ex tuis prophetijs, nisi & cum Agno pugnent. Deniq; Agnus vincet illos, ex tuâ igitur sententiâ peribunt in æternum, sic enim l. 3. c. 3. argumentaris, *Nam si Constantinus, & illi successores, ab Agno victi: periere ergo in æternum.* Si ergo Dalmata & Englandus, Francus, Germanus, & Hister dilaniant, pugnabunt igitur cum Agno, vincentur ab Agno, peribunt in æternum.

Non defenditur efficacius bona causa Catholicorum, non possunt manifestiore contumelia traduci principes, qui Catholicis non credunt, nam si profiteantur se odisse fornicariam, & ad eius lanienam tendere, necesse est vt fateantur se cum Agno pugnare. Eadem enim authentica veritatis, odium fornicariæ, & ὠμοφαγία illis tribuitur, quâ cum agno prolium, & quâ peribunt, clades. Constituamus Plessæi consilium militis Englandum amplecti, vincetur ab Agno, *quoniam Dominus Dominorum est, & rex regum, & qui cum illo sunt, vocati, & electi, & fideles.*

Concludam & hoc caput, cum ostendero portentosam hæresin, longo circuitu prophetandi, tandem sui & suorum esse damnatricem, neque vnquam fuisse aut futuros esse arbitror adeo αὐτοκρίτους, quam sunt numerorum Apocalypticorum calculatores. Progressus ille est. odium sedis apostolicæ ex inuidia, querela de vitiis cleri, communis error, ordini delicta ascribens, non hominibus, omnium horum exaggeratio, opum Ecclesiasticarum cupido: humana ista, & vsitata sunt peccata. Grandia quæ sequuntur, Pontificem iudicare Antichristum, & bestiam, se electos, vt hoc probetur, Imperatorem cum suis primam bestiam dicere, secunda multis modis peiorem. Tandem suos reges, de quibus canunt:

Rex inuicte noui, decus admirabile sæcli
Et quo nil maius lustrat in orbe dies.

(Ita enim vates noster appellat magnæ Britanniæ Regem) suos illos reges Antichristianos faciunt, dum prædicunt futurum vt potestatem suam bestiæ tradant, cum agno pugnent, vincantur, pereant in æternum. Iustus es Domine Deus, & magna tua iudicia, qui maledicta in auctorem retorques, & calumnias occulto lapsu in sese reuolui permittis, vt cum nos accusant, de se fateantur.

Cap.

CAPVT XXI.

Vtilitas huiusce considerationis.

Gaudete mecum, & laudate Deum, quotquot estis Christiani, quotquot de religione, quæ prima fuit, Christiani. Liceat mihi verba ab inimico vestro vanissime iactata, in laudatione vestra & gratulatione vsurpare. Quæcunque vos hæresis infestat, sua iam se mole opprimit, & in propria monstrositate spectatur. Antichristianos nos vocant, sed conuitium hæretici, tessera est orthodoxiæ. Paulum quintum vocant Antichristum, gaude serue Dei, & serue seruorum Dei, tam virulenta calumnia apostolatus tui insigne est. Beatus es, te vocat Antichristum, qui de suis principibus fassus est. In te odium inimici, quæ contulit opprobria, eadem in suos iamdudum dixit in considerantia delirantis. Collegas tuos respice, martyrio claros, communione totius orbis honoratos, eodem censu repositos, eâdem tabulâ proscriptos. Omnes Romæ antistites, Antichristianismi insimulat, atque in hos tandem versus non poetico, sed hæretico furore prorumpit. l. 5. c. 3.

Conuitia hæreticorum laus est Christianorum.

Tres & triginta primi retulere coronam
Romæ pontifices, æmula turba Dei.
Si volitans rumor nescit committere falsum;
Martyra si mala crux, non bona causa facit.
Sinceros, prauos, Christi de nomine dictos,
Diluuium quoddam sanguinis abstulerit.

Calumnia in martyres.

Idcirco in Apocalypsi scribitur Ecclesiis Asianis: quia iam tunc parum frugis in cæteris, Apoc. 3. 19. ac præsertim in Romanâ, Antichristo iam nascente, &c. Cathedra Petri iam typho superbiæ erat inflata. Martyres igitur illi iudicio prophetæ, non erant martyres, sed *æmula turba Dei*, ideo merito occisi.

Gaudete mecum, & laudate Deum, quotquot estis Christiani. Martyribus illis nos consociat accusator, & martyrum Collegis aliarum Ecclesiarum Episcopis, & priuatis. Vocet antichristianos, bestiales, babylonios, meretricios, fingat quæ ipsa calumnia nesciat, dicat quæ spurcities cohorrescat, nostram & martyrum ne disiungat causam. Audire hæc cũ Lino, Cleto, Clemente delectat, etsi nos malignitas sycophantæ contristet. Simus Antichristiani, Babylonii, sed quales qui pro Christo gloriosum sanguinem fuderũt. Qui martyres accusat, omnem sibi excusationem præscidit. Magna securitas viæ, quâ tot animæ tuto iuerunt. Accusat nos is cui nemo, nemo ne suorũ quidem credit, idem accusat eos, quos Domitianus, Traianus, Adrianus, Antoninus, Seuerus, Maximinus, Diocletianus, Maximianus, & horum collegæ barbarâ crudelitate diuexarunt, occiderunt, aduocatus, & actor esse potest pseudopropheta noster in martyres. Absoluit nos quos sic accusat; non nisi de virtute reos agit, quos in martyrum fide viuere testatur, quos ideo dignos morte, rogo, visceratione, extremis exemplis perimendos censet, quia sint in Ecclesiâ istorum, quos omnis ætas martyres habuit, & tot miracula probauerunt.

Nostra causa cum martyribus coniuncta.

Tu si triginta illos tres vno tempore ante tribunal persecutoris vidisses, quænam fuisset tua oratio, age dic propheta.

Domine, deusq; noster, diceres, is enim titulus est Domitiani. Quorum ad te delata sunt nomina, rei *sunt impietatis, bestiæ sunt, aperientes os suum in blasphemias, ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo sunt, faciunt bella cum sanctis, & vincunt eos, seducunt habitantes in terra propter signa, quæ faciunt, inebriant terram de vino prostitutionis suæ, poculum habent plenum abominatione & immunditiâ fornicationis suæ, ebrii sunt de sanguine*

guine martyrum Iesu. De vino iræ fornicationis eorum biberunt omnes gentes, peruenerunt peccata eorum vsque ad summum. Redde illis ô Domine Deusque noster, ô Domitiane. Redde illis duplicia, duplicato secundum opera eorum, dilania, exure, carnes manduca, nullum iniustum in eos iudicium, nullum nimium est supplicium. Hæc & asperiora diceres, qui sic tuos reges in nos irritas, & Martyres illos nobis in causa facis pares, imo peiores, quia duces nobis errandi, si illi errarunt, non ergo mitior in eos esse potes, quos post tot sæcula solus accusas, vt non condemnes. Felices nos qui accusari sine tot martyrum iniuria non possumus, miserum te, qui à partibus Domitiani stas contra seruos Christi, martyres Iesu. Hoc est cum agno pugnare, sed *vincet ille te, quoniam Dominus Dominorum est, & rex regum, & qui cum illo sunt, vocati, & electi, & fideles.*





IN-

INDEX.

A.



Bsolon. 408
Absurda Caluinistica. 314
Actiones bonæ à Deo. 431
Quid in malis actionibus hominum, tribuendum Deo. 389
Actus superbiæ, prior habitu. 464
Adam peccans an prædestinatus? 101
Adam cum laberetur, erat, & non erat prædestinatus secundum Pareum. 102
An Adam habuerit fidem? 105
Adamum ad lapsum creari oportuit (iuxta Bezam) 267
Adam veniale potuit æstimare suum peccatum. 495
Adam veniale peccatum putabat. 471
Probabilius Adamum absolute grauius peccasse. 508
Adolphus venator. 331.318
Albigensium hæreses. 223
Albigenses Manichæi. 221
S. Ambrosius. 77
Antichristi conceptus. 576
Antichristi natiuitas. 576
Antichristi adolescentia. ibid.
Antichristi ἀκμή. 577
Antichristi ætas vergens. 578
Antichristi ætas inclinata. 579
Antichristi ætas decrepita. 579
Antichristi mors. 581
nec cæli nec Angeli mundi. 129
Apelles. 527.

Apo-

Apocalypsis à Caluinistis reiecta, vel non intellecta. 550.
Archontici. 528
Ascodryæ. 528
Augustinus. 135
Augustinus defenditur. 81
Augustinus pro Bellarmino. 141
Augustinus, compositor canonum. 146
Augustinus, natura dixit quædam venialia, 150
Augustinus l.10. confess. vltimo cap. agit de purgatorio. 190
Non spiritu humano Augustinus orat pro matre. 198
Augustinus & Bellarminus vindicatus à Caluinismo. 453
Augustini & Bellarmini consensus. 502. *Expositio Augustini.* 136
Augustini est sermo 47. de sanctis. 150
Expositiones D. Augustini, in Iacobum, opposita deprauationibus Parei. 334
Augustino Ecclesiasticus scriptura est. 436
Augustus ætate senili censum egit. 561
Augustus sua potestate etiam senex vtitur. 566
Aretius Caluinista, refellit Pareum. 335
Arminius excussis omnibus Caluino crimen de authore peccati impingit. 363
Arminii iudicio tota antiquitas latina & græca est contra Caluinum. 365.
Arminii iudicium de Caluini & Bezæ sententia. 350
Arminii iudicio Deus Caluinistarum. vide Deus Caluinistarum qualis Arminii iudicio.
Compendium libri 3. Bellarmini ab Arminio factum. 439
Ariani, Arianorum germina. 530

B.Quæ

B.

QVæ Babylon, meretrix magna? 593
Basilides. 525
S. Basilius. 181
Varia ascetica inter libros D. Basilii. 182

Bellarminus.

Bellarminus nullo modo sibi contradicit. 394
Bellarminus censuras Lutheranorum adfert de Caluinistis. 127
Bellarminus vindicatus à calumnia. 451
Bellarminus verba serpentis non tribuit Euæ. 493
Bellarminus à contradictione vindicatus. 512
Bellarminus exponit, quomodo primorum parentũ peccatum fuerit grauissimum secundum aliquid. 515
Bellarmini quæstiones non esse sophisticas. 440
Bellarmini compendium factum ab Arminio, vide Arminius.
Bellarmini rationem iuuat responsio Parei. vid. Parei responsio, &c.
Iniuria in Bellarminum. 436
Testes plurimi Bellarminum à calumnia defendunt. 439
Recte titulus à Bellarmino præscriptus. vid. Titulus.

à Bellarmino, pro distinctione peccati venialis à mortali, allegatio-cto loci script.:
- Primus locus, Matthæi 5. v. 22. p. 131.
- Secundus locus, Matth. 23. v. 24. pag. 134.
- Tertius locus, Lucæ 6. v. 11. pag. 135.
- Quartus locus Lucæ 12. v. 59 pag. 137.
- Quintus locus 1. Corinth. 3. v. 12. pagin. 138.
- Sextus locus, Iacobi 1. v. 14. pag. 139.
- Septimus locus Matth. 12.
- Octauus locus. Ephes. 5. v. 3. 4. pag. 143.

Bestia secunda apocalyptica non est pontifex. 588. Ratio prima, & secund. 588. Ratio tertia & quarta. 589. Ratio quinta. 590.

Beza.

Beza Dei consiliarius iudicio Lutheranorum. 398
Sententia Bezæ de authore peccati. 236
Horrida Bezæ sententia. 243
Aphorismi Bezani 268. *consectaria aphorismorum; sub eadem ratione permitti & non permitti.pa.* 269. *Secundo, sub eadem ratione esse & non esse peccata.* ibid. *Tertio, peccata Deo vel ignorante, vel repugnante fieri.* 270
Bezæ æquiuocatio. 270
Deus secundum Bezam non tantum decreuit permittere scelera, sed simpliciter decreuit. Vide decernere, decretum.
Blastus. 528
Blasphemiæ Caluinistarum iudice Vorstio. 428
Blasphemia Parei. 101
Bucerus. 7.73

C.

CÆsar à Cæsareatu dictus. 568
Caluinus docet flagitia cum fide Iustificante posse consistere. 109
Caluinus resistit Zvvinglio. 248
Caluinus aut impostor, aut blasphemus. 214
Caluinus distinctiones aduersarii (Parei) reijcit. 255
Caluinus expresse permißionem reijcit. 260
Caluinus excæcationem Deo tribuit. 253
Caluinus ait Deum impios ad maleficia impellere. 275
Caluinus Iudicat hominem necessario peccare. 321
Similitudo qua Caluinus vtitur, contra ipsum est. vide similitudo.
Caluini liber à Bernatibus exustus. 229
Caluini principio nititur Libertinißimus. 232
Caluini horrida opinio. 216
Sententia Caluini de causa peccati. 236.251
Caluino Deus operis & vitij author est, vide, Deus operis & vitii author Caluino.

Consectaria ex verbis Caluini. 272
Caluino quædam quæstiones arduæ, vide quæstio.
Duo Dei iuxta Caluinum decreta horrenda. 242
Decreto Dei, homo cadit iuxta Caluinum, vid. decretū.
Caluino repugnat Pareus, vid. Pareus repugnat Caluino.
Caluinistæ mendacia tribuunt nouo testamento. 495
Caluinistæ in scripturas blasphemi. 228
Tribuunt scripturis mendacia. 228
Caluinista Floriani. 215
Tollunt Ecclesiæ & Patrum authoritatem, & suam substituunt. 145
Caluinistæ dissentiunt. 105
Caluinistæ cum peccant, fiunt hæretici, atque etiam Lutherani.
Caluinista sine pœnitentia saluantur. 55
Maiora suis Regibus, quam nos Mariæ tribuimus. 87
Caluiniani & Libertini pares. 212
Caluiniani testes de Deo suo. 216
An Caluiniani fuerint Albigenses. 225
Exules Caluinistæ Argentorati. 230
Caluiniani orare non possunt. 269
Caluiniani immaculati. 83
Verbis negant, re affirmant Deum esse authorem peccati. 429
Omnes Caluinistæ mandatum publicum se habere dicunt vt catholicos occidant. 556
Caluinistarum iniuria. 554
Caluinistarum temeritas. 554
Caluinistarum vana iactantia. 73
vix potest aliquis eorum fiduciando saluari. 115
Caluinistarum licentiosa libertas. vide libertas.
De sola scriptura Iudicium Caluinianorum in Belgio. 74
Puluini Caluinistarum. 53
Consensus Caluinianorum & libertinorum. 227
Consensum illum docent Caluiniani. 229
Vis irresistibilis Caluinistarum. 251

Eo-

Eorum opinio de Deo volente peccatum, tollit omnem consolationem. 329
Caluinistarum testimonium de suis fratribus. 356
Insigne testimonium Caluinistæ de suis præceptorib. 350
Caluinistas Deus cogit inuitos in crimen. 174
Caluinista scripturam fatetur obscuram. 551
An Caluiniani numero augendi. 580
Caluinistas maxima vitæ parte in desperatione versari. 122
A Caluinistis causa indifferens agnoscitur. 258
Calumnia Parei. 17. & 37
Calumnia contra Augustinum discussa. 19
Calumnia detegitur. 126
Calumnia in martyres. 603
Caiani. 526
Contrariarum causarum contrarii effectus. 481
Causæ hæreseon. 523
Causa vniuersalis non est causa peccati. 423
Causa per accidens peccati, per se est eiusdem vltor. 396
Carpocras, Carpocratiani. 526
Catholici restiterunt libertinis. 219
Causa Catholicorum, cum martyribus coniuncta. 604
Cerdo. 526. 233
Christus & eius mater sine peccato. 85
Christi omnis actio erat redemptioni sufficiens. 89
Christus, & à criminalibus, & à venialibus lauat. 179
Christum non satisfecisse, vide errores grauißimos Parei.
Christum ante Pilati procurationem baptizatus iuxta Prophetam. 569
Chronologiæ nouæ rationes 560. 563. 564. 564. 565. 567
Cherintus. 224
Circumcelliones. 529
Cogitationes bonæ sæpe origo malorum. 396
Colarbasiius. 528
Collegia Anti-Bellarminiana. 522
Commißio in Legem vetantem, est omißio in iubentem.

Deus concupiscentiam creans an Author peccati, vide Deus.
Triplex motus concupiscentiæ. 140
Concilium Mileuitanum. 76.&145
Concil. Tridentinum. 77
Congruentia ad Legem. 23
Contumelia noui Prophetæ in martyres. 572
Necessaria de Dei concursu tractatio. 428
Concursum Dei generalem agnoscunt primo Lutherani; deinde Caluinistæ. 294
Deus etiam ob generalem concursum colendus. 295
Concursus Dei vniuersalis ab homine determinatur. 300
Concursus generalis in operationibus dari potest. 431
Concursus generalis in se, à causa particulari determinatur. 431
Conscientia sectariorum in omni facinore pacata, vide. Sectariorum conscientia, &c.
Consules quinto anno à gesto magistratu prouincias sortiti. 563
Coniugationes Hebræorum actiuæ sæpe permißionem significant. 381
Nemo creatus vt periret. 366
Culpa remißibilis per se non remittitur sine gratia 198
Culpæ vt culpæ correlatiuum est pæna. 243
In culpis remittendis non est eadem facilitas. 38
Corpus Diei 16. vnum corpus in pluribus locis. 537
Corpus peccati. vide peccatum.
Cursus ad Deum quid. 38

D.

DAuid prædestinatus peccauit lethaliter 106
Nec retinuit Spiritum Sanctum 106
Quæ fides Dauidis in peccatis iuxta Caluinistas. 106
Damnare sine culpa iustitiæ Dei repugnat. 370
Non crescunt continuo dæmonum tormenta. 315

De-

Decreto Dei homo cadit iuxta Caluinum. 259
Decretum Caluinus intelligit de peccato vt est peccatum. 261
Duo Dei iuxta Caluinum decreta horrenda. vide Caluinus.
Non decreuit Deus, *nec fecit lapsum, vide* Deus.
Deus non tantum decreuit, secundum Bezam permittere scelera, sed simpliciter decreuit. 349
Deus sicut facit in tempore, ita decreuit. 366
Quomodo Deus decreuit permittere? 454
Delicta exigua non remittuntur sine misericordia. 129
Sine errore mali potest esse desiderium. 489

Deus.

Nihil Deo ambiguum etsi humano more quasi consultans loquatur. 133
Dei dicimur amici φίλοι. 162
Deum toto corde secuti aliquando recedunt. 178
Deus non potest punire supra condignum. 195
Deus non vult peccata, vt sua iudicia. 241
Deus destinat hominem ad peccatum vt est peccatum ex Caluino. 242
Deus non necessitat voluntatem ad culpam. vide voluntas.
Deus non imperat peccata. 276
Deus operis & vitii author est Caluino. 276
Deus legem habet. 281
Si nulla lege tenetur Deus ipsam velle potest malitiam. 282
Sequetur Deum posse mentiri. 283
Deus concupiscentiam creans, an author peccati. 284
Deus instrumenta creat, vt sint mala iuxta Caluinum vide, Instrumentum.
Deus author est pii affectus in reprobo, &c. at ille est peccatum, non à reprobo, qui hic potius patitur, ergo à (*Deo.* 312
Deum non peccare. 328
Deus non vult iniquitatem vt sua iudicia. 329

Deum velle peccata vt puniat, crudelis opinio. 331
Non mandat Deus scelera. 332
Deus non tentat vt ad actum peccati illiciat. 333
Deus non decreuit, nec fecit lapsum vt puniret. 348
Deus summe bonus non est author mali. 351
Deus non modo malitiam, sed ipsa opera eradicari vult ex animis, non igitur infligit. 352
Deus creauit quos malos futuros esse præsciuit. 365
Deus non impellit ad peccatum. 368
Deus potens bonus, iustus. 369
Deus non facit peccatum. 406
Deus Absalonis stuprum permisit. 408
si Deus euentum ignoraret, tamen in finem certum hominem creare potuisset. 422
Deus non otiose spectat. 423
Deus procurator peccatorum iuxta Piscatorem. 428
Deus per se iuxta Pareum est causa peccati. 435
A Deo non receditur nisi sub ratione boni. 477
An Deus creet Impios ad malum. 364
Deus Caluinistarum auctor peccati est. 212
Idem Caluini Deus, & Caluinistarum. 213
Deus Caluini, peccata vt peccata vult. 255
Caluini Deus vere auctor peccati. 257
Deus auctor specialis actionis in scelere.
Deus Caluinistarum qualis Arminii iudicio. 356
Deus Zvvinglii non modo operis, sed & criminis auctor. 248
Deus Zvvinglii legem tulit eo fine vt violaretur. 249
Nulla lege obligamur Deum semper diligere actu. 178
Dilectionis priuatio duplex. 18
Donatistæ. 529
Ipsam duritiem Deus non efficit. 402

E.

Ecclesia quid possit. 552
Ecclesia Zvvingliana. 553
Ecclesia de scripturis iudicat. 553

Ecclesiam Apostolicam accusat nouus Propheta. 570
Ecclesiæ status afflictus ab anno 700. 578
Ecclesia Romana se ad persecutionem præparat. 598
ad Ecclesiam Romanam non pertinere mulierem apocalypticam, Ratio 1. 598. Ratio secunda. 599
Ebion. 525. 529
Elxai. 525
quomodo in errorem non ducantur electi. 67
Electorum peccata Deus punit. 121
Eleusinia. 209
Heua. 493
Probabile est Heuam grauius Adamo peccasse. 508

Excæcatio.

Excæcatio fit deserente luce. 405
deseruntur digni deseri. ibid.
Excæcationem Deo tribuit Caluinus, vide Caluinus excæcationem, &c.

F.

Fatuitas aduersariorum. 585
Fatum maius stoico, statuunt Caluinistæ. 322
Fœmina infirmior ideo non permittitur docere. 499
Flaccianismus Parei, vide Pareus.
Flagitium & facinus, 33
Quæ fides iustificans. 109
Fides iustificans. 532
Fides meritum Christi. 532
Fides ægra. 112
Fides actualis, & habitualis. 113
cum Lutherana fide omnia consistunt præter infidelitatem. 122
Amissa fiducia, fides qua creditur pariter amittitur. 126
Sine fide impoßibile est placere Deo, an actuali, an habituali. 131
Florinus. 528
Friderici VVirtenbergici de Caluinistis Elogium. 253

G.

Gratia etiam subtrahi dicitur iis, qui extra Ecclesiam sunt. 403
Substantia gloriæ. 16

H.

Homines non peccare sed Deum secundum Caluinum. 313
Probatur Deum non homines peccare. 314
Cur homo Deo non crediderit. 474
An homines peccando similes bestiis. 31
Dona supernaturalia homo primus habuit. 445
Impoßibile est hominem non peccare iuxta Caluinistas. 291
Hæreticorum est scripturas tollere. 463
Conuitia hæreticorum, laus est Christianorum. 603
Hæreseon causæ. vide causæ hæreseon.
Finis hæreseon. 523. variæ hæreses. 530
Fastigium hæreseos de Iustificatione 533. progressus hæreseos de Eucharistia. 538
Hæretici scripturas euertunt. 540. scripturas accusant. 541. omnem fidem scripturis derogant. 541. Quid scripturæ substituant? 541. Deum auctorem peccati, immo peccatum faciunt. 543. Quas leges abrogarint. 543

I.

Iactantia Caluinistarum, vide Caluinistarum vana Iactantia.
D. Iacobus de mortalibus agit. 186
Ieroboam an peccarit in regni aditione. 400
Ierusalem est illa ciuitas significata per Babylonem. 594
Ierusalem est septimontium 596. montes circa vrbẽ Ierusalem. 1. caluariæ, 2. mons septentrionalis, 3. mons scandali, 4. mons oliueti, 5. mons offensionis. 6. mons eroge, 7. mons Gion, pag. 597
Iconomachi. 530

Saeuitia idoli Gebennensis. 308
Idolum Caluinianum Catechismus Heidelbergensis. 542
Ignorantia quae peccatum. 18
In delictis ignorantiae ratio habetur. 43
Immensitas Dei non tollit discrimen peccati venialis & mortalis. 51
Incogitantia superba. 489
Indurare est non misereri. 382
Non indurat Deus *impertiendo malitiam.* 384
Indurare etiam est durum demonstrare. 385
Quid tandem definitissime credi vult Augustinus de induratione. 387
Indurare negatiue. 402

Infidelitas.

Ex infidelitate non necessario scelera. 482
Infidelitas quomodo finis peccati. 482
Infidelitas sequi potest iniustitiam, non ideo fides iustitiam. 482
Nusquam in scriptura initium peccati infidelitas. 483
Infidelitate peccarunt protoplasti. 491
De illa duplex opinio. 491
Iniustitia sine infidelitate esse potest. 481
Iniuria in Bellarminum, vide Bellarminus.

Instrumentum.

Instrumenta vt actiua sunt peccant. 271
Instrumenta creat Deus vt sint mala iuxta Caluinum. 309
Imperium non est Bestia Apocalyptica 583. *Ratio prima pro eo.* 583. *Ratio secunda.* 584. *Ratio* 3. 584. *Imperium an Augustum.* 586
Necessarij Deo impii non sunt. 335. *Impietas praedicantium Belgicorum.* 531
Impietas argumenti Caluiniani. 455
Intemperans potest esse sobrius. 315
Iesuitarum interitus. 581

Iosephus animalibus vsū & loquelam tribuit 459
Iouinianus stoicus 58
Hæreses Ioniniani. 59
Iudicium non esset, si Dei voluntate homo peccaret. 382
Iustus non est liber à pœna. 445

K.

Κακία. 12. Καθαροί. 529

L.

Bona est Latina versio. 132
Latina versio vetus defensa. 360
Iterum defensa vetus versio. 360
Latro à Deo cogitur ad cædem iuxta Zuuinglium.
Lethum, mors eadem. 36

LEX.

Lex aliter grauia, aliter leuia vetat. 165
Lex æterna continet omnes leges 16
Si iusto non est lex posita iuxta sententiam Caluinianam, non potest peccare. 443
An lex damnet Caluinistas. 445
Lex in tabulis & in corde. 446
Quomodo Lex iusto non est posita. 449. 446
A Lege Moysis liberati sumus. 448
Mulier examinat legem. 465
Tabulæ Legis. 449
Lex nihil iuris habet in sectario. 546
Libertas Caluinistarum licentiosa. 112
Licentiæ fomes. 158
Libertas ab omni lege. 545
Origo Libertinorum. 225
Quando cœperint Libertini. 230
Libertini quomodo latere potuerint. 231
Libertinissimum esse ex Caluinismo docetur testimonio Caluini. 232
Literarum odium in sectariis. 548
Lutheri & Caluini opiniones contrariæ. 117

Luthe-

Lutherani hæresin, quod peccata prædestinatis non obsint, tribuunt Caluino. 100
Lutheranis inuoluntaria sunt venialia. 118
Fratres Lutherani de Caluinistis. 127
Lutherani ex natura faciunt peccata venialia, 158
Lutherani testes à Deo Caluinistarum. 215
Lutherani Caluinistas comparant serpenti. 494

M.

Mahometani. 530
Malitia quæ infinita. 179
Quare ex se mala non potest Deus mandare? 39
Quomodo bonum est, esse mala? 414
Quomodo mala Deus nolit? 414
Cur Deus non teneatur mala impedire? 430
Malitia voluntatis prior est errore. 474
Maleficia pœnæ simul & scelera sunt. 252
Manes 529. & eius posteri. ibid.
Soluere vnũ de mandatis istis minimis, graue scelus. 176
Maria mater misericordiæ. 87
Regina Cœli. 87
Minor Christo. 88
Maria maior omnibus creaturis. 88
Merito Mariæ non sumus redempti. 88
B. Virgini peccata imputat Pareus. 85
B. Virgo defenditur 1. authoritate. 2. Exemplo Regum. 85
D. Martini Becani de Iure absoluto disputatio. 369
Marcion. 526
Marcosii. 528
Meritum in scripturis. 536
Argumenta contra merita. 534. soluuntur. ibid.
Menander. 525
Methodus defensionis. 2
Mortalia non sunt festuca. 36.
Mors à peccato. 444
Mori possumus sine peccato, vide peccatum.

Septem montes Romæ. 596
Montes septem Ierusalem, Sion; Moria; Rupes eminens; Acra; 596. Bezetha Paris, mons templi. 597

N.

LVmen naturale non omnino tollendum. 277
Naturaliter nascimur peccatores. 422
An naturæ defectus vere peccata aduersario? 28
Cur facinus in homine sit peccatum, non est causa vniuersalis corruptio naturæ. 280
Distinctio necessitatis, & coactionis. 392
Omnis necessitas inducens ineuitabilitatem tollit libertatem. 393
Qui necessitat est causa peccati. 393
Necessitas peccandi excusat à Peccato. 244
Nouatus. 523
Nouatianus. 529
Nicolaitæ. 524
Nouarum hæreseon monstra 531. Nouatores. 531. 546
Numeri Danielis, & Apocalypseos, an in idem tempus conueniant. 557

O.

OBdurationem non instigando sed deserendo facit. 386
Non omnis offensa tollit amicitiam natura. 161
Otiosum verbum non est dignum inferis. 143
Ob otiosum verbum, non sunt ducti in captiuitatem Israelitæ. 169
Ophitæ hæretici. 456. & 527
Ordines Hollandiæ à rigido Caluinismo recedunt. 439
Ordo peccatorum nouus, vide Peccatum.

P.

PAreus defendit Bellarminum. 134
Iterum Manichæus est Pareus. 141
Pareus nescit quid sit analogia. 158
Pareus ignorat quid sit causa vniuersalis. 299

Pare-

Pareus secum confligit. 4. & 177
Pareus Flacco fauet. 5
Pareus sibi contradicit. 6
Pareus ignarus dialectices. 101
consiliorum diuinorum & exsecutionis ordinem confundit.
Pareus omnem religionem tollit. 283
Pareus conuincitur ex suis verbis. 284
Pareus repugnat Caluino. 301
Deprauat Bezam. 372
stat contra Bezam. 372
Pareus inique queritur de societate Iesu. 237
cur societatem asperius, quam alios hostes tractet. 238
Pareus iniqua calumnia grauat cardinalem. 295
Deprauat Augustinum. 323. & 470
nequiter verba Bellarmini inuertit. 324
Calumniatur Bellarminum. 372
Mendacia cumulat. 189
Verba & sensum scripturarum mutat. 191
Pareus idolum celat. 211
omnipotentiam Dei impugnat. 429
deprauat aut non legit Ambrosium. 448
Pareus Stoicus. 517
Pareus omnino à se recedit. 519
Ex suis conuincitur scriptis. 8
Flaccianismum inducit. 25
complectitur sub definitione peccati naturæ errata. 26
Pareus peccata B.Virgini imputat. 85
superbè iudicat B.Virginis conscientiam. 86
calumniatur orthodoxos. 87
Caluino contradicit. 99
Pareus idem sentit quod Lutherani tribuentes Caluino hæresin. 100
Caluinum de voluntate permittente interpretatur, scripturas aliter. 359.

Parei maledicentia. 1
Parei ruditas. 2
Parei errores. 30.31
Parei ἀνιςορία. 60
Parei effugia. 98
Consensus Parei cum Bellarmino. 378
Eiusdem dissensus à Bellarmino, & à seipso. 378
Parei iniquitas. 395
Parei opinione homo cogitur ad duritiem. 405
Nuda Parei calumnia. 407
Parei opinione Deus ipsam malitiam velle debuit. 421
Parei responsio iuuat rationem Bellarmini. 464
Parei sophismata puerilia. 476
Parei nouæ hæreses. 100.192
Blasphemia, eiusdem. 101
Mira hallucinatio. 102
Ex eius argumento nemo peccaret. 104
Parei confeßio. 213
Clarum mendacium Parei. 162
Parei tres grauißimi errores. 204
Primus, omne peccatum meretur pœnam infinitæ intensionis. 204
Secundus, omnia peccata esse æqualia. 206
Tertius, Christum non satisfecisse. 207
Incogitantia Parei. 212
Nugacitas Parei. 64
Parei sententia de causa peccati. 239
Insignis Parei calumnia detegitur. 245
Noua Parei calumnia. 253
Parei fucus in excusando Zuuinglio. 273
Parei Puerilis euasio, distinctione casus & lapsus. 276
Parei Flaccianismus, potentiam peccandi esse peccatum, & non à Deo. 310

Parei

Parei rudes nugæ. 320
Parei obiectio prima ex ratione naturali contra peccatum veniale. 194. secunda. 196. tertia. 197
Parei argumentum primum ex D. Thoma contra peccatum veniale. 198. secundum, 201. Argumentum tertium.
Parei obiectio (contra peccatum veniale) ex Basilio. 181. ex Hieronymo, 184. ex Augustino. 184
Parei obiectio, ex scripturis Deuteron. 27.27. &c. contra venialia. 162. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 177. 179. 180
Parei nugacitas. 64
Pareo contradicit Caluinus. 99
Pareo hic necessitas excusat, etsi inuoluntaria. 266
Pareum refellit Aretius Caluinista. vide Aretius.
Iuxta Pareum, Deus aliquando concessit peccatum. 244
Iuxta Pareum soli saluantur, quorum vita actio vltima est fiduciatio. 115
Pareani tituli reiecti, vide titulus.
Censura Pareanæ sententiæ de causa peccati. 240
A Pareo deprauatus Isaias. 483
A Pareo corruptus locus, Hebr. 11. v. 6. pag. 484
A Pareo corruptus. 16. 16. 485
A Pareo corruptus locus Ioan. 16. 9. 485
Ex Pareo Deus mendax. 399
Ex Pareo probatur aut non esse, aut Dei esse peccatum.
Paradoxa Caluino-stoica. 73
Partium tractatio, sæpe ad diuisi in genere disputationem pertinet. 8
Defensio Patrum. 470
Variæ Patrum sententiæ vter Protoplastorum grauius peccarit. 507

Pela-

Pelagius nullum agnouit veniale.72.Pelagiani. 530
Pelagii argumentum quo probat, nullum omnino in Iusto esse peccatum.
Peccatum est voluntarium. 19
Peccata ignorantiæ & infirmitatis voluntaria. 22
Virtutum in gradu defectus non sunt peccata. 24
Peccata carnalia, spiritalia. 29.30
Peccata non dicenda corporalia, aut animalia. 31
An homines peccando similes bestiis. vide homo.
Peccata spiritalia faciunt similes diabolo. 32
Peccata commißionis & omißionis. 34
Etiam leuia remittuntur Christi sanguine. 38
Carnalia & spiritalia peccata possunt esse venialia. 40
Qui peccatorum patroni. 52
Non omnia peccata esse mortalia. 71
Quædam esse venialia. 71
Peccata electorum Deus punit. 121
In proposito peccandi non receditur à Deo, secundũ Philippum. 124
Idem dicere oportet Caluinistas. ibid.
Proportio peccatorum instituta à Christo. 135
Non omne peccatum generat mortem. 142
Si peccata cum iustis consistunt ergo & cum iustitia. 147
Possumus mori sine peccato. 147
Parua non sunt peccata quæ delegantur inferis. 149
ad rationem peccati pertinet voluntarium, & inuoluntarium, vide voluntarium.
Peccato infligitur pœna quia est auersio. 159
Gradus eiusdem peccati. 176
Peccati infinitas ex parte auersionis. 203
Peccata qua peccata non solo Dei permissu fiunt opinione Caluini. 265
Non est peccatum sine mala intentione. 281
Impoßibile est homines non peccare iuxta Caluinistas. vide homo.

Pec-

Peccata Caluinistis iudicantur necessaria. 302
Deus ad materiale cogens, etiam ad formale cogit peccati. 304
Necessario nemo peccat, ita Venator Caluinista. 318
Peccatum non est; etsi sit voluntarium, si sit necessarium. 322
Subiti motus cum sint ἐκ προαιρέσεως non sunt peccata. 324
Peccatum nil nisi falsa opinio. 325
Probatur ex Pareo, aut non esse, aut Dei esse peccatum. vide Pareus.
Peccatum est proprium creaturæ. 336
Peccatum naturæ non insertum, sed inflictum ait Pareus. 345
Peccare Deo repugnat sicut non esse Deum. 353
Primum peccatum Caluino superbia est. 464
Ordo peccandi primorum parentum. 470
In Peccatis conuersio ad bonum creatum prior est auersione à Deo. 475
In peccato protoplastorum septem actus mali. 508
Quod ex specie peccatum grauissimum peccatum. 513
Ordo peccatorum nouus. 520
Perfectio graduum & partium. 81
Quæ perfectio sanctorum in hac vita. 80
Triplex perfectio. 79
De perfectione recte hic quæri. 79
Permittere, non est velle, sed non nolle. 413
Permittere in scripturis non impedire. 415
Permissionis & effectionis est diuersa ratio. 431
Cur Deus permiserit hominem tentari. 452
Pharao cur excitatus. 379
Pharaonis induratio ex patientia Dei. 384
Pharaonem non potētia diuina, sed patientia obdurauit. 387. 385
Personarum acceptio tollit legem regalem. 173

Petrus fidem Catholicam retinuit in negatione Christi. 108
Philippo motus inuoluntarii sunt venialia. 65
Fucus Philippi & Buceri. 273
In proposito peccandi non receditur à Deo secundum Philippum. vide Peccatum.
Cur graues pœnæ castrenses? 165
Pœnæ & priuatiuæ, & permißiuæ. 425
Clades Israelitarum non fuisse minimorum peccatorum pœnas. 170
Quæ pœna minimo peccato debeatur secundum Caluinistas. 195
Crudelis opinio Deum velle peccata vt puniat. 331
Piscator clarius exprimit mentem Caluini. 381
Horrendæ theses Piscatoris. 355
Piscator docet Deum velle peccata vt peccata. 382
Scripturæ deprauatio mira per Piscatorem. 390
Piscatoris horrida sententia. 451
Piscatoris Deus non modo vult peccatum permittere sed etiam vult vt fiat. 454
Prædicantes perduelles imperio. 585
Prædicantes Imperium satanæ ascribunt. 586
Prædicantes Imperij proditores. 589
Prædestinare sine culpa ad pœnam iniustum est. 370
nemo prædestinatus ad peccatum. 367
Quidam negarunt peccasse primos parentes. 442
Quomodo primorum parentum peccatum fuerit grauissimum secundum aliquid? vide: Bellarminus exponit quomodo, &c.
Prophetia Ppæhoffensis. 575
Propheta suos damnat principes. 601
Prouidentia Dei circa peccata. 411
Prophetæ Germaniæ, 546
Ptolomæus. 527
Puluinar mollißimum. 55

Qua-

Q.

Qualitates non sunt proprie peccata. 24
Quæstiones Bellarmini non esse Sophisticas. vide Bellarmini quæstiones non esse Sophisticas.
Caluino quædam arduæ quæstiones. 441
De certis, docendi causa quæritur. 442

R.

Reges Dij, Reginæ Deæ. 494

S.

Sancti orant pro remißione peccatorum suorum. 19
Incrustatio scelerum. 53
Sæuæ expositiones scripuræ. 329
Scripturæ horrenda deprauatio. 330
Scripturæ deprauationem suis exprobrat Caluinista. 331
liber Syrach Canonicus. 444
Quæ repugnantia videntur, concilianda in scripturis. Secundus. 527
Quid proprie seduci? 498
Sectariorum conscientia in omni facinore est pacata. 546
Sectarii magis Imperium quam pontificem oppugnant. 590

Serpens.

Varii errores de serpente qui tentauit Heuam. 456
Fuisse verum & naturalem serpentem. 457
Serpentem tentatori Deus permisit. 459
Solus serpens permissus tentatori. 460
Similitudo Dei & solis magis excutitur. 305
Similitudo qua Caluinus vtitur contra ipsum est. 304
Simon Magus. 524
Spiritale non est semper in laude. 31
Spiritus Sanctus temporum ordinem retinet. 568
Substantia varie dicitur. 15

Substantia gloriæ. 16
Superbia non statim excutit fidem. 465
Primum primi hominis peccatum fuisse superbiam probatur ex Pp. 466
Augustino parentum inobedientia superbia fuit. 465
Superbia sine fide historica esse potest. 473
ad superbiam, & infidelitatem tendit tentatio primorum parentum. 479
superbia etiam morosa cogitatio. 490
Non omnis superbia odium Dei continet. 514

T.

Tatianus. 528
Tiberius minor Augusto. 565

Titulus.

Recte titulus à Bellarmino præscriptus. 3
Tituli Pareani reiecti. 3
Tremellius. 135
Tribunitia potestas.

V.

Valentinus. 527
Valesii. 529
Væ aliquando minoris pœnæ. 192
Vita laudabilis qua laudabilis non est peccatum. 193
Venialia in eodem genere aucta non fiunt mortalia. 204
Tria genera venialium. 42
Peccata venialia natura, vel operis imperfectione 46
Quodnam peccatum veniale ex genere. 48
Venialia ex paruitate materiæ. 4
Immensitas Dei non tollit discrimen peccati venialis & mortalis. 5
Quædam peccata esse venialia, vide peccatum.
In veniali qualis sit macula. 8
Non sunt venialia, quia non imputantur. 1
Non sunt venialia, quæ cum fide consistunt omnia. 1

N

Natura peccati venialis. 129
Veniale reprehensione dignum. 138
Peccata aliqua esse venialia probat. authoritas conc. Mileuit.can.6.7.8.pag.145.authoritas patrum.148 ac sequentibus.
Et ratio prima,pag.156. Secunda,pag.158. Ratio tertia,pag.159.Ratio quarta,160.Ratio quinta,p.163
Concilium Mileuitanum. 146
Venialia non perfecte peccata. 146
Veniale non tollit ordinis principium. 198
Veniale non peruertit ordinem irreparabiliter. 201

Vitium.

Vitii & peccati discrimen.10.Vitium idem quod Græcis κακία. 12
Vitium & peccatum Augustinus distinguit. 14
Virtutum in gradu defectus non sunt peccata.
Voluntarium & inuoluntarium ad rationem peccati pertinent. 158
Voluntas non est regula, iustitiæ vel peccati non tamen est sine illa iustitia vel peccatum. 22
Voluntas Iudæ indefinita, à Deo per sathanam in alteram partem inclinata est iuxta Zanchium. 271
Voluntas semper appetit sub ratione boni.
Sola voluntas, causa mali. 298
Integritas non est sine voluntate. 320
Voluntas agens vt natura, non peccat.
Duplex voluntas Dei secundum Caluinistas. 338
Duplex Dei voluntas statuitur à Caluino. 339
Quomodo vna in Deo & multiplex voluntas. 339
Deus mirabiliter vult quod videtur eius voluntati aduersum iuxta Caluinum. 334
Quæ occulta voluntas. 342
Duplex Dei voluntas tollit fiduciationem, & fidem. 243
Voluntas signi non est totius Euangelii. 344
Deus non vult hominem velle peccatum. 346

Duplex illa voluntas tollit pœnitentiam. 348
Voluntas agens vt natura non peccat. 393
Quomodo voluntas Dei se habet erga peccata. 410
Voluntas beneplaciti, & signi. 411
Quomodo sit contra Dei voluntatem quod est præter voluntatem eius. 411
Quomodo Deus peccatum vult vt est pœna. 424
Deus non necessitat voluntatem, ad culpam. 273

Z.

Zanchius. 271
Sententia Zvvinglii de causa peccati. 236. & 246
Zvvinglio initio mox contradictum. 248
iuxta Zvvinglium latro à Deo cogitur ad cædem. 251

FINIS.



ERRATA.

Pag. 2 defendendus l. defendendos. 18. pantale l puritate 29. peccandi lege peccando. 43 actißima lege exactißima 59. nostra l. nostrum 64. enodis l enodis. 95. fastum l factum 95 nefanstiam l infantiam. 97 si l. se 101. postlimio l postliminio. 119 de l te. 128 occisum l ociosum 130. imte l imputante. 144 vle l. vel. 146. Milenitano l Mileuitano 174 nam l non 183 canere l. cauere 190. scutum l secutum 208 tanquam l tamq; 226 possunt l nō possunt. 248 mo l imo 252. armari l armare. 254 Salomo l Salomon 266 sic l sine. 288. ex l est 292 præsidia l perfidia 295 patum l parum 297. nec l ne. 303 fuerit l furit 313. fætore l. fetere 317 autem l. aut. 338. qui l quia 344 an l at ibidem sentationum l tentationū 347. appareat l apparet ibidem consequenti l consequentia. 352 lenitate l leuitate 353 sunt l sumus 355 simei l semei 356 Incrudelitas l incredulitas 356 pietate l pietati 357 possunt l poßint 357 Deum l. Deus 58 poßimus l possumus 360. κρῷ l. περὶ 361. ἐμὶ l. εἰμί. 373 destruxerit l deflexerit 374 Montisbelg l Mompelgart 371. delinquere l derelinquere 379 Hic l hæ addatur parenthesis. 382. qui l quia. 383. vel l. vt. Irrigetur. l irrogetur. ibidem 386 parcebant l parcebat 387 per l pro 391. ἀνάρμο l. ἄνορμοι 392 sine l. sine ibidem differunt l. differant. 401 vi l. vt 401 fuisti l fecisti 402 agendi l agendo 405 er l & 407. quos l. quo 408 architophel l achitophel ibidem est l. & 411 potentia l prudentia 411. quæ l. quia 414 animus l animis 422. certum in finem l si certum. &c. 425 non l nam 432 hac illa l. hac illaue 433 fuit l facit. 345. suæ l. vestra. 443 non l. nam. 456 qua l quæ 481 sic lege peruerse 482. palmos 488 soli l sola 493 adde negatur 506. Titulus c 8. ad 9. pertinet. 518. λούτρου l. λύτρῳ. 518 esse l ecce 536. partila l particula. 545. vt l aut 567 ἀωτοκράτορος l. αὐτοκράτορος. 571. et l. vt. 571. examußin l. examußim.